S. GREGORIUS NAZIANZENUS COMMENTARIJS CONCIONALIBUS EXPENSUS...

Giovanni Battista Mascolo

S. GREGORIVS NAZIANZENVS

COMMENTARIIS CONCIONALIBVS EXPENSVS.

Auctore P. Io. Baptista Masculo Societatis IESV.

NEAPOLI,
Apud Hæredem Roberti Molli. MDCLX.

Superiorum permissu.

CATALOGVS OPERVM

S. GREGORII NAZIANZENI

Quæ continent Ponderationes Concionales.

Orationes pag. 1. *& seq. Epistolæ* 152. *& seq. Carmina* 182. *& seq.*

REVERENDISSIMO PATRI

P. D. ANDREAE DE CANCELLERIIS

Carthusianorum Ordinis Visitatori, & in Neapolitano S. Martini Cœnobio Priori meritissimo F.

PONDERATIONES in D. Basilium, atque Gregorium Nazianzenum, tibi potissimùm sistendas duxi, *Reuerendiss. P.* simul vt operi pretium, simul vt operis auctoribus pergratum facerem. Amant hi sacrorum hominum asceteria, quorum alter cultor, alter conditor etiam extitit. Iucundissimus igitur ijs accidet tuorum cœnobitarum aspectus, nec mirari desinent tot Anachoretarum æmulatores ante vestibulum tàm florentis, præcellentisque Vrbis ne veriùs, an orbis? beatè exulantium, generique humano renunciantium ante genus humanum. Te verò præ cæteris auidioribus oculis intuebuntur, ac suas vterque virtutes in te recognoscet: morum videlicet suauitatem ad omnes descendentem affatus maiestate semper incolumi: sudum animi nunquam non apricantis, mẽtisque semper innubilæ serenum, extra vicissitudinum aleas positum, supra ferocientis fortunæ turbines constitutum: sublimem, exaggeratamque pectoris demissionem, atque modestiam, quamuis tot alligatam honoribus, totque sub titulis laborantem: peruigilem domesticarum legũ, sanctionumque custodiam, quæ tamen disciplinam impetret, non extorqueat, seque seueritatem inter, ac lenitatem aptissimè diuidat: singularem prudentiæ vim, atque solertiam, neque nutabundam in suscipiendis, neque consilijs in vrgendis, persequendisque vel tardipedem, vel cunctabundam: vberem demùm eloquendi copiam, atque præstantiam, quæ, citra fabulam, aureis catenulis aures deuincit, & animos. Iam verò quantam ijs lætitiam faciet Hierothecæ suppellex, per te tàm venustis Operum argutijs, tàm eruditis Artificum aucta laboribus, vt ijs Ars ipsa, Naturaque prorsus adstupeat? Nonne subsilient, vbi fastum, luxumque conspexerint sacris iàm vectigales, & ancillantes Cœlo diuitias? Ad Bibliothecam autem, tua iam opera longè nobiliorem, oculos præcipuè conuertet Nazianzenus, gaudebitque tàm feliciter cessisse suos, erga scriptorum monumenta conatus, vt plus sacrorum voluminum vna domus ostentet, quàm, Iuliano compellente, totus orbis incenderit. Tantos igitur hospites tuis succedentes penatibus lætus excipe, ac te quoque dignum finge Diuis. Cæterùm quas ipse lacinias infulatis tantorum Antistitũ operibus, artifex pannosus attexui, ex obtrectantium, velim, tineis vindices. Tuus olim aspectus, & populi stolidè ferocientis impetum in officio placidè imperiosus continuit, & grassantem vndique luem, extra cœnobij limen sæuire iussit. Is igitur Allatrantium Cynicorum furias, ac pestiferos Aristarcorum afflatus è meis partubus procul habeat; ijsque si minùs Scriptoris ingenium, tanti certè Mœcenatis auspicium, aliquid commendationis affundat.

Fran-

P. Franciſcus Maſcambrunus Prouincialis Soc. Ieſu in Regno Neapolitano.

CVm Patris Ioannis Baptiſtæ Maſculi Neapolitani è Societate Ieſu librum Ponderationum concionalium in opera SS. Gregorij Nazianzeni, & Baſilij, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſimus, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint, poteſtate ab Adm. R.P.N. Vincentio Caraſa Præpoſito Generali ad id nobis tradita, facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtræ Societatis munitas dedimus. Neapoli 20. Maij 1649.

Franciſcus Maſcambrunus.

Vidit D. Ioſeph à Ianuario Theol. Deput.

Imprimatur
D. Aloyſius de Ianuario Vic. Gener.

PONDERATIONES CONCIONALES IN OPERA S. GREGORII NAZIANZENI

Continentes præcipuas ΓΝΩΜΑΣ

EX ORATIONIBVS.

EX ORATIONE I. APOLOGETICA.

Principiũ, & terminus artificem Deum respiciat.

1 PRæclaro monito exorditur: *Optimus hic ordo est, vt qui vel sermonem, vel rem aliquam auspicatur, à Deo initium sumat, & in ipso requiescat.* Nempè Demosthenes ipse hoc seruauit. & Plato in Timęo etiam in partũs id agendum præcipit; & sanè par est, vt ab eo initium sumamus, & ad eundem quæ agimus referamus, qui est principium, & finis rerum omnium.

Aliorũ facta non temerè dijudicanda.

Psal. 56.

2 De Gregorij secessu in Pontum alij benè, zlij sinistrè loquebãtur: *Malis enim hominibus nihil adeò suaue est, ac iucundum, quàm de rebus alienis sermonem habere.* huc ego refero illud Psalmistæ: *Vt non loquatur os meum opera hominum.* vbi nota, non ait, se nolle loqui opera mala aliorum, sed prorsus absolutè opera: nam etiã si indifferentia sint, facilè ex ijs gradus fieri potest ad detractionem.

Mundi inquieta tyrannis.

Solitudinis laus.

3 Ostendit, quàm libenter moraretur in solitudine: *Non tuli me velut tyrannide quadam premi, atque in medios tumultus impelli ab hac vsq; vita perinde ac ab asylo quodã per vim auelli.* rectè asylum appellat, atq; perfugium eum locum, vbi æternæ vitæ spes est certior, vtpotè ab erratis tutior. rectè etiã Mundi tyrannidem appellat, qui sibi subiectos opprimit grauibus huius sæculi curis.

Cõtemplatiuæ vitæ felicitas.

4 Pulchrè ostendit præstantem solitarij statum. *Ibi cum Deo colloquens, superiorem rebus, quæ in aspectum cadunt, vitam agat, diuinasque species puras semper, nec ærumnis admixtas in se ipso circumferat; Deiq; vt rerum diuinarum purum omninò speculum fiat, ac futura res bonũ spe præcipiat, & cum Angelis versetur, ac sursum à sancto Spiritu collocetur.* Pręclarus est hic locus de cõtemplatiua vita per secessum à curis Mũdi. refer hæc ad SS. Romualdũ, ac Brunonẽ. itẽ ad exercitationes spiritales S. Ignatij, quæ quotãnis à nostris fiũt, præter duos primos tyrocinij annos, ac tertiũ, cõfecto iam literario disciplinarũ curriculo: quibus temporibus soli Deo vacatur. Quod autem ait, animam fieri *Diuinarum rerum purum omninò speculũ*: cogita, speculum non modò tenui puluere, sed vel solo afflatu infici, ac maculari, ac propterea tunc omni humano consortio interdicitur. tam sollicita cautio adhibenda est circa conscientiæ puritatem.

5 Eleganter ostendit, Episcopi munus difficilius esse quàm pastoris; nam pastori sufficit, si lupus non inuadat, & si oues ponat in bonis pascuis. *Cæterùm magna temporis parte quercus ipsi, & vmbra, & fistulæ curæ erunt, & in pulchra herba corpus sternere. propè gelidam aquam, & sub lenissima aura, &c. at difficillimum est hominibus imperare in hoc imperio, quod in lege Diuina situm est, & ad Deum ducit.* Vide quàm excellẽs sit Episcopi munus. acutè autem dicitur, pastori superesse tẽpus ad quietem, ad cantum; at verò Episcopus semper in sollicitudine sit oportet; nullus datur otij locus.

Episcopi munus difficilius quã pastoris.

6 In Episcopo quanta requiratur perfectio, sedulò monet. *Prudenti homini, & cordato primum illud curandum est, vt argenti, atq; auri instar omni ex parte versatus in omnibus rebus, ac temporibus, nusquam adulterinum, ac subæratum quiddam tinniat.* Vide vt nihil fictæ sanctitatis requirat, sed veram, & solidam. talis inter ceteros fuit Carolus Borromæus, qui cũ ingentem auri, argentiq; vim egenis distribuisset, se verum argentum, aurumquè esse probauit.

Episcopi non ficta, sed solida virtus.

7 Ostendit, quantam vim habeat Episcopi exemplum in vtramq; partem. *Maior est improbitas, quæ ad multos serpit, quàm quæ in vno defixa est.* præterea vi-

Episcopi exemplum malum valde nocet.

tium facilius communicatur, quàm virtus. *Non ita vapor exitialis, ac pestis tam facilè diffunditur, quàm subditi celerrimè impleri solent improbitate Antistitis, & quidem multò facilius, quàm virtute.* declarat hoc perpulchro exemplo: *Nam vel parti absynthij amaritudinem suam celerrimè impertit; cum contra mel, ne dupla quidem parte copiosius, dulcedinem suam absynthio infundat.*

Episcopus pictori cōparatus.

8 Idem alia similitudine monet. *Cauendum est, ne admirandæ virtutis mali pictores existamus; aut, vt rectius loquar, pictorum non fortasse malorum, multorum quidem certè malorum exemplum* pulchrè pictori comparat Episcopum, tanquam in subditis imaginem Dei deformatam reficiat, & virtutum coloribus ornet, immò vt ipse se exemplar efficiat; item rectè picturæ ipsi assimilat, vt vel tacēs alijs de se famæ opinionē præbeat, & sit exēplar.

Episcopus longe præcellat inter alios oportet.

9 Episcopus quàm præstare alijs virtute debeat, ostendit: *Pro Præsule non solum requiritur, vt vitiosas animi notas expurget, sed vt meliores etiam inscribat, nec modum sibi vllum honestè viuendi, & altius ascendendi constituat.* græcè est μέτρον mensuram: vt quasi in immensum virtute crescat. pergit: *Nec virtute vulgus anteire magnoperè amplum, & illustre iudicet; sed sic se componat, vt ad legis diuinæ normam, non alios, etiamsi nonnihil in virtute processerint, expendat; nec omnibus eadem conuenire putet, quemadmodum, nec statuæ omnibus eadem sunt, nec oris lineamenta, nec eadem omnium syderum pulcbritudo, & magnitudo; ac vitium Antistitis existimet, non quàm optimum esse.* Præclarum monitum. vide in quam sublime culmen virtutis euehat Episcopum; statuæ comparat, sed alicuius herois, stellæ cōparat, sed primæ magnitudinis; *Stella enim differt à stella in claritate.* Diogenes apud Laertium se chorimag strum imitari dicebat: ille enim sonum excedit, vt reliqui sonum congruum arripiant: ità Præsul alios virtute præcellat.

Episcopus, vt stella primæ magnitudinis.

Prælatus in subditos charitate magis, quā vi vtatur.

10 Prælatus erga subditos, vt se gerere debeat, ostēdit: *Magnitudinis suæ præstantia alios ad virtutem trahat, non per vim sed persuasione; nam quod vi exprimitur, præter quamquod tyrannicum est, nec firmum quidem, ac stabile est: vt planta per vim manibus inflexa, simul ac dimissa fuerit, ad seipsam redit.* Huc refer Herculem illum Gallicum catenis aureis è lingua contextis trahentē alios; & dictū illud celebre: Malus custos diuturnitatis metus.

Episcopatus ars artiū & scientia scientiarum.

11 Docet quàm difficile sit Episcopi munus, quia etiamsi perfectus sit, *non video quomodo quis præfecturā intrepidè suscipere queat; nam profectò ars quædam artium est, scientia scientiarum hominem regere, animal omnium maximè varium, & multiplex.* Notabilis, & præclara sententia, nullam artem, & scientiam esse hac difficiliorem, quia qui regitur quasi conflatus ex pluribus cupiditatibus, moribus, inclinationibus est; oportet autem Prælatum versare se, & multiformem fieri. huc refer quæ sequuntur.

Gubernādi ars difficilior arte medendi.

12 Gubernandi artem lōgè difficiliorem medendi arte esse ostendit: quippe Medicus facilè parat necessaria ad curā; at multa impedimenta Præsuli opponūt subditi. *Velut instructa quædam acies aduersus eos, qui nobis opem ferunt, existit: atque in nostram perniciem fortes sumus, & aduersus salutem nostram periti.* Elegāter dictum, tanquam aciem militarem sic stationes instruimus ad expugnādam voluntatem Prælati: prtærea aut abscondimus peccatum, aut excusamus, aut obstinati sumus, *aut nudo capite, vt aiunt, in flagitium omne prorumpimus*: item odimus eum, qui de nobis curam habere satagit: en quot obstacula in obediēdo; negatio, excusatio, obstinatio, pertinacia, odium.

Subditorum inobediētia difficile reddit regimē Prælati.

13 Pergit in eodem: rursus Medicus versatur in malis, quæ apparēt, Prælatus in occultis: *Cum eo hoste dimicamus, qui nos internè oppugnat, aut nobismetipsis, quo nihil miserius est, tanquā armis in perniciē nostrā vtimur.* hic refer illud Pauli: *Nolite exhibere membra vestra arma iniquitatis.*

Prælati munus egregium.

14 Idem probat à fine; nā scopus Medici est bona corporis habitudo, quod vile, & incertum bonum est; at *Præsuli scopus est animæ pennas addere, ac Mūdo eam eripere, Deoq; dare, diuinamque imaginem curare, Christumque per Spiritum sanctum in cordis domicilium admittere; denique eū, qui supernæ syntaxeos sit, Deum efficere.* Notabiliter, & egregiè dictum de Prælati munere: pende singula, in primis illud; *Eius scopus est animæ pēnas addere, & Mūdo eā eripere.* quantò magis igitur pennatus, & è terra eleuatus esse debet ipse Prælatus! Ægyptij certè mystagogi, vt ait Eusebius, in capite pennas ferebant.

Incarnatio, & passio directa ad reparandum hominis lapsum per opposita.

15 Ostendit pulchrè, & eleganter, totam Incarnationis dispositionem factam ad bonum animæ; ac propterea Prælatū id maximè curare debere. *Hac magistra lex tenuit. huc exinanita Deitas: idcircò Virgo propter mulierem; Betleem propter Eden; præsepiū propter Paradisum.* Nota; Virgo Maria orta est, vt corrigeret Euæ malū; in Bethlem Deus ortus, vt ad Oriētē rediremus; in præsepi iacuit abiectus, vt eleuaret in cęlum: itaque Deipara refertur ad Euam; Bethleem autē ad Eden, ac delicias Orientis; fęnum, & stipulæ ad flores; & poma Paradisi. Addit item pulchrè, & passionis Sacramenta ad eundem scopum salutis refert. *Idcircò lignum ad-*

uersus

uersus lignum, & manus aduersus manum: illæ fortiter extensæ aduersus incontinenter extensam: illæ clauis confixæ, atque constrictæ aduersus remissam, & solutam: illæ Orbis fines contingentes aduersus eam, quæ Adamum è Paradiso exturbauit: idcircò fel aduersus gustum, & corona spinea aduersus prauum imperium, & tenebræ aduersus lumen, etc. Nota, vna manu decerptum est lethale pomum. sed ambas illis Christus opposuit in Cruce, vt efficacius esset remedium, quã peccatum: item Christi manus extensæ, vt totum Orbem amplecterentur, non solùm Paradisum in Oriente, vnde Adam eiectus. Item vide, cur spinis sit coronatus; quia cum regium imperiũ libertatis Adam haberet, eo abusius est: vbi nota græcè est ἀκάνθιον, hoc est sertum ex acantho, quæ similis est spinæ albæ, vnde canora illa auis dicta: Plinius, Acãthis, inquit, semper in spinis viuit: quod vtinam de memoria spinei Christi serti perpetua fieret à nobis, non sine canoro gemitu. Hinc porrò ostenditur, quanto studio à Prælatis curanda sit animarum salus, pro quibus tot, ac tanta Deus disposuit ac pertulit.

16 Pergit in Medici similitudine: *Nos huius medicinæ Ministri, & adiutores sumus, qui præsidimus.* Cogita, quãta est cura Medicorum, & industria in inuestigãdis remedijs, & causis morbi, & dispositionibus corporis, &c. hæc tamen in re vili: multò accuratius igitur varia medicamenta excogitanda Prælato circa animum, vt sunt variæ qualitates hominum: *Alij calcaribus opus habent, alij fræno; alijs laudatio vtilitati fuit, alijs reprehẽsio, &c.* cum aliquibus conniuendum, *ne eos nimis crebris obiurgationibus tanquam fluctibus obruamus; ac dissoluto tandem pudore, quod persuasionis pharmacũ est, ad quoduis facinus audaciores reddantur.* Vide quã cautè agendum; pulchrè pudorem vocat *persuasionis pharmacum*, quia quãdiu pudor est, facilè possumus à vitio retrahere; at si per publicam pœnam iacturam famæ iam se fecisse sentiat, amisso pudore, in peius ruit.

Varia dispositio subditorum difficile regimen reddit.

17 Eleganti similitudine ostendit, quã cautè Prælatus agere cũ subdito debeat; sicut enim salus funambuli in æquilibrio posita est, ita cauendum, nè quisquam in vtramque partem inclinet, sed in medio consistat, nec ad dexteram, nec ad sinistrã vergens: *Pendulo fune gradientibus in hãc, vel illam partem deflectere tutum non est; nec parua inclinatio paruum periculum affert.* Notabile dictum: nam si Prælatus sit asperior, ac rigidior, subditus pernicacior fit inobediens, & ex inobediẽtia ruina. rursum si ille lentior, hic solutior fit, ac liberior.

Regimen periculosũ est vt nos funambuli.

18 Non esse facilè cuique concionandi munus dandum, ait; *Diuini Verbi, & excelsi distributionem, quã omnes hac ætate profitentur, non est cuiuius ingenij; disserere de prouidentia omnia constringente, & gubernante, &c. & quod caput est de principe, et beata Trinitate.* Vides de quibus rebus seriò agendum sit in concione, & quanta peritia requiratur theologicæ scientiæ cum virtute coniunctæ. itaque addit. *Puri tantùm est id attingere, quod purum est.*

Concionandi munus non est cuiuluis ingenij.

19 Ostendit quàm difficile sit Cócionatoris munus: *Quemadmodũ si quis multiplicem belluam ex multis belluis conflatam cicurare velit, huic maximus labor sit subeundus, ac dimicatio; quippe cum nec vocibus, nec alimentis, nec manuum blanditijs, nec sibilis æquè omnes bestiæ delectentur, sed aliæ alijs pro sua natura, vel gaudeant, vel offendantur: ita hominum communitatis corpus instar compositæ cuiusdã, & inæquabilis bellua ex pluribus, varijsq; moribus constitutum, &c.* Vide vt vir Apostolicus totum humani generis, quasi multiforme corpus amplexus, omnẽ industriã, & prudentiam adhibere debeat cum Dei gratia. hinc illud Pauli: *Omnia omnibus factus sum, vt omnes lucrifaciam.* non omnes eodem modo curandi.

Difficile est cõmunitati se attemperare regendo, vel loquendo.

20 Concionis munus, & sacræ scripturæ interpretationem non cuilibet temerè suscipiendam ait. *Hebræorum sapientes hanc olim legem fuisse narrãt in primis rectam, & laude dignã, quæ non cuiuis ætati quiuis scriptura liber cõcedebatur: at nobis nullus docendi, aut discendi terminus est constitutus.* de primo capite Geneseos, & Cantico canticorum, & quibusdam Ezechielis capitibus id refert Abulensis.

Hebræi quædam scripturæ cuiuis, non omni ætati legẽda tradebant.

21 Episcopatum, vel nimis iuuenibus, vel imperitis cõcedi dolet. *Prius ferè quã primam comam abiecerimus; priusquam sacrorum librorum, vel nomina ipsa nouerimus, solùm si pallium scitè contraxerimus, aut zona tenùs philosophati fuerimus, pietatis speciem quandam nobis illinentes, statim sapientes, & magistri sumus.* Rectè igitur cautum à Romanis Pontificibus, vt examen antea subeant, nec ante tricesimum annnm. Tum pergit eleganter. *Ita nè facilè comparatur sapiẽtia? Saltationis quidem, & tibiarum doctrina quædam, ac disciplina est. ad idque & diuturno tempore, & plurimis laboribus opus est, &c. Sapientiam autem, quæ bona omnia complexu suo tenet, vt Deus ipse hoc nomine delectetur, adeò leuem, & protritam esse existimamus, vt ad hoc, vt quisquam sapiens sit, sola voluntas requiratur? rectè Salomon ait: Est malum, quod vidi sub Sole, virum, qui sibi sapiens videtur.* Addit, ita hanc sapientiæ falsam opinionem de se in multis inesse

Episcopatus nec iunioribus, nec rudiori cõficiendus.

fixam, vt morbum hunc sanare, ac reprimere Petri cuiusdam, aut Pauli fuerit, ac magnorum Christi Discipulorum, qui vnà cū gubernatione tàm in sermone, quàm in opere gratiam acceperūt. Vide quàm insitum malum, ac fixum opinionis de seipso quasi sapiente, vt illud conuellere efficacia Pauli requiratur.

24 Quāta sit, & qualis animarum cura ex Paulo percipi posse ait, cuius tot vigiliæ, cruces, persequutiones, &c. *Nunc luget, nunc lætatur, nunc lac propinat, nunc mysteria attingit, nunc virgam minatur; illos dementia accusat: non enim quod suum est, quærebat, sed aliorum: hic enim spiritalis omnis imperij finis est, vbique priuata vtilitate neglecta commodis aliorum consulere.* Vide vt vir Apostolicus quocumque se verset, atque transformet, ob lucrū animarum quod præcipue in Ignatio, & Xauerio admirabile fuit, insinuando se peccatoribus; itaque addit. *Hæc Paulus, & si quis eodem spiritu præditus est; nos autem vereor, ne si cum illis comparemur, stulti quidem Principes Tanaos simus.* Nota de Cōcionatoribus, qui dum nimium docti videri volunt se prædicantes, stulti fiunt. In Vrbe Tanai Ægypti qui præerāt, in rebus dubijs Magos consulebāt. & nota quod ait, posse inueniri in Apostolico munere, si minus pares, certè similes Paulo: eiusmodi Xauerium puto Indorū Apostolum. *Hæc Paulus, & si quis eodem spiritu præditus est.*

Episcopo Pauli solicitudo de salute animarū imitanda.

Xauerius similis Paulo.

23 Pergit in Paulo. *Quin etiam maius aliquid auius, eos ad Christum loco suo introduci pro sua charitate optat. ò ingentem animi præstantiam. Christum, qui nostra causa maledictum factus est, imitatur, aut primus post Christum aliorum causa tanquam impius perpeti non recusat.* græcè est μεγαλοψυχία, mentis magnitudo, dum tam prodigus suæ salutis est. sequitur: *Omnibus rebus humanis crucifixus inferiora omnia cupiditate sua existimauit, quamuis Paradisi spectator fuerit.* Notabilis est hęc circumstantia, & magnam vim habet. quod Paulus, qui Paradisi pulchritudinem, & delitias in illo raptu degustauerat, eas posthabeat saluti alienæ.

Pauli mira charitas in salute gentium.

24 Seriò ostendit, quàm periculosum sit Episcopi, & viri Apostolici munus. *Nō est paruum periculum nostrum. hinc terret nos Michæas deplorans paucitatem eorum, qui hoc officio benè funguntur, vt vix racemus superfit; hinc Dauid: Saluum me fac, inquit, quia defecit Sanctus. Habacuc cum Deo conqueritur. Vsquequò, Domine, clamabo! dissipata est lex &c. monetque vt respiciat ad speluncas serpentium, & bestiarum, hoc est ad impurebarum cogitationum domicilia. Zacharia quidem, quoties meminit, falcem per hoc ipso, & ea, quæ aduersus Sacerdotes testatur. atq; ea quidem, quæ de insigni illo Sacerdote Iesu subindicat, & quæ et Angelum mandantem inducit, quæ vt maiora, & sublimiora sileo, nisi quod à dexteris Diabolus stabat, vt ei obsisteret; res quidem non paruo metu digna. ecquis tam audax est, tamque adamantinus animo, quin ea audiens contremiscat, quæ reliquos Pastores accusando addit? Vox, inquit, lugentium Pastorum, quia afflicta est magnificentia earum. vox lugentium leonum, quia hæc passi sunt. & Hieremias ait: Framea suscitare super Pastores; &c.* Notabilia singula hęc loca sunt de districta ratione reddēda à Prælato, & Cōcionatore: itaque seriò subiungit. *In his cogitationibus dies, noctesque versor. hæc medullas etiam meas eliquant, nec me sinunt sublata facie incedere, vinculum linguæ iniiciunt, faciuntque vt non de præfectura, nec de gubernandis alijs cogitē, quod exuberantia est, sed quomodo ipse venientem iram effugere, ac me à vitij rubigine abradere, purgarique possim.* Mira humilitas: non audebat sanctissimus Doctor attollere à terra oculos, ac potius cogitabat de suo examine ad Tribunal Dei, quàm de Episcopali throno. Et nota, metum de reddenda Deo ratione officij sui, ita internum, vt *eliquaret medullas*. Tum illud nota, diabolum stare à dexteris Sacerdotis, quia præclaras actiones maximè impugnat. porrò Iordanis Hierico alluit, ac multi circum leones sunt; tales erant Scribæ qui imbecilliores terrebant.

Ingens periculū Episcopi, & Concionatoris.

Timor Gregorij de munere Episcopali.

25 Hortabantur amici, vt quamprimùm acciperet Episcopi munus, dicentes: *Quando lucerna erit super candelabrū? vbi talentum? &c.?* quibus respondebat: *Ne extrema quidem senectus longum ad id tempus censeri debet. quis est, qui veritatis propugnatorem vnius diecula spatio velut è luto statuam fingat? illum, inquam, qui cum Angelis stabit, cum Archangelis glorificabit, ad supernum Altare sacrificia trāsmittet, superno Mundo Opificem aget; & quod maius est, dicam, Deus erit, aliosque Deos efficiet. Scio, cuius Ministri sumus, & vbi iacentes, & quò mittētes: scio, quæ Dei sublimitas, quæ potentia; qui infernam caliginem, & carnis crassitiem adhùc gerens, mente totam illam puram mentem spectabit, &c.* Vide quam altè sentiret de hoc munere, & quàm abiectè de se: non esse ait quasi fictilem è luto statuam Episcopum, vt facilè, & statim formetur, seu vel è Pario marmore, vel aliquo insigniore metallo. Exagerat autem, & iure, quantum sit cum Deo versari. *Qui & pulchritudo omnis supra omnem pulchritudinem, qui & mentem illuminat, & mentis sublimitatem effugit, amantesque facit ex eo quod fugit, illicit ad superna.* huc refero illud

Gregorius quàm altè sentiret de Episcopatu, & quàm humiliter de se.

spon-

sponsæ, quæ cũ tam ardenter amaret spõsum, tamen ait: *Fuge dilecte mi &c.*

26 Indignum se hoc munere dicit, licet ab infantia dicatus Deo. *Talem esse oportet animarum nymphagogum, ac pronubum; nihil verò periculum est, nè vinctus excludatur à thalamo*. Vide quo nomine appellet Episcopum; quasi ipsi curæ sit iungere animas Deo spiritalibus nuptijs; & ille, quem fert annulus, non est ad fastum, sed quasi pronubus annulus. Tum de se: *Quanquam ad Deum à vulua ipsa proiectus, & ex materna pollicitatione donatus. cum autem ratio concurrit, Deo dono Dei opes, splendorem, & c. ex quibus hûc dumtaxat fructum cepi; quod ea cõtempsi, & quadam habui, qua Christo anteponerem.* Vide ad quid conferant naturæ bona, vt habeas quid Deo dedices. licet autem, inquit, hæc habuerim, *tamen hoc philosophari maius est, quàm ipsi præstare possimus. nimirum animarum imperium, & præfecturam accipere.* rectè ait, neminem vel sũmo ingenio tã subtiliter, vt par est, philosophari nosse de tã difficili munere.

Episcopus nymphagogus, ac pronubus animarum.

Timor Gregorij de munere Episcopali.

Episcopatus excellentia inuidiosa.

27 Difficultatem eius muneris ostendit ob penuriam bonorum Sacerdotum, & ob corruptos mores. *Hoc tempore, quo inane iam nomen est* Sacerdos; *& vt Psalmista ait: Effusa est contemptio super ipsos Principes hoc tempore cuiusuis est scientia, atque omnes hoc vno pij sumus, quòd alios impietatis damnamus aliorum peccata obseruamus, non vt lugeamus, sed vt exprobemus, vt nouum vulnus infligamus; quæ apud alios infamia notantur, ea apud nos admirationi sunt: vsqueadeò in vitio magnanimi sumus.* magnam vim habet illa vox, & querela: *hoc tempore inane nomen est Sacerdos*: qui tamen Deo plenus esse debet. itẽ illa: *in vitio magnanimi sumus.* nihil non audemus, vt nostræ cupiditati fiat satis, & alijs insultamus.

Inane nomen nunc est Sacerdos, seu Episcopus.

Psalm. 20.

28 Pergit eloquenter de corruptis sæculi moribus conqueri. *Omnia nunc sunt, vt initio antequam Mundi formatio esset, sed omnia confusa, aut in nocturna pugna, obscurisq; radijs, hostium, an amicorũ vultus nõ internoscimus.* sæculũ Chaos quoddam esse dicit inordinatum, nempe vbi lex diuina non seruatur. item astutiam, & fraudem meritò exagitat, vt cum noctu pugnatur, non distinguitur à commilitore hostis. Addit pulchrè: *Spectaculum nouum facti sumus, non Angelis, & hominibus, vt ille athleta fortissimus Paulus aduersus Principes, & Potestates certans, sed omnibus propemodum improbis, in foris, in conuiuijs, in voluptatibus: iam ad scenam vsque prodijmus, & cum impudicissimis ridemur: nec vllum tam iucundum acroama, & spectaculum est, quàm cum Christianus à comicis illuditur.* Notabile dictũ. Paulus erat spectaculum, seù theatrum Angelis ob pulcherrimas actiones: at nunc Christiani theatrum sunt ludijs, & mimicis, qui in scæna, vt risum excitent, fingunt Christianos hypocritas, voluptuarios, &c. ita religio in ludibrium venit culpa ipsorum. itaque pergit seriò. *At Dæmones quidem etiam nunc inuocato Christo contremiscunt, nec ob nostram improbitatem huius nominis vis imminuta, & extincta est; nos verò rem, nomenq; adeò venerandũ contumelia afficere non veremur: Nomen, inquit, meum propter vos blasphematur in gentibus.* & hoc notabile, Dæmones quasi magisterium hominibus dedisse religionis, licet coactos.

Episcopatus difficile munus ob corruptos subditorũ mores.

Paulus athleta fortissimus

Christi nomẽ dæmonibus formidãdum, vile fit ob malos mores.

29 Suæ in solitudinem fugæ rationem dat; non quod persequutionem timeret, sed quia corrupti essẽt omniũ mores: *Nec verò externum bellum metuo, nec feram illam, quæ nunc aduersus Ecclesiam impetum facit, ac Diaboli complementum; licet ignem minetur, licet gladios, licet feras, &c. vnum ad victoriam iter, vt pro Christo mortem appetam.* Nota Episcopi ad martyriũ promptitudinem. persequutorem rectè beluam immanem vocat, & complementum Diaboli, quia explet huius desiderium. Tum sic: *Quod autem ad bellum meum attinet, quod subsidium excogitem? quod Moses manus extendens in mõtem in crucis formam? quod Dauid vel psallens, vel funda pugnans? ego huic bello me imparem esse fateor, ideò fugi, ac solitarius sedere constitui, tempus malum esse cognoscens; nõ vinea illa pulchris palmitibus prædita, & supernis imbribus irrigata, in ignominiam conuersum est diadema decoris mei, signaculum gloriæ meæ* pulchrè dictũ, quasi vera gloria sit, & insignia probitas gregis; & vt subditi ipsum Episcopum similitudine morum referant. quod verẽdum est, nè Fundatores Religionum nobiscum conquerantur.

Gregorij promptitudo ad martyrium.

Gregorij querela de malis moribus sui sæculi.

30 Præter extrinsecum impedimentũ corruptorum Populi morum, internum ponit ex insufficientia propriæ virtutis. *Nondum loquor de interno bello in nobismetipsis, & in affectibus sito; vix porrò quisquam, nec nisi diuturna Philosophia docuerit, & Deum propitium nactus sit, deprimentem materiam superare queat.* Vide quàm sit difficile passiones moderari, & internum bellum strenuè profligare. fecit hoc, quod nõ fit nisi *diuturna Philosophia*, inter ceteros adolescens Aloysius noster.

Passiones domare quam arduum sit.

31 Quanta in Sacerdote puritas, & perfectio requiratur, ostendit. *Recolo Mosen solùm accedere permissum ad legem accipiendam; nec Aaron ipsum, nec filios; & Heli licet reprehendisset filios, sed remissius punitum; & nè corporum quidem labem in Sacerdotibus, & sacrificijs veteribus permissam,*

missam, quantò magis quo tandem modo illud sacrificium, illud magnorum mysteriorum antitypum ipse offerre auderem, aut quomodo Sacerdotis habitum, & nomē subirem, priusquam ad Creatoris admirationē oculos cōuertissem? priusquam adiecta esset aurea inauris pretioso sardio illigata, hoc est sapientis sermo auri rectè auditi; priusquam os spiritum attraxisset, ac lingua exultatione impleta fuisset, diuinaq; melodiæ plectrum effecta; priusquam denique membra arma iustitiæ effecta, omnem mortalitatem abiecissent a vita absortam. mirum quot, & quanta ornamenta requirat à Sacerdote: aquilæ oculos, inaurem auream, plectrum linguæ, & quod præstantissimum est, abstractionem à caducis rebus, & cognationem cum æternitate.

Gregorij humilitas circa Sacerdotium.

Mira perfectio requisita in Sacerdote

32 Episcopum in Theologicis benè versatum esse debere ostendit. *Ecquis eum nondum in thesauros inuisibiles ingressus sit, nondum per omnes Christi appellationes perrexerit. siue sublimiores illas, siue propter nos humiliores, nimirum Dei filij imaginis, ac sapientiæ ac splendoris; item Pastoris, & se Christiano cœtui caput cōstituet?* Vides, Theologiam, ac præsertim materiam de Incarnatione Episcopo necessariam esse; ac pulchrè ait, hæc percipere, idem esse, ac *in thesauros inuisibiles ingredi*: hos thesauros Episcopus spectet magis, quàm annuos reditus nūmarios.

Theologiæ thesauri Episcopo cōparandi.

33 Huius status & excellētiam, & periculum demonstrat: *Est quidem hic metus omnium maximus, qui & operæ praeclarè nauata magnitudinem, & rei infeliciter gestæ pernitiem intelliget* huc refero dictū illud cuiusdam qui hortatu alterius Episcopatum recusauit; cui post mortem per speciem se offerens ait: Si fuissem è numero Episcoporum, essem nūc de numero damnatorum. quamobrem addit hic Gregorius: *Difficilis mercatura: potius in tuto exiguo viuere satago.* annuit tamen dignam rem premio, *si opera praeclarè nauetur*: scilicet vt nauata est ab ipso, & alijs, & nuper à Carolo Borromæo.

Episcopatus excellentia, sed ex periculo

34 Ostendit, cur inductus sit, vt Episcopatum acciperet. *Cessi tandem, quandoque cedendi quoque tempus est; præstatq; honestè vinci, quàm periculosè, & nefariè vincere.* hinc noster Ignatius votum peculiare à suis professis nūcupari iussit de honorum fuga, nisi adigantur præcepto Romani Hierarchæ. De fuga autem Ionæ sic. *Querebatur, ne si tristem Niniuitis nūcium tulisset, postea per pœnitentiam liberata Ciuitate mendax inueniretur; ac prophetiæ auctoritatem velut zelotypia quadam prosequebatur.* Vide quàm benignè de Deo sentirent Prophetæ etiam in grauissimis minis, & quantam agnoscerent inesse in pœnitentia vim. Affert & aliam illius fugæ causam iuxtà quorūdam opinionem. *Quia Israelis prolapsionem perspiciebat, gratiamq; propheticam ad gentes migrare sentiebat, ideò imperata facere cunctatur, ac gaudij specula relicta, hoc enim Ioppe apud Hebræos significat, idest veteri fastigio & dignitate, in mœroris pelagus se proijcit.* Nota, vt in communi calamitate ab omni læta specie sit abstinendum. non igitur fugit Propheta Deum, quem vbique adesse sciebat. Tū de alijs sic. *Aaron promptus erat, Moses repugnabat. Isaias impigrè obediuit, Ieremias iuuenilem atatem metuebat.* Vide, vt intentio opus sanctificet, siue in recusando, siue in accipiēdo. itaque concludit. *His rationibus me incanto, ac mihi animus ferri instar paulatim cedit, emollitur; ac tempus rationum socium assumo.* græcè *κατεπάδω*, id est cōsolor, lenio, incanto. erat enim surdus instar aspidis, nolens audire de honore Episcopatus accipiendo; sed tandem rationibus quasi sapientiæ incātamentis vsus cessit. nec mirum, nam & Christus ait: *Estote prudentes sicut serpentes*, & Dauid vocat: *Verba venefici incantantis sapienter.* Nota, item se ad honorum acceptionem non modò durum sed ferreum præstitisse.

Greg. coactus accipit Episcopatum.

Ionas fuga vnde orta.

Greg. cōtra honores obduratus.

35 In scripturis sacris nihil inesse ait inane, & ad aurium voluptatem. *Ludant fabulæ, & gentiles, qui de veritate parum solliciti, verborum lenocinio quasi præstigijs quibusdam auribus, atque animis offendunt.* Notent hoc vani Concionatores, quos quodammodo gentilibus, & præstigiatoribus similes facit. quid indignius?

Eloquentia præstigiatrix aliena a sacra scriptura

Ex Oratione II. De Solitudine.

1 Solitudinem sic commendat. *Solitudinem complexus eram veluti sociā, ac diuinæ ascensionis matrem, ac Deum ex homine efficientem, totiusq; vitæ ducem ac moderatricem mihi constitueram*; pulchrè vocat, *diuinæ ascensionis matrem*, quo tenerum amorem erga contemplationem ostendit, & simul eius excellentiam indicat. huc refer illud psalmi de iusto: *Ascensiones in corde suo disposuit*: quod autem ait: *Deum ex homine efficientem*: est ob vnionem cum Deo; & quia sic vt Deus nulla re indiget, ita penè solitarius. certè Mosi diuinis colloquijs assueto dicitur: *constitui te Deum Pharaonis.*

Solitudini præclara laus.

Psalm. 83.

2 Arguit eos, qui statim è Tēplo post sacra abeunt ad negotia secularia. *Vos cum me sacra mensa adstrinxeritis, thalamique nuptialis splendorem ostenderitis, nobis relictis, alij ad aliud negotium leuioris ponderis prosilitis, parua ratione habita tum thalami nuptialis, tum ipsius sponsi.* eleganter vocat thalamum nuptialem

Altare Eucharisticū thalamus nuptialis.

alta-

altare, vbi per Eucharistiã Christus sponsus animæ coniungitur.

3 Suum zelum honoris Dei ostendit: *Sermonis aculeum in vos stringam, amore linguam acuente, cum ob mœrorem ex inopinato contemptu in zelotypiam exarserit. si quis vestrum amoris œstro percitus se neglectũ sensit, is nimirùm vim huius affectus intelligit.* Nota: in correctione nõ ira, sed amor acuat linguam in cote zeli. hinc fit, vt se cohibeat. Sed nolo, inquit, perstringere sacrum gregem, &c. Amor est, qui linguam acuit in vitale vulnus, non ira, quæ cudit in gladium.

Correctio ex amore, non ira.

4 In Trinitate æqualitatẽ ponit: *Trinitatis iacturam facimus, quemadmodum malis Diuinitatis arbitris, ac dimensoribus vsu venit, qui dum vnum quoddam plusquã par sit attollant, vniuersum imminuunt:* Pulchra similitudo à dimensoribus in architectura, vbi æqualitas attollendo tollitur. itá si Patrem maiorem Verbo Filio dicas, &c. imperitus igitur architectus Diuinitatis Arius.

Hæretici imperiti architecti Diuinitatis.

Ex Oratione III. in Iulianum I.

1 IVlianum apostatam exagitat, quod literaturæ interdixisset. Licet seculares literas non magni faciamus: *Quandoque vnà cum alijs rebus sermonem etiam immolamus. quare qui hoc edixit, Atticè quidem, & eleganter loqui prohibuit; at ne vera loqueremur, haud quaquã impediuit; simulque & imbecillitatem suam prodidit: perinde ac si quis athletarum edicat, ne fortium, ac strenuorum virorum vllus secum certamen ineat, atque in arenam descendat; id quod timiditatis potiùs, quàm fortitudinis argumentum est. quod si omninò signa conferre, manuq; conserere veritus es, hoc ipso te victum declarasti; mihiq; etiam sine vlla dimicatione palmam adipisci licuit, dũ tantoperè à me dimicatum est, ne dimicationem subires.* Elegans similitudo de athletico certamine. qui ergò contra hæreticos disputant, athletæ sunt fortes. Tum nota, virum spiritalem, cum se Deo dedicat, offerre in victimam omnia sua, non tantùm externa bona, sed interna, ingenium, doctrinam, eloquentiam, &c. *vna cum alijs rebus sermonem etiam immolamus;* Cur igitur hæc in nostram transferimus gloriam, quæ iam mortificationis ferro iugulata dicauimus Deo? acutè autem de Iuliano literas prohibente: *Brutæ stoliditatis edictum proposuit.* est hoc contra Mahometum, suos literas discere vetantem, ne argumentis conuicti Christi fidem amplectãtur. Laudabile autem nostræ minimæ Societatis institutum, vel in eo, quod etiam hoc genus literaturæ prosicetur, ac docet, sermonis scilicet, & eloquentiæ, quam quia ad maiorẽ Dei gloriam refert, rectè sacrificium voces.

Omnia nostra in sacrificium Deo offerenda.

Hæreticos impugnantes athletæ sũt.

2 Eleganter ostẽdit, quod genus auditorum requirat: *Mihi gestit oratio, & ad spiritalẽ choream omnes vocat, qui ieiunijs, orationibus, & lachrymis addicti erunt. eas quoq; animas voco, quæ huius Mũdi scenã, & magnum hoc theatrum ad stuporem vsq; mirantur; & quidem ijs Esaiæ verbis: Mulieres à spectaculo venientes huc adeste; animoque oculo ab omni externa aberratione collecto vacate, & videte, quoniam ipse est Deus;* sic legit. Pulchrè cœtum, & congregationem bonorum vocat *spiritalem choream*, quasi alacrem etiam inter ieiunia, & lachrymas. item pulchrè Mundi scænã, & theatrum dicit, ex cuius cõtemplatione ad Creatorem venimus. referri potest ad eos, qui è sæculo ad Religionẽ veniũt, hoc est ad statum contemplationis. item ad mulieres cum Virgine è Caluario redeuntes refer: *Mulieres à spectaculo venientes;* nam vt dicit Euangelista: *Omnes, qui aderant ad spectaculum illud, percutientes pectora sua reuertebantur.*

Cõgregatio bonorum spiritalis chorea est.

Cap. 31.

Psalm. 46.

3 Hæreticorum conuersionẽ exoptat: *Vtinam ille quoque cœtus ad chorum nostrum se adiungat, qui cum antea cantionẽ haud ignobilem Deo accineret, repentè cantum in diuersum mutat; priuatim choream quandam parum modulatam, & numerosã, & concinnam instituit; quibus idcircò me leniorem præbeo, vt acrius postea obiurgẽ;* de Arianis loquitur. eleganter ait, ab hæreticis symphoniam Ecclesiæ absurdè, & absonè confundi, ac permisceri. Tùm de ijs conuersis sic: *Posteaquam chorum vniuersum repurgauerimus, vno, eodemq; spiritu cõcordes triumphale carmen canamus, quod olim mersis Ægyptijs Israelitæ cecinere. Cãtemus Domino gloriosè; equũ, & ascẽsorẽ deiecit in mare;* Hęresiarchas intellige effręnes, & indomitos. cecinit hoc triumphale carmẽ cum alijs Doctoribus Athanasius; cecinit nostra ætate Bellarminus.

Hæretici Ecclesiæ harmoniã dissone confundũt.

Triũphale carmẽ pro hæreticis conuersis.

4 Diuinæ prouidentiæ regimen ex ipsa Mũdi vicissitudine commendat: *Amos diuinissimè philosophatus. Omnia, inquit, facit, atque immutat, qui mortis vmbram in diluculum vertit, & diem in noctem, ac veluti per circulum quendam Mundum hunc vniuersum gubernat; resq; nostras fluctuãtes simul, & nõ fluctuantes, vt quæ per mutationes quidem moueãtur, ac sursum, deorsumque agantur, aliàsque aliter se habeant, at quantum ad diuinæ prouidẽtiæ ordinem, & constitutionem fixæ, & stabiles sunt, etiã si per contraria gradiantur: Verbo quidem clara, & perspicua, nobis autem incognita, & obscura.* Huc refero rotas illas Cherubicas Ezechielis sursum, deorsumq; volubiles, sed oculis insculptas, quæ diuinam pro-

Cap. 5.

Immutabilis Dei prouidentia mundũ per vicissitudines mutat.

prouidentiam indicaret. apud Ægyptios quoque mystæ in sacris rotam per templum deuoluebant. & nota illud de præscientia Verbi.

5 Ad prædestinationem refert illud Eccl. *Qui potentes de sedibus deponit, & nō suspicantem, & improuisum diademate ornat. Non sic vt iusti traditi, atque afflicti sumus, hoc enim paucis, & rarò contingit, vt velut fortes athletæ tentatorem ignominia perfundant; sed sic vt peccantes condemnati, ac postea misericordiam consecuti.* Rectè afflictiones nostris peccatis tribuendas dicit, licet in Sanctis ad probationem sint. ad hunc porrò Ecclesiast. locum refer Augustini, itemq; Ignatij nostri, qui Religiones fundarũt, inopinatam, & improuisam mutationem. mira vis gratiæ, *quæ non suspicantem & improuisum diademate ornat*, scilicet sanctitatis. Ignatius quidem in castris militans, ne suspicabatur quidem se tàm addictum Dei amicũ fore, & multò minus se diademate sanctitatis ornandum.

Cap. 11.

Mira vis gratiæ in Sanct. efficiendis.

6 Ostēdit sacræ scripturæ lectione afflari quodammodo animum per enthusiasmum, & gliscere: *Videtis quo pacto ex diuinis rebus canticum texam, ac præ voluptate veluti numine corripiar? quicquid humanum est contemnam?* Nempè hæc vera ecstasis, sursũ ab imis istis, ac terrenis attolli. ac nota quantò iucundior sit sacra lectio, quàm prophana.

Ingens iucunditas ex lectione sacræ scripturæ.

7 Comparat Pentapoleos exitium cũ vxoris Loth supplicio: *Mirabilis impiorũ interitus sulphureo igni obrutorum; mirabilior salis columna, conuersionem ad vitiũ traducens, deq; ea velut triumphans.* græcè est παραδοξοτέρα ἡ τῆς ἁλὸς στήλη. Magis paradoxa, scilicet ob rei nouitatem; ac pulchrè statuam illam salis columnam vocat, quia in columnis inscribebãtur etiam quæ ad infamiã pertinebãt, vt mox ait: vt sic alij discerent, non respicere ad vitia sæculi. quasi captiua igitur improbitas ad eam columnam est alligata, triumphum deportante iustitia.

Vxor Loth in columnã salis versa monet non reuertendũ ad vitia sæculi.

8 De inuectiua in Iulianum sic: *Omnia illius scelera tragicis verbis exaggerãda ad historias remittemus; ipsi autē parua è multis commemorãtes quasi in columna insculptam ipsius ignominiam posteris relinquemus.* Vides vt tragicè deflendus sit interitus impiorum? qui autem aduersus hæreticos scribunt, tot colũnas erigunt, quot libros edunt, eorum impia, ac nefaria dicta redarguentes, vt alij caueant.

Scripta cōtra hæreticos quasi columnæ extant.

9 Ingratitudinem primo loco objicit: *Vnum, & princeps illius facinus est, quod à magno Constantio salutem cum fratre consequutus inopinatam, & incredibilem, nec Deo ob salutem; nec Imperatori, per quem salutem acceperat, gratiã habuit:* Hoc etiã Rupertus objicit Adamo, quod cum spiritum, quem acceperat, non statim per suspiria, & vocem, grates agendo, reddidisse legatur Deo.

Ingratitudo taxatur.

10 De amborum institutione sic. *Vtebantur auunculo Imperatore, omnis orbicularis disciplinæ genere ipsos erudiente.* græcè ἐγκύκλιον παιδεύσει. est hoc valde notabile in Imperatore, vt posteros ad imperium promouendos erudiat. non quolibet modo, sed omnium disciplinarum encyclopedia: vt Mundi orbem non ante tractandum accipiant, quàm orbem illum scientiarum perceperint. huc refer, quod Moses futurus dux populi Dei, dicitur: *Eruditus omni sapientia Aegyptiorum*; Ioseph quoque euectus ad regimen, *vt erudiret Principes sicut semetipsum*; quod hic dicit: *Imperatore ipsos erudiente.*

Imperatoris studiũ erga literaturam.

Act. 7.

Psalm. 104.

11 Insigne miraculum narrat in Templi ædificatione; vt ea pars, quã Iulianus ædificabat, semper rueret, nec consistere posset; ea verò, quam frater, firma maneret: *Sumptuosissimis quoq; Martyrum monumentis, ac votiuorum donorum magnificentia Christi amorem declarabant, alter verè, & seriò pietatem profitens, licet natura feruidior esset; alter mansuetudinis specie prauitatem occultans.* Nota, sępè eos, qui viuaciores videntur, intrinsecus esse meliores, quàm qui non videntur. Tum confert ambos cum Abele, & Caino fratribus: *Iuliani munus pro impiorum in hac quoque vita ignominia, non secus ac Caini sacrificiũ Deus Martyrum repudiabat: itaq; ille quidem laborabat, sed terra, quod elaboratum fuerat, excutiebat. ille vehementius adhuc obnititur; hæc fundamenta capere detractabat, tanquam terræmotum cum, quem ipsius scelus allaturum erat, clamans, ac per impijssimi hominis dedecus honorans Martyres. ô singularem Dei prouidentiam futura proclamantem: vt vel impietatem compesceret, vel præscientiam suam demonstraret.* Vtrumque notabile, tum de Dei præscientia, tum de prouidentia, quæ cũ aliquo signo peccatorem pręmonet quasi clamat, vt respiciat. Pergit in eodem amplificans factum: *O insignem inter se Martyrum charitatem: honorem illius, qui multos Martyres ignominia, et dedecore affecturus erat, recusarunt; imò, vt verius loquar, non tulerunt sibi solis contumeliam inferri, cum aliæ ædes pijs manibus cōstruerentur.* Vtrumque acutè Iuliani ædificiũ Martyres destruebãt. præscientes eũ martyrio affecturũ postea multos; vel sibi opprobrio esse putabant, ꝙ ipsi soli ab impio honorarētur, cũ alij Martyres à pijs.

Pars Tēpli à Iuliano ædificata consistere non potest.

12 Ostendit vestigia quædam improbitatis futuræ in Iuliano: *Sicut ignem in materia latentem, etiamsi nondum in luculentam flammam attollitur, emicantes tamen*

Pertinacia in disputãdo in Theologicis malum præfert omen.

men scintillæ quædam, aut fumus è profundo indicāt; & sicut fontes occulti multis terræ locis vaporem in sublime mittunt, tacitumq; ab imo strepitum edunt: ità ille quædam dabat indicia in disputationibus, quas cum fratre habebat, plusquam æquum erat pro ethnicis cōtendens, licet prætextu exercitationis. Elegās metaphora siuè ab igne desūpta, siuè ab aqua. Notabile indiciū, quo ostendit in argumentando contra Theologicas theses, quàm castè, & modestè agendum sit. Addit: *Ipsa Asia impietatis schola erat, tàm quæ circa syderum scientiam, et genituras, manemq; præscientiæ speciem occupatur, quàm quæ circa præstigiarum artem versatur.* Vidè quàm periculosum sit has curiosas artes addiscere, & vt dent indicium haud probæ mentis, & pronæ ad aliquid prauum.

Astrologia facilè inducit ad aliquid prauum.

13 Mirum in modum laudat Cōstātium Imperatorem per apostrophen ad ipsum iàm mortuum, à bellica virtute, à pietate, ac cęteris virtutibus Imperatorijs, præter hoc, quod Iulianum imperio præfecerit. *Licet Deo adiūctus sis, cælestisq; gloriæ hæreditatem acceperis, & imperium cum meliore commutaris, &c. quomodo magnam illam hæreditatem, ac patrium decus, & ornamentum, Christianos dico, gentem illam toto passim Orbe lucentem, regale Sacerdotium multo labore, multisq; sudoribus auctū cōmuni huic pesti, & furiæ tradidisti?* græcè lucentem dicit, ἐκλάμπουσαν, hoc est valdè resplendentem: sic pulchrè vocat Christianam gentem, vt quasi stellæ sint, quæ ab Imperatore quasi Sole splendorem accipiāt exēplo pietatis. quod certè nūc Ferdinādus pręstat. item pro peste, & furia est, παλαμναῖον, hoc est malo genio. refer ad Lutherum.

Christianæ gentis encomium.

In Imperatore vera religio maximè spectanda.

14 Constantium præclaris ornat laudibus. *Qui imperio ipsi, omnibusque fortunis, ac vitæ ipsi incolumitatem nostram, ac salutem libenter prætulit: neque enim quisquam vnquam vllius rei tàm acri amore, & cupiditate correptus est, quàm ille Christianos crescere, atque in summam gloriæ, potentiæ amplitudinem peruenire cupiebat; ac neq; domitæ, ac subiectæ gentes, nec gloriæ magnitudo, nec quod Rex Regum esset, & Imperator, nec omnia alia, quibus felicitas declaratur, tantum illi voluptatis afferebat, quātum vt & nos per ipsum, & per nos ipse, tùm apud Deum tùm apud homines floreremus: illud enim probè perspiciebat, altius videlicet, magisque regiè, quàm plerique solent, cum Christianorum rebus Romanorum quoq; rei incrementum simul cœpisse; atque cum aduentu Christi imperium simul ingressum fecisse, cum nondum hoc prius extitisset, vt in vnius principatū planè deueniret.* Vide in quo boni Imperatoris partes ponat, vt pro suis vitam ipsam, & opes impēdat, vt Christianæ religionis incrementum procuret, hoc sibi persuadēs facere ad incrementum etiam imperij; quod acutè, & pulchrè probat: nàm Imperium vnà cum Christo cœpit, vt patet in Octauiano Augusto. cęterùm hæc vtraq; laus ad Ferdinandum nostrū Imperatorem potiùs pertinet hæresum profligatorē, quā ad Constantium Arianorum fautorem: vide tamen Gregorij modestiā, qui quod est laudis scripsit, ac pro tempore tegit vitia.

Constantij studium ardens in amplificanda fide.

Incrementū Imperij pendet à religionis incremēto.

15 Excusat Cōstantinum, quod Iulianum ad Imperium promouerit. *Sed nimirùm parum est cauta simplicitas, ac benignitati adiuncta est imbecillitas, minimèq; is improbitatem suspicatur, cuius animus ab improbitate liber est: ita eius duæ benignitates inter se concurrerunt; altera erga pium genus; altera erga omnium impijssimum.* Ad eandem postea simplicitatem refert, quod Arianis fauerit. Addit, concessisse illi Imperium, siuè quod putaret corrigendum, siuè *quia suis opibus, & potentia nitebatur, quibus fretus Alexander ille Poro non solùm vitam dedit, sed etiam Indorum regnum restituit: quasi non alia ratione magnanimitatis specimen editurus; qua vinci turpius existimauit, quàm armis superari.* Notabile de Principe dictum, vt turpius existimet se vinci magnanimitate, & liberalitate, quàm armis; quia hoc ad corporis robur spectat, illud ad animum. Tùm spe frustatum ait Constantiū spe, quod Iulianus sic resipisceret. *Iste quibus ex rebus beneuolentiam concipere, ac si quos improbitatis igniculos habebat, eos extinguere debebat; ex his ad maius odium incensus est.* Vide quàm sacrosanctus sit Imperatoris status, vt etiā si quis improbus sit, cum eo munere potiri incipit, debeat vitam in melius commutare. Addit de Iuliano: *Nobilissimum se ex impietate reddidit, cum virtute non posset, rebusque præclaris.* Nobilissimum, idest notissimum, vt ille, qui Dianæ Ephesiæ templum incendit, cum aliter se celebrem facere non posset.

Nimia benignitas Principis quandoq; nocet.

Turpius est Regi liberalitate vinci ab hoste, quā armis.

Imperatoris status sacrosanctus est.

16 Quid Iulianum ad improbitatem disposuerit, ostendit: *Apud veteres Philosophos virtus speciosum dumtaxat nomen est, quid mirum si is, qui ex huiusmodi placitis prodibat, atque ab huiusmodi gubernatoribus regebatur, erga eum, qui ipsum bonore affecerat, malum se, ac sceleratū præbuit?* Notabile dictum. legere solitus erat Iulianus, Platonem, Chrysippum, &c. potius quàm aut sacras literas, aut sacros Scriptores. polit cè potius quàm spiritaliter institutus; hic mali fons, vt & religionem desereret, & in Constantium, à quo Imperium acceperat, insurgeret.

Veteres Philosophos fenai, aberrare est.

17 Narrat quid egerit circa adeptionem

nem Imperij: *Primum illius arrogãtiæ fa-teriut quod sibi ipse diadema imposuit, ma-gnoque nomine seipse ornauit: quod non for-tunæ prædam, sed virtutum præmium, vel temporis, vel Imperatoris calculus elargi-tur.* græcè præda ἅρπαγμα, præmium ἆθλον à re athletica, quasi sudore, ac meritis cõ-parandum sit Imperium, non sibi arro-gandum, ac rapiendum.

Imperium meritis acquirendum

18 Cur Deus permiserit Iulianum in Constantium insurgere, ostendit: *Non ta-men hoc mirentur, qui Dei rationum, qui-bus omnia reguntur, altitudinem coniectu-ra sublimiorẽ non assequantur.* Deus enim omnia dirigit ad bonum, etiam si facto-rum causas ignoremus.

Dei iudicia Inscrutabilia.

19 Iulianum in Constantium ab Oc-cidente pedem mouisse a... prætextu red-dendæ rationis ... cur diadema accepisset, sed reuera, vt eũ interficeret: *Elatus Dæ-monum impulsu, atque hortatu prosperum euentum pollicentium, vt aiunt.* Vide, quò Iulianum adegerit ambitio, vt Dæmones haberet consiliorum suorum duces: sed anteuertit eius impetũ mors Imperatoris

Iulianus affectat imperium dæmonum hortatu.

20 De æterna eius damnatione sic: *Quidam tantùm malorum plagas, pœnasq; in hoc sæculo persolutas deplorant; mihi ve-rò eos grauius lugere subit ob sequentis vi-tæ cruciatus. tametsi quod maximũ est haud dipromam: etenim qualis illa pœna est, ex-pulsio à Deo, &c.* Egregiè hoc indicat, quantum præponderet pœna damni, ex priuatione visionis Dei.

Pœna dãni omnium maxima.

21 Nefarium Iuliani facinus narrat, quo baptismum eiurauit. *Hinc sua faci-nora auspicatus; impuro, & nefario sangui-ne lauacrum extergit, initiationi nostræ execrabilem initiationem opponens; manus-que suas prophanat, vt nimirùm eas ab in-cruento Christi sacrificio elueret, ac repur-garet; per incisiones autem, & sacrificia im-perialem aulam constituit, malis mali Im-perij consiliarijs vtens.* Nempè Baalim, vel Rheæ ritu Sacerdotes aulicos fecit, qui similiter sibi incidebãt genas, & bra-chia cultris, stigmatica Diaboli mãcipia. His oppone Franciscum Assisiatem inter aulicos Dei præcipuum, & Claram à Mõ-tefalco. Cęterùm nota impium facinus; Iulianus, vt quodammodo eraderet san-ctitatem in baptismo acceptam, victima-rum cruore idolis oblato se abluit; & ma-nus, quæ Eucharistiam de eius temporis more tetigerant, inquinauit, vt refert So-zomenes: ἐντομὰς Græci vocant incisio-nes, quas tum genis, tum brachijs facie-bant, & idolorum sacrificia, vt refert Cy-rillus in Esaiam.

Iulianus baptismum abiurat, & incisionibus dæmoni initiatur.

Lib. 2. c. 3.

Esaias 16.

22 Mirum ostentum narrat: *Ferunt, cũ Iulianus sacrificaret, victimarum exta coronatam crucem ostendisse; quæ res alios quidem horrore perfudit, effecitque vt po-tentiam nostram agnoscerent; at impietatis magistro animum addidit, tanquam circu-scripti, atque vndique conclusi essemus: sic enim Crucem, & circulũ interpretatus est. at fortasse his rebus id agebat diuina pro-uidentia, vt illius impietatem compesceret; multas enim, & mirabiles salutis vias Deus inusitato modo aperire nouit, ad misericor-diam propendens.* Nota primò de Cruce coronata tanquam victrice, cum maximè impugnabatur; item pertinaciam malo-rum, qui in contrariam partem accipiũt, quæ circa ipsos fiunt ad bonum. denique diuinæ prouidentię singularem in pecca-tores pietatem, *quæ multas, & mirabiles salutis vias aperit*, licet sciat non profutu-ras. quod autẽ de Cruce coronata dicit: de Sylla refert Augustinus, cum Tarenti sacrificaret, vidisse in capite vitulini ie-coris similitudinẽ coronæ aureæ; sed hoc facilè arte, & fraude fieri potuit, vt de quodã aruspice legitur. qui manus recẽs inscriptas Victorię nomine hostię visceri-bus admouit. certè in Ignatij martyris corde Iesu nomẽ inuẽtũ fuit, & adscriptũ.

In victimis coronata crux apparet, quam Magi ... interpretantur.

Lib. 2. de Ciu. c. 24.

23 Iuliani præstigias magicas narrat: *Descendebat in quoddam adytum, plerisque inaccessum, & horrendum; nam hoc quoque diuinationis genus est, vt in caliginoso quo-dam specu cum subterraneis Dæmonibus ob res futuras congrediantur: siue quia tene-bris oblectantur tenebræ ipsi, et artifices te-nebrarum visi; siue quia piorum hominum, qui in terra sunt, societatem, & congressum fugiunt, ex ijsque infirmiores redduntur.* Vtraq; ratio acuta; nam Principes tene-brarũ dicũtur à Paulo, & ipsimet quo-dammodò pudet nefaria publicè opera-ri; hinc luci densis arborum vmbris opa-cantibus ad hoc cõstituti. contra dicitur de Euangelio: *Dicite in lumine, & prædi-cate super tecta.* Altera ratio tũ pulchra, quod de ijs Dęmonibus puto, qui aliquã-do à iustis victi sunt, vt se in subterraneas specus velut in sepulchrum abdant: sunt enim, qui putent, Dæmonem semel vi-ctum, non audere iterum ad eundem ip-sum tentandum accedere ob pudorem, & metum, sed alios succedere.

Cur Demones subterraneis locis & luctu gaudeant.

24 Pergit de Iuliani præstigijs: *Sonos quosdam insuetos aiunt, tetrosque odores, atque ignea spectra se obiecisse.* Signo ta-men crucis euanuerũt; sed Magus sic per-peram interpretatus est: *Admirationi fui-mus illis, non terrori.* Nota vafritiam, & vide vt ipsi Dęmones suam fœditatem, & pœnam celare non possint: *tetros odores, atque ignea spectra.* sequitur: *Inde ascendit tum animo arreptitius, tum rebus ipsis, ac furioso oculorum obtutu satis significans, quos coluisset; nisi tamen ab eo die Dæmoni-bus oppletus est; enthusiasmum appellant speciosiore vocabulo commutantes.* Vide, vt

Crucis signo satanica spectra euanescunt

Iulianus arreptitius factus simulat enthusiasmum.

vultu

vultu ipso tegi tanta impietas non possit.

25 Affert duas rationes, cur Iulianus non statim martyrio nostros affecerit: Quia *persequutiones, vt aqua calens ferrum, animum ad pietatem obdurāt; & eum, quo Martyres honore affici solent, athletis inuidebat; ac proinde id molitur, vt & vim afferret, & interim afferre non videretur.* Vide quanta sit Martyrum gloria, quam ijs Imperator ipse inuidebat. Tum nota in supplicijs Martyres tanquam in cote gladium, vel lanceam acuisse contra ipsos Tyrannos, & impietatem, adeò vt ipsi Tyranni vinci metuerent.

> Iulianus inuidet Martyrum gloriæ.

26 Item de inuidia Iuliani ex Martyrū gloria: *Quò plura aduersus Martyrum honores comminiscebatur, eò maiores eos, clarioresque reddebat.* Tametsi Martyres eā gloriam in morte non affectent: nàm *hoc potiùs illi faciant, Empedocles, Aristai, Empedotimi quidam, ac Trophonij; ex quibus Empedoclis cum per Sicula foramina diuinitatem, vt fingebat, cōpararet, calceo ignis æstu reiecto proditus est.* Vide quid ambitio diuinitatis excogitarit. Empedocles, vt non inuentus, ad Deos euectus putaretur, se in Ætnam immisit clàm: impetus autem ignis calceos eius euomuit, quo fraus patefacta est. contra Io: Baptista, cū Deus & Messias haberi posset, negauit se calcei Christi corrigiā soluere dignum.

> Empedocles affectans diuinitatem se in Aetnam coniicit.

27 Hypocrisim Iuliani cęlari non potuisse docet, quin ansas quasdā daret odij in nostros: *Chamaleontem ferunt in quoduis facilè mutari, atque omnis subinde colores, candore excepto, suscipere: sic etiam ille Christianis, prater clementiam, in quoduis se vertebat, vt crudelis esset ipsa leuitas.* Notabile illud est de Chamalæōte, quod omnes colores inducat, præter candidum, qui simplicitatis est, apertè hypocritam innuens.

> Hypocrita Chamaleōti similis.

28 Astutiam Iuliani in apostasia ostēdit: *Stratagemma illius fuit, vt à domesticis, & satellitum manu sceleris exordium duceret; atq; ob hanc causam aulam totam commutat, alijs submotis, & expulsis; milites deindè allicit facilè, quod honoribus dediti essent, &c.* Vide quàm facilè sit, honoris appetentem præuaricari. multos tamen repugnasse ait.

> Aulici, & honoris auidi faci è peruertūtur.

29 Iuliani odium in Christi crucem in militaribus signis eleganter ostendit: *Quin etiam aduersus magnum illud vexillum audacia effertur, quod cum Cruce magnificè præcedit, in altumq; eleuatum exercitum ducit, ærumnarum soluendarum vim habens; hincque apud Romanos nomen trahens, ac principatum in reliqua omnia vexilla tenens, tàm quæ Imperatorum imaginibus, atque expassis texturis, in varijs tinctūris, ac literarum picturis decorantur, quàm quæ horrendis draconum hiatibus sublimes per summas lanceas elatis inflata, & per tractus contextis squammis distinctos agitata iucundissimum simul, & horrendum spectaculum oculis præbent.* Labarum intelligit Cruce insignitum, & Christi nomine, quod præcessisse ait cętera vexilla, etiam Imperatoris imaginem continentia; pulchrè autem vexillum illud, quod à Draconarijs militibus ferebatur, describit, vbi draco erat effictus vento flante sinuosus, & sibilans, quod opponit, & pręponit vexillo Crucis, in quo Christus se instar serpentis in deserto exaltatū dicit.

> Labarum in signo crucis præcedēs cętera signa, vt [illegible] &c.

30 Iuliani apostasiam, qua se Christianum eiurauit execrandis ritibus, acriter perstringit: *Homo impijssime, tu nè aduersus Christi sacrificium cum tuis piaculis? tu nè aduersus eum cruorē, quo Mundus purgatus est cum tuis cruoribus? tu nè bellum aduersus pacem? tu nè manum aduersus eā, qua & pro te, & propter te clauis transfixa est? tu nè aduersus fel gustum tuum? aduersus Crucem trophæum? aduersus resurrectionem insurrectionem?* Rectè exprobat præcipuè sanguinem Christi, quem vt execraretur, opposuerat ei sanguinem animalium brutorum, & illius felli, epulas magicas, &c.

> Iulianus opponens Christi passioni sacra magica exagitatur.

31 Item detestatur, quod religionem illam, pro qua tot Martyres tāta perpessi sunt, abiurauit: *Non victimas pro Christo cæsas veritus es? nec magnos pugiles extimuisti, Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, Theclā, ac reliquos, qui pro veritate cum igni, & ferro, & belluis, & Tyrannis alacri animo, velut in alienis corporibus, imò quasi corporis expertes dimicarunt? à quibus Dæmones propelluntur, morbi curantur, quorum vel sola sanguinis gutta, atque exigua passionis signa idem possunt quod corpora. hæc non colis, sed colis omnis, qui Herculis rogum ex calamitate, iniurijsque mulieris illatis excitatum admiraris, & Pelopis laniationem, ex qua Pelopidæ ab humeris, & ebore nobilitati sunt.* Vide vim reliquiarum Martyrum, vt sola gutta sanguinis, vel particula corporis esset pro toto corpore, Dęmones fugaret, &c. Nota autem, est fabula de Hercule Deianiræ opera vestē induēte Centauri sanguine infectā, qua furens in rogum se coniecit. itē de Pelopis eburneo humero. admirari potiùs debuit Laurentium in rogo, & humeros Martyrum flagris cruentos. pulchrè autem magnos appellat pugiles, Apostolos, Stephanum, imò Theclam.

> Vis magna in exiguis reliquijs Martyrum.

> Martyrum gloria præfertur gentilium fabulis.

32 Item arguit, quod non Martyrum, sed Gentilium tolerantiam Iulianus exagerare soleret: *Tu, qui etiam Phrygum, qui tibiæ suauitate mulcentur, & post tibiæ cantum contumelia afficiuntur, exsectiones, & in Mithra sacris adhibitas cruciatus,*

tus, & mysticas vstionis, & apud Troiam puella regia sacrificium, & Meneto pro Thebanis fusum sanguinem, posteaque filiorum Scedasi in Leuctris. qui Spartanos adolescentes sese lacerantes laudas, & ara cruore respersam Deam castam, & virgini oblectantem. qui Socratis cicutam extollis, & Epicteti crus, & Anaxarchi vtrē, quorum patientia coacta nō libera; qui Cleombroti Ambratiotæ saltū ex libelli de anima lectione. Mithra Sol est, & Mithrica appellabātur eius sacra; miro autem, & notabili ritu: nam ei initiari nemo poterat, nisi prius per quædā ardua experiméta, & supplicia transisset; erāt autem hæc octoginta, quasi gradus tormentorum, vt ait Nonnus, ex quibus duodecim præcipua, fames, sitis, ignis, verbera, iter arduū, &c. vt refert Nicetas primùm leuioribus, deindè acrioribus afficiebātur; atq; ità post decursa suo ordine omnia tormenta, sacris imbuebantur. primis diebus experiēdus erat aquæ cruciatus, deindè ignis; posteà in solitudine aspera degere oportebat, sibique ipsi inediam imperare: ad hæc, cętera cruciamenta ferenda erant, quibus si superuixeret, nonnulli enim inter ipsas pœnas interibant, tum demùm initiabatur, probata tolerantia, & fortitudine: quod certè Solis iustitiæ Sacerdotibus, quales nos sumus, magnam affert erubescētiam. Menetus autem Creontis, Thebarum Regis filius, cum Thebæ oppugnarentur, & Tiresias vates oraculum ederet fore vt bellum statim cōficeretur, ac vincerēt Thebani, si quis regij sanguinis vltrò morti se deuouēret; ille inscio patre, veste mutata, in cōfertam hostium aciem se immittens interemptus est. adeò Diabolus odorabatur nescio quid futurū in Messia, quod inuidebat, legerat enim illud Esaiæ: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, &c.* Rectè igitur arguit, nam tolerantia illa aut Dęmonibus dicata erat, vt in Mithræ sacrificijs, vbi contumelijs probari oportebat; & in Dianæ, vbi eius aram adolescentes per flagra cruore respergebant; aut coacti, licet fortiter, moriebantur, vt Anaxarchus, & Socrates, nō ità Martyres nostri, qui spōtè. Hos potiùs, inquit, laudare, & admirari debuit Iulianus, nō Cleōbrotū, qui lectio Platonis libro de immortalitate, se saltu præcipitauit. Appollonia certè virgo admirabilior, quæ saltu se vltrò librauit in rogum. Quod autem ait de Epicteti crure: huic cum à Tyranno crus vinctum esset, ac multò post interrogaretur, an solui vellet, respōdit; Quid ità? an ego vinctus sum? sibi vindicās propriè hominem animam dici debere, non corpus; sed admirabilior noster Ignatius, qui intrepidè, & spontè sibi secari crus voluit, tormento bellico ictum; & Xauerius, qui crura arctissimis vinculis vltrò sibi alligauit ad tolerantiam, non sine vitæ periculo, nisi diuinitùs curatus esset.

Martyrum constantia præfertur incisionibus, & vstionibus Dijs initiatorum, &c.

Mithrę initiabantur per 80. gradus tormentorum.

Ignatij cōstantia in crure exscindo, & Xauerij in vinciendo.

33 Item elegāter admodùm ostendit, Iulianū non veteres Philosophos, &c. admirari debere, sed potiùs religiosos Deo dicatos, præsertim contemplationi deditos, quorum mores sic pulchrè describit: *Est generosi, & sapientis animi, nè hostium quidèm virtutem contemnere: Vides nè hos pauperes, & laris expertes, & penè carne, & sanguine destitutos, eoq; nomine ad Deū accedentes? hos vinculis obstrictos, ac liberos, quorū nihil in Mundo, & omnia. quæ supra Mundum sunt? fons lucis est, & quorū iàm radij, quorum Angelici psalmorum cātus, & pernox statio, & mentis ante mortē in cœlum se rapientis ad Deum excessio; quippè nullam ascensus, & deificationis mensuram agnoscentium; quorum rupes, & quorum Cœli; quorum abiectio, & quorum throni; quorum nuditas, & quorum incorruptibilitatis indumentum; quorum solitudo, & quorum sæculi alterius celebritas; quorum lacrymæ Mundi piamentum; quorum inter precādum manus flammam extinguunt, feras consopiūt, gladiorum aciem retundunt, instructas acies in fugam vertunt, tuamque etiam impietatem, mihi crede, compressuræ sunt.* Nota pulchras antitheses. *Vides hos vinculis adstrictos, & liberos? &c.* Tum nota, vt vita religiosorum imago sit cœlestis: *Quorum iàm radij, & mentis in cœlum se rapientis ad Deum excessio, &c.* hinc radij illi è nostri Ignatij vultu prodeuntes, & miræ ecstases. Tū vide efficaciam orationis in religiosis: manus dùm in cœlum tenduntur, pugnant, & debellant hostes, &c.

Religiosi status pulchra descriptio.

34 Minatur Iuliano eum non impunè abiturum: *Etiam si ad tempus extollaris, impietatisq; fabulam cum Dæmonibus ludas*. pulchrè, & acutè: nàm fabula tragica catastrophen habet ex prospero statu in miseros casus: Iulianus in suis superstitionibus quasi in scęna Dęmones histriones habebat, agebatq; omnia per illos.

Impij fabulam tragicam dant in miseriā desinentem.

35 Virtutes nostrorum solidas prępo-nit falsis veterum, quas Iulianus admiratur: *Hæc sanè, & Solonis cupiditate, quam Crœsus auro Lydio coarguit; & Socratico, vt honestè loquar, pulchri amore; & Platonis liguritione, ob quam venditur; & Diogenis illius dolium incolentis dicacitate multò præstantiora sunt: magnus apud vos Crates, qui depascenda prædia sua reliquit, sed gloriæ studio; & Zeno, qui in naufragio gratias Fortunæ egit, quod se ad philosophiam redegisset. magnus Antisthenes, quod à petulanti quodam, atque audaci homine toto ore contusus, atq; comminutus, in fronte dumtaxat, quasi in statua percussoris nomen*

Veterum Philosophorum virtutes nihil habent solidi præ nostra.

men inscripsit, fortasse vt acerbius accusaret. acutè perstringit, nam nos in fronte potiùs crucis signum præferimus ad tolerantiam denotandam, vt Christus in cruce pepercit inimicis; contra verò Antisthenes in fronte quasi titulo inscripto, calumniam celebriorem fecit.

Platonis vmbratilis Respublica à Iuliano laudata irridetur.

36 Negat Iulianũ profecisse ex libris ethnicorum, præsertim Platonis: *Qui ciuitates sermone fingit, quæ reipsa construi, & augmentari nequeunt*. argutè confert cum vmbratili Platonis ciuitate eam, quam Iulianus quoque facere, & instruere cogitabat ad nostrorum rituum similitudinem. de illa lepidè, vt solet, Lucianus fingit, Platonem quæsitum, nec inuẽtum apud Inferos, quod esset in condita à se ciuitate. Socrates in Timęo fundatam illam mente ciuitate cupere ait se videre motu incitato, hoc est iuxtà legũ propriarum præscriptum regi, & gubernari; se adhuc picturam vidisse: ità dicit ironicè Gregorius se velle videre eam Iuliani ciuitatem, quam fingebat, nostros ritus simulãtẽ; & cũ in scenam producebat Hesiodum, Orpheum, &c. quantò admirabiliores religionum Fũdatores? qui quem instituerunt ordinem sanctissimis legibus, viderunt, & rexerunt sanctitate toto Orbe florentem.

Fundatores rel[igionum] Platoni præponuntur vmbratilis Reipublicæ architecto.

Quidã tota die stans orabat Solẽ adorans cũ propinquior terris

37 Pergit in eodem *Laudat etiam Iulianus quendam eorum, qui non longè ante nos fuit, quod toto die stans Soli preces adhibuerit: fortasse id tempus captarat, quo propinquior terris est, vt orationem contraheret, eamque simul cum ipsius occasu finiret*. Cum Roma à Barbaris bello vexaretur, Romanus quidam philosophus sub Solis ortu stãs per totam diem in oratione versatus dicitur, donec de lapso è Cœlo igne vnà cum Barbaris ipse crematus est. at Gregorius irridet philosophum, qui tempus illud obseruasset, quo erat Sol proprior terris, nè diù laboraret in orando, cum post æquinoctium autumnale ad australem partem Sol progrediẽs, ad humiliorem, terræq; viciniorem ortum venit; qua ex parte cum exoritur, diem omnium minimum constituit. atqui is non modò precationem, sed etiam vitam vnà cum Sole occidente finiuit: hoc illi ardẽtes preces contulerunt, vt delapso è Cœlo igne combureretur. contra de Abele orante dicitur, iuxtà Theodotionem: *Inflammauit Dominus super Abel, & super munera eius*: sed ignis ille delapsus nonnisi splendorem Abeli contulit; sicut & globus ille igneus, qui Martino, dùm rem diuinam faceret, incubuit. & notandam potiùs laudãdus Antonius, qui integram noctem orabat, dolebatq; quod Sol manè quasi citò surgeret, & noctis silentium interturbaret. Est tamen in quo religiosi erubescant, cum gentilis ille stans immotus Solem precando intentus aspiceret vsque ad occasum. Addit. *Laudat quẽdam, qui hiberno tempore pernox in speculatione quadam stetit, & ne vim quidem frigoris propter mentis abstractionem sentiret*. At hoc in Sanctis frequẽs: Ignatius ob vnius perditi iuuenis salutem in gelidissimum lacum se immisit: omitto miras eiusdem ecstases. Præterea *Laudat in Homero discendi amorem circa Arcadicam quæstionẽ, & in Aristotele diutinam moram ad reciprocos Euripi æstus, quibus vterq; occubuit. efferi etiam Cleanthis puteũ, & Anaxagoræ cingulum, & Heracliti tristitiam*. At circa hæc pauci apud gentiles, apud nos innumerabiles, nec viles, sed nobiles viri, & puellæ ipsæ commemorantur laude omninò digniores. nota quod ait de Aristotele, & Homero: Aristoteles in Euripum se demersisse dicitur, cum causam percipere nesciret æstus reciprocantis; & Homerus præ tristitia obijsse, cum nesciret soluere quæstionem illam de pediculis: Quos cepi, non habeo; quos non cepi, mecum fero. Euripus septies in die mutatur, aqua enim effugit, ac veluti absorbetur, rursusq; regurgitat. & cumulatur: quid est autem homo nisi Euripus quidam passionibus æstuans, ac semper mutabilis? *Septies in die cadit iustus*. Cæterùm laudandus potiùs Thomas Aquinas, qui difficilia quæque etiã circa diuina apud Crucifixum penetrabat, quem etiam probatorem habuit. illud verò de Anaxagoræ cingulo ad eundem refer, qui ab Angelo cingulo accinctus est ad tutamẽ pudoris. Anaxagorã hũc aiũt de difficilioribus quæstionibus librum edidisse, quod Cingulum inscripsit, propterea quod eos qui hunc legerent, arctaret, constringeret, ac difficultatibus alligaret. græcè ἱμάντα: est autem ἱμὰς lorum, itemq; flagellum. hoc cingulũ optimè referri potest ad libros S. Thomæ, qui argumentis aduersarios veræ religionis constringũt, conuincunt, ijdemq; flagellum sunt Hæreticorum, atq; Gentilium: ipse verò ab Angelo puritatis cingulo adolescẽs præcingi meruit. Quod verò de Cleanthis puteo ait, nempè hic cum nõ haberet vnde se alere posset, noctu aquam hauriebat irrigans hortos, per diem philosophabatur: Thomas verò Aquinas à Crucifixo sapientiam hauriebat, iuxtà illud: *Haurietis aquas de fontibus Saluatoris*. Heraclitus autem humanã omnia fletu digna putabat, sicut contra Democritus risu.

Philosophus sub Solis ortu integro die orans igni cęlesti consumitur.

Amor sapientię maior in nostris, quàm in veteribus philosophis.

38 Ostendit frustrà persequutionem institui à Iuliano, cũ tàm religio firmiter radicata esset; adeò enim creuit, inquit, *vt eã immutari, ac mouere conari nihil aliud sit, quàm Romanum imperium conuellere*; quia

Religionẽ vbiq; stabilitam frustra cõuellere conatur Iulianus.

quia scilicet vbicunq; floret Romanum imperium, floret & religio, hoc est toto Orbe terrarũ. metaphora est arboris firmissimis nixæ radicibus, quæ ramos latè extẽdit. Addit: propter religionem Christianam, & principatum: *Nos beati sumus. vsq; ad auream illam ætatem redijmus seditionis expertem, ac pugnæ*. Verè hoc tẽpore dici potest, sub Imperio Ferdinandi, & pijssimorum Regum. Libanius in laudem Iuliani aiebat, aureum illud tempus, ac sæculum, de quo Hesiodus loquitur, Iuliani tempore restitutum, ob tributorũ scilicet relaxationem; at potiùs ille, & ferrum acuit in nostros, & ferro ipse in Persico bello peremptus est.

Aurea ætas religionis nunc est.

39 Aiebat Iulianus, sibi obsistere Persas, sed maximè Galilæos *Galilæos vocari iubet Christianos; ex quo perspicuè ostendit Christi appellationem perhonorificam esse, maximiq; ad gloriam momenti, quoniã eam nobis eripere cogitauit: nisi fortasse id fecit, quod eius nominis vim, potestatemq; reformidaretur*. acutè arguit de honorifica Christi appellatione. Multò igitur magis Societatem Iesu hic Imperator odisset, quod nomen, & honorificentissimum est, & Diabolo ipsi maximè horrificum. Tùm nomen mutatum sic in eũ per irrisionem retorquet. *Nolumus nos & ipsi vertere nomina, & vocare Phallos, & Ityphallos, & Melampygos, & Hircopedes, & venerandum Pana illum ex omnibus procis vnum Deum, atque à contumelia nomen consecutum Bubinam. relinquemus & Triuesperum, eum ità progenitum, & ità magnificè progignentem, ac pro decimotertio certamine quinquaginta Thestij filias comprimentem*. Herculem intelligit, in cuius conceptu triplicata nox dicitur. & acutè illudit dicens, duodecim eius laboribus & certaminibus addendum decimumtertium de immenso stupro tot virginum. Circa hunc porrò tertium decimum Herculis laborem acutè, ac lepidè ludit Diagoras apud Epiphaniũ; nàm cum is lignorum pecunia laboraret, ligneum Herculem in ignem iniecit dicẽs; Age Hercules, decimam tertiam ærumnã exanthla, & nobis obsonium coque. Simile est illud, quo propheta cultores simulacrorum irridet, nàm cum tertiam eius ligni partem ad vsum suum concremarint, & in cinerem redegerint, de reliquo Deũ faciunt, & adorant. Tùm de ipso Iuliano sic. *Possemus & nos de eo nomina fingere, & vocare Idolianum, & Pisæũ, & Adonæum, & Tauricremum, vt nonnulli eum lepidè idm appellant*. Denique ait, stultè eum putasse ob nominis mutationem nos fidem deserturos, cum Christus se Samaritanum dici permiserit.

Christiani nominis inuidens dignitati Galilæos vocabat.

Portentosa nomina Deorũ inducta ex flagitijs.

Baruch. 5.

Iuliano varia nomina ad ludibriũ tradita.

40 Iuliani astutiam sic carpit. Illud admodùm prauum, & malignũ; ne videretur nostros cogere tyrannicè: *Leonina pelli vulpinam, aut Minois laruam summa iniustitiæ prætexens, leniter vim inferebat*. est hoc adagium: nihil autem Principe indignius, quàm fraus, & astutia; ideò Christus Herodi adultero, & Ioannis parricidę, nec canis impudentiam, nec tigridis sæuitiam, sed vulpis fraudem exprobat: *Dicite vulpi illi*. volebat enim, vt Iulianus, pius haberi, templum ornãs, Ioannem libenter audiens; at impietatem tegebat. huc spectat quod sequitur.

Fraus, & duplicitas dedecet Principem.

41 Rursus eius & fraudem, & impietatem perstringit. Est in more positum, vt statuis Imperatores ornẽtur; nec enim ijs sufficiunt coronæ, diademata, purpuræ, &c. sed adorationem quoq; volunt nõ solùm in seipsis, sed in imaginibus. *His porrò imaginibus aliud quidpiam appingi gaudent; quidam clarissima dona offerentes, alij Victorias caput eorum corona cingentes, nonnulli magistratus adorantes, alij ferarum cædes, alij Barbarorum domitorũ, & ad pedes iacentium figuras*. Iulianus autem voluit cum Imperatoris honore cõiungere etiam idolorum cultum, proponens suas imagines dęmonibus intextas adorandas: *Dæmonas, velut alias quasdam picturas suis imaginibus adiunxit*. Itaque multi è nostris sagaciores fraudem animaduertentes, cum adorare nollẽt, quasi læsæ maiestatis rei pœnas luerũt, alij decepti. id sic exagerat: *Priuato homini astutè aliquid facere fortasse concedemus, qui vim adhibere nequeat: Imperatori autem cum vi, & potentia operari admodùm turpe est tùm verò turpius conatus suos arte occultare*. Notabile documentum de Principe: fraus enim potentiæ iuncta perniciosior fit.

Iuliani astutia vt inter Deos coleretur.

42 Impium alterũ Iuliani stratagemma narrat, quo incautos Christianos ad idololatriam traducebat: *Melampũ quendam, aut Proteum suspicari posses, ità in omnia se vertebat. Imperatoris largitionis dies accessit, quo donatiuum militibus dare se velle dixit; proponebatur aurum, proponebatur thus, in propinquo erat ignis. aderat quispiam, Imperatoris dexteram adorabat, nec se carnificem suum adorare nouerat. Ferunt quosdam eorum, qui per ignorantiam capti, ac circumuenti sunt, deindè ad mensam accubuisse cum contubernalibus; & cum conuiuium ad consuetum frigidæ potationis accessisset, quasi nihil grauius ipsis accidisset, ad aqua poculum, sublatis in altum oculis Christum cum Crucis signo appellasse. Tùm contubernalium quendam dixisse: Quid hoc est, quod Christum post abiurationem vocatis? illos statim exanimatos dixisse, quo tandem modo abiurauimus? hunc verò respondisse, cum thus adolem-*

Astutia Iuliani inducendo incautos ad idololatriã.

Mos antè potum signandi poculum cruce oculis in Cœlum erectis.

leuistis. tùm verò illos statim è conuiuio exilientes velut furiosos, & mēte captos per forum cucurrisse exclamando: Christiani, Christiani animo sumus. audiant omnes mortales, & ante omnes Deus, cui & viuimus, & moriemur: fidem tibi datam, Christe, non fregimus, fraude circumuenti, non auro sauciati sumus; impietatem exuimus, per cruorem purgamur. tùm ad Imperatorem celeritèr profectos, auro proiecto, exclamasse: Nō accepimus dona, sed mortis dãnati sumus. da hoc beneficium Christo; nos macta; ignem igni repende, pro cinere illo in cinerem nos redige: manus amputa, quas sceleratè porreximus; pedes, quibus malè occurrimus. Præclara omninò, & egregia protestatio fidei, & detestatio facti cum animo parato ad mortem. nec modò piè, sed acutè opponunt igni, ac cineri, quo thus in ara adoleuerant, exustionem suã, & manuum, pedumq; amputationem. sed addit: *Apertè quidem illos interficere noluit, nè Martyres efficerentur, qui quãtum in ipsis erat, Martyres erant; exilio tamen mulctauit.* Nota, alterum fraudis fuit, alterum inuidiæ. & vide vt martyrium sit etiam in voto.

Præclara protestatio fidei militum à Iuliano deceptu[m]

43 Iuliani sæuitiam, & impietatem tãdem diutiùs occultari non potuisse, sed cum impetu se effudisse ait; ostenditque eleganti Ætnæ montis exemplo: *Quemadmodùm Aetnæum ignem narrãt Aetnæ radicibus abscondi, ab ima parte redundantē, reiectum & compressum, priùs quidem horrendum sonum edere, fumumque propinqui mali indicem vertice suo euomere; quod si fortè amplior, & exuberantior fuerit, rapidiorque quàm vt coerceri queat, tùm verò finibus suis æstu vehementi extrusum, ac supra foramina sese effundentem, finitimas oras horribili effusione vastare.* Ità Iulianus odium in Christianam religionem, quem conceperat, tãdem violentèr effudit. quod de Ætna dicit, id nuper in Vesuuio vidimus, sed maiore cum tumultu, fragore, atq; pernicie; vt apparet ex his, quæ typis mãdauimus. Hieronymus etiã iuuentutem minimè sobriam cum Ætnæ incendio comparat.

Iuliani impetus in nostros Ætnæ incendiario mõti comparatur.

44 Strages nostrorum ipso imperante factas narrat: *Omitto columnas cruore plenas, bonorum manibus, atq; complexu, cùm virgis cæderentur, per orbem cinctas. Alexandria sacrosanctum templum nostrum duplici cruore, hoc est, victimarum, & hominum impleru[n]t, Imperatori; cuiusdam Philosophi ductu.* Nota morem in verberando; nàm probabile est, Christum flagellatum, lictoribus circumdatum: *Cæsũ per orbem columnam cruore implesse.* Pulchrè autem dictum de amplexu Martyrũ circa columnas cruentas, quo amplexus nomine alacritatem innuit. Vide etiam

Martyres ad columnas in orbem cæsi circũcirca crudeliter.

vt Gētiles philosophi veram Christi philosophiam oderint, quippè stultos declarauit. Illud verò planè barbarũ, & prorsus impium, quod in Vrbe Arethusia factum narrat: *Virgines castas, & Mundo sublimiores in mediũ productas, vestibusq; nudatas, ac posteà proscissas, atq; dissectas. O Christe, quomodò tuam illius temporis patientiam feram? partim proprijs dentibus comminutas vorarunt, partim palpitantibus adhuc visceribus suilium pabulum inseruerunt.* Meritò immane facinus exsecratur. libet similitèr exclamare in ijs, quæ hæretici in Gallia, & Britannia maximè crudelitèr, & impiè in catholicos egerũt nostra tempestate. Egregiè autem vocat Virgines Deo dicatas, *Mũdo sublimiores.*

Horribilis immanitas in Virgines sanctimoniales.

45 Narrat de Marco Arethusio, qui Idolorum templum euerterat; postea fugit non ob metũ, nàm fugiũt & Sãcti sed *Ne persequutoribus suis ad hostile periculum ex seipsis aliquid conferant.* Deindè videns alios suo exemplo nutare, redijt. ei vitam concedunt, modò ad se redimēdum aliquid pecuniæ licet modicæ tribuat: cum eam Christiani offerrent, recusauit. Tùm crudele, sed illustre eius martyrium describit: *Pietatis pars esse censebatur, pugilem senem aduersus totam ciuitatem decertantem superare: raptabãt per plateas; crinibus distrahebant. admista tormentis contumelia ab ijs, qui in Mithræ sacris huiusmodi supplicijs iure cruciantur; à pueris ad pueros pēdulus remittebatur, cultris pœnarijs generosum eius corpus excipiebant. tormentis etiam tibiæ vsque ad ossa comprimebantur; lineis filis aures amputabantur, ipso interim sporta in altum sublato, melle perfusus sub ardentissimo Sole apibus exponitur. hic senex ille ad certamina iuuenis, qui ex ipsis cruciatibus delitias capiebat, memorabile illud dixisse fertur: Signum illud sibi placere, quod sublimem se perspiceret, illos contra abiectos, & humi sitos: vsqueadeò superior eis erat, à quibus tenebatur; adeoque à molestia remotus, ac si alienis periculis interesset, suppliciumque suum pompam, non calamitatem esse duceret.* Nota ijs cruciatibus hunc Martyrem affectum, quo Mithræ idest Soli initiabãtur, scilicet ex quibus nonnisi splēdorem virtutis accepit & mira certè in sene cōstantia, quam nos in encomijs amplificauimus; nec minus acuta illa vox fuit, qua hostes infrà se positos irrisit, quàm ipsi apum aculei, quibus configebatur; quæ item apes ad mellificium diuinæ cōsolationis, qua interim perfundebatur, deseruierunt. Quod autem de auribus amputatis ait, referri potest ad tres Martyres nostros Iaponicos, quibus item amputatæ ante mortem aures sunt. & ijdem dùm curru, quem Barbari ignominiæ currum

Mira constãtia senis martyris inter sæuissimos cruciatus.

Egregia vox martyris in tormentis.

vo-

vocant, sed illis triumphalis fuit, ferebantur ad crucem: *Supplicium suum pompam, non calamitatem esse ducebant.* Legimus & sponsæ solitam auris particulam amputari, quò spectat illud: *Desponsabo te mihi in fide.* Addit Marci huius constantia attonitum Hipparchum, licet gentilem, dixisse Iuliano: *Nonne pudet nos, Imperator, vsquadeò Christianis esse inferiores, vt nè senem quidem vnum superare potuerimus?* Eiusdem, ac fortasse maioris sæuitiæ est illud: *Prætermitto dissectorum puerorum, & virginum ad animarum euocationem, ac diuinationē sacrificia.* Detestabilis impietas, quæ nec innocentiæ parceret, nec ætati in re execrabili, quod nec in lepræ curatione ausus est Constantinus.

Syntaxis tut. ciu.

46 Negat excusatione dignum Iulianū, quòd per Ministros ipsius nostri necarentur; tàm enim scelestum est persequutionem lege sancire, quàm conniuere, & permittere: *Velle enim Imperatoris lex est non scripta, imperij, & potentiæ patrocinio septa; & quidem scriptis legibus, quæ potentia non fulciuntur, multò firmior, & violentior* Egregia sententia de voluntate Principis, quantam vim habeat. Addit exemplum), sicut non tàm sagittæ accusandæ sunt, quàm sagittarij in nece alicuius; ità Princeps potiùs, quā Minister.

Princeps rem prauā iubens per Ministros exequi, putādus, ac si ipsemet egeret.

47 Iulianus à suis lenis, ac mitis habebatur, quod acriter impugnat: *Atqui Hydram nemo lenem, & mitem dixerit, quod nouem capita pro vno proferret; nec Patariceam Chimæram, quod tria, ac diuersa; aut apud Inferos Cerberum, quod totidem; aut Scyllam nequiorem pestem, quod sex in orbem, maximèq; horrenda, & tamen superiores eius partes humanas fuisse narrāt; nec iniucundam; virgo enim erat, vt aiunt poetæ, ac reliqua capita canina, ac belluina.* Meritò igitur hanc Hydram Iulianum videlicet Gregorius Alcide fortior domat; ac Cerberum in veram religionem oblatrantem quasi catenis compescit; & Chimæram conficit conflatam ex Christiano, Gentili, & Iudęo. rectè item Scylla mōstro terriorem facit, quæ certè humano virginis vultu supernè; at hic totus teter, sęuus, ferinus. Cæterùm de Hydra hoc ferunt, cum Hercules capita eius resecaret, & illa semper pullulando succrescerent, à Iolao adiutum, vt quæ ille ferro secabat capita, ipse igne cōbureret; quod de hæresibus puto dici aptè posse, quas Dominicus secare cępit, sed cum illæ adhùc in dies succrescerēt, ab Ignatio adiutum, cuius ardenti zelo consumuntur.

Iulianus cū Hydra, Cerbero Scylla collatus.

48 Frustrà Iulianum sæuitiam, & impietatem tegere conatum ait: *Sed nulla se ratione occultabit; nisi in omnem quidem partem se vertat & Orci galeam, vt dici solet, induat; aut Gygis annulo, & pala conuersione se suffuretur. imò quò magis elabi, & effugere tentat, hòc magis comprehenditur, & conuincitur apud veritatis tribunal.* Fabulis vtitur, vt per eas, quibus Iulianus delectabatur, eum conuincat, & illudat: tā Orci galea, quàm Gygis annulus magicus ad se occultandum valebant. De Gygis annulo Plato ait, virum iustum, etiamsi Gygis annulum acceperit, quo à nemine possit inspici, nè sic quidē quippiam sceleris clā admissurū. quod certè, præclarè, ac verè dicitur. Orci autē galea dicta est caligo illa magica, quam apud Homerum Iuppiter offudit Græcis, nè ab ipsis perspiceretur, sicut galea caput operit. illud autem egregiè dictum de veritatis tribunali, apud quod omnis hypocrisis rea tandem detegitur, & damnatur. Addit: *Adeò expugnatu facilis est improbitas, atq; vndecunq; secum ipsa pugnat.*

Hypocritæ impietas diu tegi nō potest, nec per Gygis annulum, nec per Orci galeam.

Improbitas secū est ipsa pugna.

49 Iulianum impietati exercendæ sēper intentum pulchra, & eleganti similitudine duplici demonstrat: *Quemadmodum cum Draco moueri incipit, squamæ eius partim iàm horrescunt, partim superhorrescunt; partim denique non possunt non tandem moueri, etiamsi in præsens quietæ, & tranquillæ sint. aut quemadmodum fulmine aliæ partes iàm occupantur, aliæ nigrore potiùs inficiuntur, quoad eas quoque malum peruaserit: sic ab eo alia iàm sceleratè parabantur; alia minis, quas nobis intendebat, velut adumbrabantur.* Vtrumq; tùm de Dracone, tùm de fulmine aptissimum ad exitium demonstrandum: quod ad Lutherum quoq; & Caluinum refer, & alios hęresiarchas anathematis fulmine meritò percussos.

Iulianus Draconi ac fulmini comparatus.

50 Iulianum cæteris Tyrānis acerbiorem facit: *Excogitabat, quæ nec Diocletianus, nec Maximianus nec Maximinus, qui persequutionis atrocitate illis superior fuit; cuius signa plagæ ob eam rem acceptæ imagines, ac statuæ ferunt, fœdam corporis mutilationem sempiterna infamia notantes, in animum induxerant.* Nota Tyranni ignominiam: qui tot è nostris impiè necarat, meruit vt eius imagines, ac statuæ instar stigmatici mancipij malè afficerentur.

Iuliani persecutio cæteris acerbior.

51 Exagerat eleganter impietatem Iuliani, qui cogitauerat arcere à foro omnes Christianos, nè se legum præsidio ab iniustitia tuerentur: *O leges, ò Legislatores, & Principes, qui quemadmodum Cæli pulchritudo, & Solis lumen communi, & perenni beneficentia omnibus patent, sic legum quoq; vsum liberis omnibus hominibus æquè proposuistis.* Rectè leges à Principe tanquàm à Sole radios profluere in omnes dicit; neque enim alitèr conuenit Principi æquè omnibus cōsulere, ac prodesse, quàm Soli. Multò magis id Fundatoribus religionum conuenit, vt regulæ

Princeps quasi Sol, leges quasi radij.

san-

tanquàm radij sint, ipse Solis instar. hinc ille nostri legislatoris Ignatij radiatus vultus. porrò Iulianus, vt vafer, ideo nostros à foro pellebat, quòd Christus de ferendis iniurijs præcepisset.

52 Sacræ eloquentiæ studium commendat. Cæteris, inquit, abiectis, nobilitate, gloria, opibus: *Sermones solos complector; nec habeo, quod labores tùm terra, tùm mari susceptos incusem, qui mihi eos compararunt*. Vide quantus ardor sciendi, vt sapientiam terra, marique perquireret. fecerunt hoc nonnulli ex antiquis philosophis, sed inuenire nescierunt sapientiam veram.

Ardens desiderium Gregorij sapientiæ addiscendæ.

53 Iuliani dictum impugnat, qui liberales artes Græcorum, ac proindè Gentilium proprias esse dicebat, & ab ijs acceptas; cæterùm Christianos idiotas esse, nec aliud scire in contemptum, quàm credere: *Nostri sunt, inquit, sermones, & nostrum græcari, quorum est Deos venerari; vestra autem est insantia, & rusticitas, nec quicquam aliud, quàm, Crede, sapientia vestra est.* quòd scilicet fide, nō philosophia nitamur. sed acutè respondet, & retorquet dictum: *At illud Pythagoræ, Ipse dixit, dogmatum omnium apud vos primū, & maximum est, aureisque, imò plumbeis carminibus præstantius*: ità licet alijs verbis eodem recidit illud: *Ipse dixit*; quod nostrum, *Crede*. hùc refer illud Christi dictū: *Ego autem dico vobis, &c.* Potius hoc verè aureum dictum, Crede. illud rectè plumbeum dicit de Pythagora, vtpote de magico homine: Ipse dixit: quod ad inferos pondere suo mergit, vt quod dixit de transmigratione animarum, &c. Aurea appellabāt Pythagoræ carmina, sed nullum pretium, vbi deest fides. potiùs aurea dixeris Chrysostomi scripta.

Pythagoræ dicta non aurea, sed plumbea.

Christo competit, non Pythagoræ. Ipse dixit.

53 Reijcit illud dictum: Græcorum est græcari, siuè sapere; in quantum ethnici sunt: nàm sicut quidam ritus proprij sūt quorundam, ità potest etiam illud ad nos pertinere. *Apud Lindios Buphagum execrari, ac diris deuouere pium habetur; sicq; Deus ille optimè colitur, si conuicia in illū, & maledicta conijciantur.* Vide insaniam, vt pro Deo colerent, quem ludibrio habebant Lindij dùm Herculi sacrificabāt, maledictis, & conuicijs eum proscindebāt vocantes Buphagum, idest bouis voratorem, quem subreptum integrum comedit: tanta idololatriæ insania. Tùm sic pergit: Nec quia aliqui Gentiles græcantur, ideo erit idem esse gentilem, & græcari: vt si aurifex pingat, non idem recidet pictura, & aurifusio. De sermone autē sic: An tu verba græca, quæ non sublimia sunt, *velut in Cynosarge vt spurios relegabis?* quippè vt in concentu musico, alia chorda alium sonum edit, proùt intenditur, vel remittitur: ità vita nostra colligatur varijs verbis. eleganter ait, eum nō esse iudicem constitutum sermonum, velut in Cynosarge Atheniensi, vbi iudicia exercebantur de spurijs &c. locus sic dictus à cane albo, qui in sacrificio Herculis rapta victimæ femora huc detulit. referri potest ad audaciā hęreticorū, qui tāquā è tribunali nostra temerè dijudicāt.

Hercules Deus non sine contumelijs cultus.

Nō temerè dijudicāda aliorum dicta.

54 Negat sapientiam primò à Græcis manasse: *Quid ais tuum esse græcari? nonnè Phœnicum sunt literæ? vel vt alijs placet, Aegyptiorum? aut potiùs Hebræorum, qui etiam legem in tabulis à Deo scriptam esse persuasum habent? tua nè sunt poemata? an potiùs anus illius, quæ humero percussa à quodam concitatiore gressu incedente, impetus vehemētia in eum carmen effudit?* Nota originē carminis, à muliercula, quę irata, dū & ipsa pedibus incitatis fertur in aduersarium, metricos instituit pedes: Phylira huic nomen fuit. Literæ autem sexdecim à Phœnicibus acceptæ, quatuor à Simonide, totidem quatuor à Palamede. rectè autem Gregorius disciplinas, & artes primò à Deo esse dicit, qui eas hominibus inspirauit. ac pulchrè humanū genus, ac naturam musico instrumento comparat. fidibus autē in eo contentis, eos, qui diuino instinctu inuentores artium extiterunt; artifici verò, & concinnatori fidium, Verbum. Sicut autē ibi alius sonus per imam chordam, alius per mediam, &c efficitur; concentus autē artificis dicitur: ità scientiæ, & artes Deo deferendæ, qui operatur per inuentores. quod simile mihi videtur ei, quod Seuerus vidit paulò antequā Orbis terræ imperium capesseret; sibi traditam lyram, quam aptè moderaretur, vt narrat Dion.

Origo pangendi carminis quæ.

Origo literarū vnde.

Sapientia à Deo est, et v. chordæ in musico instrumēto ab artifice tēperantur.

55 Negat item reliquas artes à Græcis fuisse acceptas: *Si ob arma gloriaris, nonnè à Cyclopibus ars ferraria manauit? si autem magna quædam res, imò omnium maxima tibi purpura videtur; nonnè eam Tyrijs abijcies, à quibus pastoralis ille canis prodijt, qui exeso murice, labijsq; cruore perfusis pastori florem indicauit, ac per eos vobis Imperatores pannum illum luctuosum, & superbum porrexit.* Notabilis eruditio de inuentione purpuræ. In Vrbe Tyro pastoralis canis circa littus maris muricem momordit, cuius sanguine infecto ore redijt ad pastorem. pastor lana verem abstersit. canis apparuit sine vulnere, & lana pulchrè purpurea. Sic igitur Gregorius Iulianum vrget. Si à Tyrijs est purpura, quam gestas, cur non eam exuis, & Tyrijs reddis? sicut dicis Christianos reddere debere literas Gētilibus, nec eas discere. luctuosum autem vocat pannum, & superbum, quia nisi cū virtute sit, pauperibus luctum parit, Imperatoribus fa-

Purpuræ inuentio per canem.

stum. Addit autem Elias Cretensis notabile dictum, cur Imperatores purpuram gestent: Purpureus, inquit, ille color veros Imperatores admonet, vt promptis animis sanguinem suum pro subditorum salute fundant, non vt indè fastus, & arrogantiæ ansam trahant. id nihilominus ad Cardinales pertinet, vt pro Christiana republica & libertate parati sint mori. Sed illud nota: canis inuentor purpuræ adulationis typus est, cauda blandiens: huiusmodi canibus, hoc est adulatoribus plena est aula. facit etiam hoc pro Cardinalium eminētissimo statu, dùm dicitur: *Magna quædam res, imò omnium maxima purpura.* Pergit. *Initiari, & Deos colere nonnè à Thracibus acceptum? sacrificare autem nonnè à Chaldæis, siuè Cypriys?* Non igitur à Græcis omnia. vide Polydorum Virgilium de inuentoribus rerum. Ex his colligitur, si Græci sibi aliorum artes iactanter vendicent, ludibrio fore, quod pulchro apologo ostendit. Ferunt inter aues contentione orta de pulchritudine Iouem arbitrum cōstitutum. pridie aues in aqua fluminis pennas abluisse. graculum. vt erat parum elegans, pennas aliarum auium, quæ exciderant, sibi accommodasse, & ad Iouem simul venisse, vt pulchritudinis omnigenæ palmam acciperet, sed alienas pennas, vt vix hærētes extrinsecus tātùm, exorto vento dissipatas, nudumq; graculū relictum. quod ijs accidit qui alienam laudem sibi vsurpant.

Cur Imperatores purpuram gestent.

Cardinales cur purpuram gestent.

Alienam laudē sibi vsurpans graculus est alienis pennis.

56 Apostasiam Iuliani detestatur: *Tu primus Christianorum aduersus Dominū, quemadmodum quondam Scytharum serui aduersus Scythas Dominos suos rebellare in animum induxisti.* de Hæresiarchis hoc dici rectè potest. Refert Iustinus, Scytharum dominos aliò profectos, reliquisse interim seruos vt domus custodes. at hi rerum potiti, redeuntes dominos repellere sunt aggressi frustrà eorū armis territi; tandem baculis visis, quibus vapulare soliti, cesserunt: ità Iulianus rebellis vi dominicæ Crucis est victus.

Vis Crucis Christi.

57 Iulianū arguit, qui sacris Christianorum literis interdictis, noua gymnasia constituebat, vbi profana, & praua scientia doceretur. ait acutè, ipsum Rapsacis Assyrij imitatorem esse: *Nàm cum Iudæa vi, & armis expugnari non posset; Rapsaces lenibus verbis, ac vernacula lingua ciues allicere, ac sibi conciliare aggressus est: quod cum obsessi intellexissent, hoc primùm recusarunt, cum eoque egerunt vt Syriaca lingua, non Hebraica verba ad ipsos faceret: quod scilicet periculosum esset, nè orationis suauitate in seruitutem furtim inducerētur.* Ità Iulianus instituit varia gymnasia quasi moralis philosophiæ: *Sed liquidò patuit, quinam hominum motus, & quænam simiarum imitationes sint; nec illa solertiam nostram assequi possunt: nequè enim magis equa Thessala, & mulier Lacæna laudem obtinent, quàm nostri ritus, & sanctiones Christianis aptissimè congruunt: quia non magis humanis ingenijs, & adinuentionibus, quàm vi diuina vigorē adepta sunt.* Nota Iuliani fraudem: moralem philosophiā instituebat, quæ destrueret mores. & rectè hypocritas simijs cōparat, sed facilè est distinguere simiam ab homine, & Christianū à Gentili. apud Barbaros etiam nunc sunt ieiunijs se macerantes, imò in caueis spontè se includentes more ferarum, & auium. ità Diabolus quoq; semper simiæ instar nostra imitatus. non mirum igitur quòd apud Indos in simiæ dente colatur Diabolus, vt narrant. Quod de Thessala equa dicit, &c. Megarenses Apollinem consulentes, quinam esset Grecorum præstantissimus, sperantes ob victoriam de Ætolis se primos dicendos; audierunt, equam Thessalam præcedere alias; & Lacænam mulieres alias: ità lepidè illusi. quò ostenditur, & Christianorum sectam esse omnium præstantissimā, & veritatē doctrinæ ipsorū propriā, & frustrà à Iuliano simulari.

Iulianus Christianos gymnasijs interdicit, ac noua excitat.

Iulianus imitat simiæ nostra imitatus.

Iulianus frustrà imitatur nostra.

58 Notabilis est hæc sententia licet breuis: *Actio nobis ad contemplationem gradus, ac veluti scala est.* Ergò in superiori loco contemplatio tanquam in arce est; ac proindè Religiosis cauendum, ne, dùm cum secularibus agunt, ità distrahantur, vt ad superna redire vix queant. confer hanc scalam cum illa Iacob, per quam Angeli descendebant & ascendebant, cui Dominus innitebatur.

Actiua vita scala est ad contēplationem.

59 Christiani vitam in interno positā esse pulchrè declarat. *Ergò in Beatam eorum iaciamus, vt fit in scenis; fit speciosum, & pulchrum theatrum. Præsides suos purpura ornabit, et vitta, & florea corona, vt grauitatem, & maiestatem affectet. nos externam speciem, ac veluti picturam parui admodùm curamus: in interno autem homine multò plus opera, studijq; ponimus; idque potissimùm studemus, vt spectatorem ad ea, quæ animo cernuntur, attrahamus.* Notent hoc concionatores, qui toti in apparatu quasi scenico verborum externo, vel pictura politi sunt: Notent & hypocritæ, qui quasi vel in vmbratili, vel histrionico cultu pietatis. Porrò in Beatam iacere, est ironicè dictum, hoc est Inferis tradere, vbi locus erat, qui Μακαρία dicebatur, idest Beata.

Christiani vita in interno est posita, ac in factis potius, quā in verbis.

Hypocritis scenici, res elis, & inanis pictura.

60 Rursus Iulianum arguit, qui noua gymnasia vafrè aperiebat: *Præbebitis deindè ipsis diuinorum oraculorum interpretes, ac libros tùm theologicos, tùm morales. quosnam? Hesiodi theogoniam, ac bella illis descripta, & tumultus, Titanes, gigantes*

no-

nominibus simul, ac rebus horrendos. proferentur Anguipedes vestri; tùm immanes eorū fœtus, Hydre, Chimara, Cerberi, Gorgones, omnes denique mali colluuies; tùm Orpheus cum Cyntho prodeat, &c. Pulchrè irridet Theologiam, quam edifcendam proponebat Iulianus plenam fabulosis monstris, atque portentis: decantata sunt omnia. de Chimęra tantùm dicam; Chimęram in Patara vrbe Lyciæ ferunt ità à Bellerophonte necatam: plumbeum globum lanceæ cuspidi imposuit, tùm in Chimęræ fauces, vndè ignem spirabat, immisit. plumbum eo igne liquatum in viscera penetrauit, adussit, monstrumque confecit. referri hoc potest ad Nicolaum Antistitem eiusdem Vrbis, idest Pataræ clarū ciuem, qui Arianam indè hęresim acerrimè persequutus est; nàm & Arius viscerum morbo, quæ effudit, instar monstrosæ Chimæræ obijt. Item irridet illud Homeri, apud quem *Iuno illa magna Iouis & soror, & coniux; illa vlnarum candore, roseisque digitis insignis nunc in æthere, & nubibus pendet, ferreisque incudibus deprimitur, aureisq; manicis vincitur; nunc eadem Iuno vniuersum amoris cæstum assumit, lasciuoque ornatu Iouem allicit: quis porrò ille nigrorum superciliorum nutus, & diuinorum crinium motus Olympū totum concutiens?* Elegans sarcasmos: fingitur enim ab Homero Iuno nunc quasi inter supplicia pendens ex aere deuincta, nunc inter muliebria ornamenta. Iuno Herculem ex Ioue natum ventis concitatis obruit, sopito Ioue; qui experrectus Iunoni pedes in ude traiecit, & manibus firmissimas catenas iniecit, atque è Cœlo suspendit, vt ipsi Dij, qui pro ea deprecabantur, periculū penè subierint. Quod autem de amoris cæstu ait; propriè cęstus erat Veneris cingulum, ità dictum à picturæ, qua erat intextum, varietate. hoc ille Martem iratum sibi conciliabat; hoc Iuno Iouē. Sed potiùs diuini amoris cæstus est zona, qua visus est Dei filius Ioanni, *præcinctus ad mamillas zona aurea.* aut qua ab Angelo Thomas Aquinas est accinctus; qui non cæstus Veneris, sed contra Venerem fuit. Erat porrò in eo cingulo Amor ipse depictus, Suada, &c. alij dicunt fuisse vas plenum omnibus illicijs, pigmentis, &c. vt non posset Iuppiter non amare.

Iulianus in gymnasijs Hesiodi theologiam, & fabulas Deorum doceri iubet.

Cingulum Veneris, in quo Amor depictus, cui opponitur cingulū Angelicum Thomæ Aquin.

61 Quæ de Dijs fingunt absurda nullo pacto excusari posse ait: quæ si poetica sunt, ostendant, inquit, puros Theologos, cum quibus disputemus; aut si ficta sunt, cur ijs se iactant, & ea proponunt in theatris tanto cum sumptu? aut cur poetas amant, potiùs quàm puniunt, qui de Dijs tàm fęda confingunt? Dicent, allegoricè dicta. at sūt quidē & apud nos allegoriæ; sed *nec externa species indecora, & inhonesta est; & quod occultatur, admirandum est, ac pulcherrimi cuiusdam corporis instar haud aspernanda veste cō tegitur: quæ porrò prudentia est per cœnum ad Vrbem ducere, & per scopulos ad littus?* Acutè arguit quod aiunt, turpia quidem illa esse, sed ad moralem institutionem allegoricè pertinere; quod idem est, ac si dux viæ aliquem per cœnū ducat ad Vrbē, cū alibi sit iter purius. aut si nauis gubernator per scopulosa loca cum periculo naufragij malit ire, quàm per tuta. Vide igitur quàm periculosa sit lectio profana poetarum: lutum, scopuli, lubrica res est, & naufragio proxima.

Lectio profana poetarum quā noxia.

62 Negat à Dijs vllam posse rectæ vitæ institutionem accipi. In ipsa, inquit, morali disciplina, quæ exempla proponet ad imitandum? an Deorum bella, si de concordia agatur? &c. *Deos vitiorum duces, & patronos habebit; ideoq; non modò turpe, sed honorificum existimatur vitiosum esse.* húc refer adolescētem illum Terentianū, qui de impudicitia excusat se, ostensa picta imagine Iouis stuprum obsidētis. Subiūgit: Scilicet doceāt pecuniā spernere, proferetur sacculus furacis Dei Mercurij. adde: *sine ære Phœbum minimè vaticinari.* hoc est Pythiam Sacerdotem non referre oracula sine pecunia.

A Deorum fabulis nihil pudicū ad imitationem sumi potest.

63 Ethnicos longè abesse ait à Christianæ vitæ perfectione: *Illorum Deus venter est. nos ventre tanquam acerbo quodam, & detestabili domino, malorumque omniū parente abstinemus.* Vide cui domino seruiant in primis nobiles viri, delitijs dediti. vbi nota quàm detestatus sit Christus hoc vitium, vt gentilium proprium dixerit: *Nolite cogitare quid manducabimus, aut quid bibemus? &c. hæc enim omnia gentes inquirūt.* Quid potuit dici execrabilius? quia scilicet gentiles ferè nihil præter hanc vitā superesse putabant. Prætereà nō est talis perfectio apud illos etiā philosophos, vt vel inimicos diligere iubeantur, sed solùm in quadam moralitate consistunt: *Demus eos vitium reprimere suis præceptis, quo tandem modo ad virtutis, & doctrina nostra gradum peruenient? qui in virtute non proficere, sed eodem statu hærere, in vitio putamus: ità enim nobis idem, quod trochis accideret, quos in orbem volui, non autem progredi videmus, atque immota, vt ità dicam, scutica impulsu rotari. nos verò ità constitutam habemus vitæ rationem, vt virtutes partim assequamur, partim in eas incumbamus, partim cupidè appetamus, quousque ad finem, ac deificationem illam perueniamus, ad quam conditi sumus, ad quam properamus, si modò aliquid Dei magnificentia dignum speramus.* Præclarum, & notabile dictum, in hoc

Veneris ingluuies propria Gentilium

Christi doctrina in profectu est posita, non sic moralis veterū philosophorum.

hoc præcipuè Christianū differre à gentili philosopho, quod hic in fuga tantùm vitij conquiescat, & quadam mediocri virtute; at Christianus sēper in progressu est: quantò igitur magis id de religioso dicendum, qui ad statum perfectionis rēdit ex voto? hinc illud: *Semita iusti tanquàm lux splendet, & crescit vsque ad perfectum diem.* Pulchrè autem eum, qui nō progreditur ad virtutem, sed sua mediocritate contentus est, trocho, seù turbini comparat, quem pueri scuticis exagitāt, voluunt, & rotant, sed semper intra eundem circulum: quod religiosis maximè accidit, cum metu potiùs, quàm amore ad actum bonum mouentur. rectè autem monet, & erigit nos, vt à Deo nonnisi aliquid Deo dignum, hoc est maximum, & præstantissimum speremus, eius scilicet visionem beantem: hac enim incitati spe curremus. hùc refer illud Pauli: *Quæ retrò sunt obliuiscens, ad destinatum persequor, ad brauium, &c.* & illud: *Sic currite, vt comprehendatis.*

Eccl.

Non proficere est trocho ludere.

64 Irridet Ethnicos, qui quædam appellabant alijs vocibus, ac Dij: *Si quædam etiam diuinæ voces vocibus nostris præstātiores; video enim hæc verba, Moly, Xanthum, Chalcidem.* Homerus moly herbam solùm à Dijs sic appellari ait, græcè Leucoton; & Xanthum à Dijs, à mortalibus verò Scamandrum. Viue tamen quàm præclarè de Dijs sentirent: apud Sinas etiam magistratus, & sapientes alijs verbis vtuntur, quàm vulgus. at verò Deus locutus est in Prophetis, & in filio nostra lingua, piè se nobis attemperans.

Gentiles putabāt Deos alijs verbis & linguis vti, quàm homines.

Ex Oratione IV. in Iulianū II.

1 IVlianum cum impijs Regibus, Hieroboam, Achab, Pharaone, Nabucdonosor comparat: *Vt si hæc omnia contrahentes, vnum, atque eundem nominabimus; quandoquidem eum omnia vitia in se collegisse constat; defectionem nempè Hieroboā, crudelitatem Achab, duritiē Pharaonis, sacrilegium Nabuc.* Vides quasi monstrum conflatum ex plurium natura belluarū. hoc ad Lutherum referri potest hęresiarcham, superiores hæreses suscitantem.

Iulianus vnus complexus est vitia multorum Regū impiorū

2 De templo, quod, vt Iudæis faueret, frustrà instaurare conatus est, hæc digna notatu narrat: *Ad extremum Iudæorum quoque nationem in nos immisit, tùm veteri eorum leuitate, tùm inueterato in nos odio flagrante in ipsorum pectoribus; fatale esse affirmans ex ipsorum arcanis, redire in patriam, templum instaurare. Statim igitur vxoris matronalem omnem mundū, corporisque ornatum prompto animo sibi detrahūt ad sumptum templi.* terram effodere incipiunt, & fundamenta iaciunt: *At verò sæuo turbine, ac repentino æstuantis terræ tremore compulsi, ad propinquum quoddam templum confugerunt. ferunt eò non admissos, sed cum ad apertas fores accessissent, repente easdem clausas, pessuloque obductas offendisse, potentia quadam inuisibili, quæ ad impiorum terrorem, ac piorū incolumitatem ea prodigia designat. hæc vno ore omnes referunt, ac pro certo habēt, quod eos summa vi, & contentione ingressū sibi aperire conantes ignis è templo occurrens inhibuit, eosque partim exussit, & absumpsit, vt accidit Nadab, & Abiud, partim præcipuis partibus corporis truncatos viuā columnam diuinæ aduersus peccatores comminationis, & motionis reliquit.* Pulchrè hoc dictum, vt vis illa ignis, trūcatis manibus, quibus fabricam aggressi erant, & auribus, &c. reliquerit corpus instar teretis columnæ, in qua velut ignominiæ notas, vt in reis insignibus fiebat, aut inureret, aut inscriberet.

Templum Iudæis reædificare conatus terræmotu, & igni prohibentur.

3 Narrat aliud inusitatum prodigiū: *Quod autem hoc mirabilius fuit, lux in Cœlo stetit Crucem in orbem describens, ac figura, quæ in terris prius impijs contemptui fuerat, Deo victoria aduersus eos obtenta trophæū efficitur, trophæo omni sublimius, & præstantius.* pulchrè vocat Crucem: *trophæum omni alio sublimius*; & circulum illum lucis quasi Crucis victricis coronā; quod sic elegantèr amplificat. *Quid hic dicturi sunt sæculi sapientes, qui profundas barbas gestant, & venustum pallium trahunt? tu quoque mihi ex aduerso narra, qui natiuitates, & rerum euentus ex astrorum motu contexis: sidera quoque mihi tua expone; Ariadnes coronam, & Berenices crinem, & salacem Cycnum, & petulantem Taurum, & si vis O. biulcum tuum, & Capricornum, & Leonem. vbi tu hunc circulum cum tua Mathesi habes? vbi etiam stellam illam Magorum? stella illa Christi præsentiam indicauit, hæc victoria Christi corona fuit.* Pulchrè Crucem in Cœlo visam cum circulo lucis instar coronati sideris præponit stellis alijs, in primis coronæ Ariadnæ: stellæ enim illæ in orbem positæ coronam formant; sed ipsæ infames incestis & stupris ferè sunt. itē Crux rectè dicitur Berenices crine splēdidior, quæ Christi caput, & crines spinis implexos sustinuit. est autem notatu dignum, quod ait interpres Tertulliani, Thesaum cum Adrianæ corona gemmis fulgente ingressum labyrinthum tenebras fugasse, & viam reperisse; erroresque inextricabiles effugisse: quod multò magis, & verius præstat nobis in huius sæculi labyrintho Crux Christi. Berenice autem Ptolemæi Regis filia ob victoriam patris aduersus hostem comā suam abscidit, ac Dijs dicauit,

Crux in Cœlo intra lucidum globum apparet.

Crux trophęū omni alio sublimius.

Crux coronata apparens in Cœlo præponitur coronæ Ariadnæ, & alijs signis Zodiaci.

uit, quamobrem meruit illa inter stellas collocari: quod potiùs de Magdalenę coma dicendum esset post partam de peccato victoriam. Cygno etiam cęlesti rectè præfertur Crux illa, vnde audita cycnea dulcior vox. *Pater ignosce illis.* Ophiulco etiam, siuè Serpentario; in Cruce enim sicut serpens in deserto exaltatus est ad salutem. Denique pulchrè confert inter se stellam Magorum, & hanc, de qua loquitur. Illa Regibus coronatis dux fuit; hæc ipsa habuit coronam, quia victrix persequutorum. Quod autem stellam Magorũ vocat itineris ducem, in græco est πρόξενος, vtpotè quæ non modò ducis munere fungeretur, sed etiam tanquàm hospitium ipsis Magis præpararet, & pręsepi illo quasi hospites exciperet cum gaudio, & laborem viæ leuaret. Porrò quòd veteres philosophos irridet: *Profundam barbam gestant, &c.* ad ipsum Iulianum pertinet, quia Christiani Antiochiæ Iuliani barbam profundam, & hirsutam irridebant, qua tamen ipse magnoperè sibi placebat quasi antiquæ Philosophiæ imagine; ac librum edidit, quem Mysopogonem inscripsit, idest barbæ osorem: quo mihi potiùs videtur se exitialem Orbi terrarum ostēdisse, nàm Pogonias barbatus cometes putatur prodigiosus, atq; fatalis.

Stella Magorum cum Cruce coronata confertur.

Gentiles philosophi palliati, & barbati irridentur.

4 Aliud quoque prodigium narrat de Crucibus mirè in vestibus visis: *Proferrãt quoque vestes suas, illas, inquam, Cruces notis tunc insutas, & consignatas. simul enim, atq; quispiam hæc narrabat, aut audiebat, siuè nostrorum, siuè externorum, statim hoc miraculum vel in seipso, vel in vicino suo perspiciebat, stellatus nimirùm ipse, notisque distinctus; vel illum talem in vestimentis intuens, omnem textorij artificij elegantiam, ac summa cura elaboratam picturam varietate superantem. Quæ res tanto omnes stupore affecit, vt vno signo, atque vna voce Christianorum Deum inuocarent; multi etiam statim nostris mysterijs imbuti.* Quod ait hoc miraculo ferè omnes: *quasi signo dato Christi religionem amplexos*, gręcè est σύνθημα quod propriè belli signum est, aut præceptũ, quod is, qui exercitui præest, militibus dabat: itàq; Crux illa siuè in Cœlo, siuè in Terra visa, tãquàm vexillum fuit, quo Christus Imperator ad sibi militandum alios cōuocaret contra Iulianum. Fuit certè hoc notabile prodigium non solùm in aere Crux instar sideris visa, sed vt nunc fit, ad nobilitatis insigne, vt Crucem hoc, aut illo colore quis gestet pulchriùs hi Crucem habuere stellatam, vt loquēs, vel audiens de miraculo quisque equēs stellifer dici posset; in gręco enim est. κατάστερος stellatus, ἀπὸ τοῦ καταστερίζειν, stellis signare. ipsum Naturæ Deum, quem putabant Pa-

Cruces in vestibus visæ quasi stellæ mirè intextæ, ac picturatæ.

Crux quasi militare signum contra religionis hostes.

na, cum veste stellis depicta fecerunt. & vide quàm præclarum sit de Christi Cruce loqui, vel audire: nàm in horum vestibus statim illa Crucium stellata pictura, ac Cœli siderei species apparebat. sed vt apertiùs de victoria constaret, etiam in aere visa: sicut victores in victoriæ signũ aduersus victos sublime trophæum statuũt: ita Deus aduersus Iulianum, ac cæteros impios trophæum Crucis altè extulit, ac publicè in ipso aere constituit.

5 Ad templum Hierosolymitanum, quod restaurari non potuit, pertinere ait illud psalmi: *Ciuitates eorum destruxisti.* idest Iudæorum; non modò ob antiquiores ruinas, *sed inter ipsa scelera eorum in nos partim mari obruta, partim terræmotu prostratæ, & euersæ, vt dicere reliquum illud possis: Perijt memoria eorum cum sonitu: hoc est cum claro, & celebri exitio: tanta enim ruina est, &c.* pulchrè interpretatur iuxtà modum illum loquendi lyrici poetæ: Auditumq; Mędis Hesperiæ sonitum ruinæ; nihil tàm notum, quàm Iudaicæ gentis exitium.

Psalm. 40.

Desolatio Hierusalē, ac templi prædicta.

6 Iuliani magicum belli apparatum execratur: *Ferebatur ad bellum omni diuinationis, & præstigiarum, & sacrorum sacrificiorum vanitate porrò votiua victima quàm magna, quã eximia? nempè vniuersam Christianorum gentem Dæmonibus sistere, atque subijcere, si propositi compos extitisset.* Vide nefarium votum simile Caligulæ, qui vnam ceruicem habere populum Romanum optabat, vt vno ictu quasi victimam iugularet; quamquam Iulianus immanior, qui Dijs deuouit post victoriam totum hoc genus hominum vbiq; terrarum latè diffusum, immolandam. horrendum autem illud est, quod refert de duplici exercitu, altero hominum, altero dęmonum à Iuliano magicè comparato: contra quàm Christiani Imperatores facere debent, vt præter exercitum militum hominum, exposcant à Deo alterum Angelorum, quod & Iudas Machabæus, & alij experti. Addit: *Salmoneum quendam è corio tonantem nobis referebat.* Vide quibus ineptijs nostros terrebat; at cogitare debuit apud Inferos dantē Salmonea pœnas, vt summus Poeta loquitur. Salmoneus tyrannus, cum se Deum fecisset, & Cęli simulacrum extruxisset, in ipsum ascendebat, & per corium strepitum edens tonare videbatur: scilicet coria sicca, & dura consuens, & accomodans, tùm ænea vasa cũ corijs pulsans; per aliam autem machinam pluere, per aliã fulgurare videbatur; sed ipse fulmine percussus interijt. hanc machinam imitatus est deindè Cosroes Rex Persarum: adeò insanire potest arrogantia mortalium, & ambitio ipsius diuinitatis.

Iulianus magijs visus in bello pro victimis deuouens Christianã gentem.

Iulianus duplicē conscribit exercitum, alterũ hominum, alterum dæmonũ per magias.

illud

illud autem de corio ad machinam adhibito referri poteſt ad corium Bartholomæo Apoſtolo extractum, quod religioni viui eſſe potuit ad deterrẽdũ Erebum.

7 Narrat infelicem exitum Iuliani in bello Perſico, & qua ratione deceptus fuerit; Quidam è Perſis Zopyri illius ergà Cyrum in Babylonis obſidione factũ imitatus, fingit ſe ad eum fugere ob Perſarum miſerias, promittit ſe ducem itineris: *Remittat modò nauale frumentum, ac ſuperfluum onus, ignauiæ magiſtrum.* Credulus Iulianus naues cõburit, nè milites longi belli tædio affecti redire velint aut poſſint. Perſa dux per deuia ductũ reliquit, ac fugit. denique *Iulianum, nonnulli aiunt, à Perſis iaculo confoſſum temerè in hoſtes excurſantem; alij ferunt, cum in ſublimem quendam aggerem aſcendiſſet, ac velut è ſpecula exercitum ſpectaſſet: Quàm graue, dixiſſe, & indignũ fuerit hos omnes ad Romanorum terram reduxiſſe? quaſi ijs inuideret ſalutem: quibus verbis commotum militem quendam, gladium in eius viſcera adegiſſe. alij facetum quendam, et ridiculum Barbarũ, quo ad exhilaranda conuiuia vtebatur, id perpetraſſe aiunt.* Vide vel quàm cautè Imperatori loquendum ſit, nè ſubditos offendat; vel quam funeſtum ſit in aula ſcurras habere ridiculos. Tum ſic acutè de Iuliani cęde concludit: *Ità ipſe per vnam inciſionem multorum viſcerum pœnas exoluit. ac miror quomodò homo vanus, qui omnia hinc ſe ſcire exiſtimabat, hoc vnum neſcierit, nimirùm vulnus ſibi infligendum.* Rectè arguit aſtrologos, qui toti poſiti ſunt in præſagiendo, at exitum proprium ferè infelicem minimè prænoſcunt. illud autem acutè dictum. Iulianus cęde puerorum, & mulierũ multarum viſcera rimatus erat in deteſtandis illis magicis ſacrificijs, vt euẽtum belli præſentiret; meritò igitur ei in ipſo bello effoſſa ſunt viſcera. Tum addit inſignẽ morientis fraudem, atque vafritiam: Æmulus enim veterum, qui, vt ad Deos abire putarentur, & in cœlum translati, ſe inueniri non ſinebant; iusſit cadauer ſuum in flumen deijci. vbi nota, quod alibi dixit de Empedocle, qui eundem ob finem in Ætnam ſe immiſit, ſed proditus eſt calceis, quos impetus flammæ foras eiecit. hic ſe in ignem, ille in flumen intulit. Ferũt Iuliano Pythiam de belli Perſici euentu conſulenti reſponſum datum: Nunc Dij omnes ad ferum fluuium, ideſt Tigridem, ſeſe contulerunt, victoriæ trophæum accepturi: horũ ego imperioſus Mauors dux ero. ità infeliciter illud meruit.

Iuliani mors infelix.

Iulianus, ſuũ cadauer in flumen mergi iubet, quaſi ad Deos translatus.

8 Confert Conſtantij Imperatoris, & Iuliani funera inter ſe: *Iſte publicis præconijs, & celebri pompa deducitur, religioſiſq; noſtris officijs, hoc eſt nocturnis cantionibus, ac cereorum ignibus, quibus nos Chriſtiani pium è vita diſceſſum honorandum exiſtimamus. Ferunt, cum Taurum montem ſuperaret, vocem è ſummis locis à nonnullis exauditam veluti pſallentium, & proſequentium, Angelicarum opinor virtutum: quod pietatis illi præmium fuit, & funebris remuneratio.* græcè eſt, ἀντίδοσις ἐντάφιος, ideſt ſepulchralis retributio. Pulcherrimus hic locus eſt de S. Ignatio noſtro, ad cuius ſepulchrum, præter ſtellas, quæ ibi ſcintillare viſæ ſunt, *audita eſt vox pſallentium, & proſequentium, Angelicarum videlicet virtutum: quod pietatis illi præmium fuit, ac funebris remuneratio.* Angelicam nempè puritatem in ſuis regulis nobis commendauit. magis hoc ad veritatem accedere puto, quàm quod de Conſtantio ex aliorum ſermone refert Gregorius; nàm Ignatius hæreticorum acerrimus perſecutor fuit, Conſtantius autem Arianorum fautor; quanquam ſic eum excuſat: *Nàm etſi rectam fidem nonnihil permutare, ſeù labefactare viſus eſt, hoc tamen crimen procerum importunitati, ac fidei prauitati tribuendum eſt, qui ſimplicem animam, ac minimè barathra proſpicientem quò libuit, adduxerunt, ſincerioris doctrinæ prætextu.* Vide quàm cauti debeant eſſe Reges, quos conſiliarios, & miniſtros apud ſe habeant.

In Ignatij tumulo auditæ pſallẽtium Cęlitum voces

Imperatoris conſiliarij cautè eligendi.

9 Pergit conferre inter ſe amborum funera. de Conſtantio ſic: *Exercitus omnis tametſi præſenti Imperio Iuliani ſubiectus, maiori tamen honore defunctum proſequens, apoſtatam monſt, vt exanimi corpori cum congruenti habitu obuiam procederet, hoc eſt detracto è capite diademate, demiſſoq; vt decebat, aſpectu ad ſepulchrũ, nobileque illud Apoſtolorum fanum deduceret.* Nota ritum. ideò Heraclius non potuit Crucem Chriſti, hoc eſt ſũmi Imperatoris, in Caluariæ montem ferre, niſi abijceret purpuram, & diadema, & humili ſpecie demiſſus iter illud faceret. Vide etiam, vbi Imperatores ſepelirentur, in Apoſtolorum templo, quia ipſorum eſt apoſtolicam fidem tueri. denique nota antiquum funeris ritum proſequentiũ cum Pſalmodia, & cereis facibus; idque noctu fieri ſolitum innuit; nempè & media nocte reſurrectio futura putatur. Tũ contra de Iuliani funere ſic: *Huius verò funus, & hiſtriones deducebant, probris è ſcæna petitis, eique fidei abiurationem, & vitæ finem exprobantes.* Meritò quaſi vitæ fabulam peregiſſet Iulianus, ità hiſtriones aptè funus ducebant; præſertim cum totus græcanicis fabulis deditus eſſet, vt ſuprà dixit.

Petri templũ nouus Imperator intrabat detracto ſibi diademate, & demiſſo vultu.

Mos vetus deducendi funeris cũ cereis, & pſalmodia.

Funus Iuliani ab hiſtrionibus cum ludibrio ductum.

10 Oſtendit prouidentiam Dei in morte Iuliani, quod duos, vel tres aulicos ha-

haberet familiares perniciosissimos; ac nisi ille obstitisset: *Breui terras omnes, ac maria expilarent; adeò latrocinijs, & auaritia priores illos Centimanos vincebant. Prouinciarum porrò imperia non optimis, & moderatissimis mandabantur.* Vide quàm exitiale regno sit, Reges vti malis ministris, quos rectè Centimanos appellat; tot manus habent, vt vndiq; rapinas faciãt, quales dicuntur prisci Gigantes.

11 De iniustitia ipsius Iuliani in iudicijs sic. Inconstans erat, & iniustus: *Ea quę egit, quæ Elisijs campis minimè digna sint; nec ea, quæ illic Rhadamantus gloria fruitur, qua eum dignum censent, qui eius sunt ordinis.* Lepidè irridet, quod eius amici falsò iactabant, Iulianum iustum fuisse, & apud Inferos cum Aeaco, Minoe, & Rhadamanto exercere iudicia. ad hanc iniustitiam pertinent, quæ addit: *Multos ex Asiaticis scholis, quasi beneficijs ornaturus accersebat; sed cum adessent, nõ nisi calculorum præstigia, & oculorum ludificationes.* Pulchrè ostendit, magistros Iuliani promissis delusos, sicut præstigiatores ostẽdũt oculis multa, q deinde vana fuisse noscũtur. nempè hic Mũdi mos est.

Iulianus vnus ex Infernis Iudicibus ab ethnicis putatus.

Iulianus præstigiatoribus cõparatus.

12 De iracundia sic: *Dùm Iudicis munere fungebatur, aulam clamoribus implebat, cum tranquillitas deceat Regem.* huc refer illud psalmi: *Procede, & regna, propter mansuetudinem, & iustitiam.*

13 Immodestiã taxat. Indecorus erat vultu, & gestibus: *Insufflationibus, & reflationibus altaris ignem accendebat, nostra sugillans. præclarum profectò erat Imperatoris Romani buccas tumentes cernere, ac risum excitãtes; Mineruam autem Deam suas tibias execratam esse non audiebat, posteaquam aquis speculi vice vsa eas dedecori esse perspexit.* Rectè arguit: cũ enim Græcorum fabulis delectaretur, recogitare debuit, Mineruam abiecisse tibias, cum in aqua cerneret suas buccas indecorè tumentes: cur igitur ipse Imperator id agebat insufflando in ignem altaris, vt nostris sacrificijs illuderet? Addit: *Propinationes verò, quibus meretrices poscebat, mysterij obtentu libidinem obuelant, quis non miraretur?* Hoc non modò indecorum, sed impudens; & vide quàm essent execranda sacra gentilium, vt in libationibus meretrices appellarent. Notandum autem est de sufflationibus, & insufflationibus, morem in baptismo fuisse primò, vt excalceati lauacrum inirẽt, quo terrenos, ac vitiosos affectus se abijcere significabant; ità manus tendebant ad Occasum, & ore exsufflabant, quasi repellentes à se omnia vitia; tùm ad Orientem vertebantur, quasi ad diuinum lumen. Iulianus hæc irridens, ad Deorum suorũ aras in ignẽ sufflabat, q etiã si impiũ nõ fuisset, certè indecorum erat Imperatori.

Iuliani immodestia indecora taxatur.

Mos in baptismo exsufflandi ad occasum in detestationem vitiorum

Mos in baptismo vertendi se ad Orientem

14 Præsagijsse se Gregorius ait ex illius iunioris immodestia quàm improbus futurus esset: *A me eius improbitas lõgè ante perspecta: ex quo Athenis cum eo congressus sum, me morum, ac gestus ipsius inæquabilitas vatem efficiebat; neque enim mihi quicquam boni significare videbatur ceruix minimè firma; humeri, quos subinde agitabat; oculus vagus, & oberrans, &c. hæc vt conspexi, his verbis vsus sum: Quale Romanorum regio malum alit? præfatus licet, ac mihi, vt falsus essem vates, imprecatus.* Hùc facit, quod Sylla vaticinatus est de Cæsare: Cauete à puero malè præcincto. Ambrosius quoq; ait, duos Clericos à se remouisse ob immodestiam, qui postea malum exitũ habuerunt. Vide igitur quanti mali præsagium sit immodestia. hinc laudãdus Ignatius, q peculiares nobis leges de modestia dedit externa; bona enim domus à frõte debet agnosci. qualis autem tandem euaserit Iulianus, ità exponit, vt dicat, maius monstrũ fuisse, quàm diluuia, incendia, ac cætera exitia, quæ Orbi accidisse narrantur.

Gregorius ex immodestia Iuliani iunioris præsagit malum futurum

Ignatij regulæ de modestia laudantur.

15 Denique de infelici eius morte sic: *Deus consueta sua patientia vti non sustinet, vbi multis perniciosa futura benignitas, & peccantibus contemptum allatura, tanquàm videlicet nemo sit, qui res nostras inspiciat, &c.* Vide, vt Deus, quæ cõmunitati nocent, impunè abire nõ sinat; & vt cum iniquitas adoleuerit, & in robore est, tunc eam frangat; quod sic etiã ostendit: *Ac priùs quidem Deus sublimem manum adhùc aduersus impios habebat, atque arcum; tametsi iàm adductum, & paratũ retineret, et tantisper expectaret, dùm tota illa improbitas, quasi putidus morbus erupisset: hic enim iudicij diuini mos est, vt vel per pœnitentiam salutem afferat, vel iustius puniat.* Sicut, inquit, Medicus expectat, vt maturetur vlcus, ac pus faciat; tunc ferrum accipit, vt secet: ità Deus expectat, nec statim punit.

Cur Deus non statim puniat.

16 Eleganter gratulatur religioni de Iuliano hoste sublato: *Mihi verò rursus ad triumphalem cantum redit oratio. Cecidit Bel, contritus est Dagon; pudefactus est Libanus, &c. iã nõ aras à purissimo, & incruento sacrificio nomen habentes, scelesto sanguine contaminabunt; non iàm votiua dona sacrilega manu diripient. non virginum pudorem contumelia perfundent; non iàm Martyrum sepulchris ignem admouebunt, &c.* Hæc gratulatio locum habere nunc potest in victorijs nostrorum Cæsarum, ac Regum aduersus hæreticos.

Esai.6.[illegible]

Gratulatio ad Ecclesiã de Iuliano eius hoste sublato.

17 Iouinianum, qui Iuliano successit, commendat. *Vir, vt alijs rebus, ità pietate clarus, & insignis, atque oris maiestate, imperio profectò digna præditus.* Vide, qua-

Imperatores boni dotes quę hut.

lis

lis esse debeat Imperator, vt pietas non sit inferior gloria militari & alijs naturæ donis: exterius quoq; dignitas vultus autoritatem conciliat.

18 De Iuliani exercitu victo sic: *Nisi Persæ in victoria moderatè se gerentes, vt solent, ad ineunda fœdera se conuertissent; nè Ignifer quidem, vt dici solet, exercitui superfuisset.* Hoc est nemo prorsus immunis fuisset à cęde, nè Ignifer quidem. nàm qui præferebat in bello ignem, quod Augustorum erat insigne, hic inuiolabilis ab ipso hoste, & quasi sacrosanctus habebatur in Christi castris Ignifer quidam fuit noster Ignatius præiens exemplo, græcè πυρφόρος. ac suis quidem, quos ad prædicandum per Orbem mittebat, dicere solitus erat: Ite, incendite.

Ignatius Christi Imperatoris Ignifer.

19 Eleganter, ac pulchrè gẽtiles hortatur, vt ad Christi fidem se conuertant superstitione relicta: *Ignem Daducus tadifer tuus extinguat: sacræ Virgines lampadas accendant sponso.* Daduci vocabantur Sacerdotes Cereris, facem ferentes, qua ipsam imitabantur cum Proserpinā quæreret horũ, inquit, loco Virgines succedant illæ sapientes, lãpadas plenas oleo spõso præferentes: Addit: *Meretriciã stolam hierophantæ exuant; Sacerdotes iustitiam stolamque gloriæ induant, ac magnã illam, & immaculatam Christi tunicam decus nostrum & ornamentum.* Vide quod sit illud vestimẽtum, quod verè ornat Sacerdotes, Christus ipse; ad eos maximè illud pertinet: *Induite Dominum nostrum Iesum Christũ.* quod ait: *meretriciã stolã hierophantæ exuant.* nempe obscęna mysteria sic celebrabant, extincto igne, in tenebris Sacerdotũ Antistes meretricia, hoc est Veneris veste florida indutus verba tanebat nõ Sacerdote digna, sed proco. his Sacerdotes nostros opponit Christo indutos, hoc est puritate ipsa: est enim *candor lucis æternæ.* ac puto propterea in veteri lege iussos indui byssina veste candidissima.

Sapientes Virgines lampadibus deducis, ac tædiferis Cereris præferũtur.

Sacerdotũ castimonia opposita antiquis.

20 Vim orationis ostendit: *Quot armorum apparatus, ac machinarum inuenta? quot instructæ acies ea perficere potuissent quæ nos precibus solis, ac Deus sua voluntate perficit? nimirùm verbo tenebras depulit, lucem produxit, Cœlos ornauit, stellas constituit, aerem sparsit, imposuit mari limites; omnia in lucem, & harmoniam reduxit.* Elegantèr dictum, ac rectè preces loco armorum ponit: quò spectat illud Iacob de Sichem, *quam cepi in gladio, & arcu meo*; quod Chaldæus vertit, *in oratione, & deprecatione mea.* Sed voluntas Dei exorati effectrix est rerum, & ipsius beneplacitum.

Orationis vis maior omni militari.

21 Iterùm Gentilitatem elegantèr alloquitur, vt fabulis, & idolis relictis, veri Dei fidem accipiat: *Deijce iàm Triptolemos tuos, & mysticos Dracones, pudeat Orphei librorum Theologi tui. non iàm quercus loquitur; non iàm lebes vaticinatur; non non iam Pythia impletur. Castalia siletur, ac silet. rursus rauca statua Apollo, &c. rursus Vulcanus claudus, sed in deprehendendis adulterijs celer; fuligine obtritus, & tamen clarus artifex. rursus Minerua virgo est, & draconem parit. rursus Iuppiter ob libidinem quidvis efficitur: ille vim eam habens, vt solos Deos omnes cum omnibus rebus sursum attrahat, ipse autem ab omnibus detrahi nequeat.* Elegãtèr per antitheta Deos fabulosos irridet. Vulcanus claudus dicitur, & tamẽ celer; fuliginosus, & clarus. Minerua virgo, & mõstrosè pariens. Iuppiter trahẽs, & non tractus. his adde, quod de eius nutus vi poeta ait cũ annueret Iuppiter Thetidi pro Achille capitis inclinatione, tũ vniuersũ Cęlũ tonitru concussit; & Neptunus mare; Pluto verò timuit, nè emota terra, qui apud ipsum erant in Inferis Manes per terræ rimas foras erumperent: quòd quidem ab Homero fictum, Diabolo verè accidit, cũ in morte Christi *Terra mota est, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerũt.* Quod autẽ Iuppiter tũc ambrosios crines concussisse dicitur, hoc est incorruptibiles, quos nemo mortalium lædere posset: at Christus suos pro nobis lacerari spinis est passus [illegible] *Deijce Triptolemos tuos, &c.* Hunc [illegible] fingebant sublimem vehi à Draconibus, & spargẽtem frumenta. Quod porrò ait apud Homerum Iuppiter, etiam si omnes Dij aureis catenis contendant ipsum in terras deferre, non posse: at potuit verum Deum vna Virgo Maria suis verbis: põt & vnus Sacerdos. Cęterùm quod de mutis iàm oraculis ait. In vrbe Dodona quercus erat vocalis, scilicet vndè Diabolus loquebatur. De lebete autem aiunt, statuam fuisse in sublime erectam cum virga, qua tacti lebetes pro tinnitu vario cõsulentes monebant. item apud Delphos in Apollinis templo tripos æneus erat, magnã phialã gerẽs, in cuius media parte inerat rhombus pertusus æneus, ex quo oracula edebantur: Pythia in eius ollæ rhombo sedẽs per vuluam à prauo spiritu implebatur. Castalia verò fons fuit cum iucũdissimo susurro, ac spiritu manans, de quo bibentes, qui susurrum illum sentiebant, Dæmonis afflatu vaticinabantur. Hadrianus hunc fontẽ obstruxit, nè & alijs, sicut sibi, imperium indè prædiceretur; sed Iulianus reclusit. porro hæc, & alia oracula sub Christi aduentum siluerunt, vndè liber Plutarchi de oraculorum defectu, diuino Verbo silentium dæmonibus indicente

Deorum fabulæ, & oracula vana irridetur.

cente

cente verbosis. Erat & Triphonij specus, q ad captãdũ diuinitatis opinionẽ eo se incluserat: porrò cũ aliquis indè exibat, tota vita mestus erat. Mẽphitę aũt vitulũ, Apim dictum, certis notis insignem, vt Eliæ Cretẽsis verbis vtar, in pręsepio alebant, quod sacrum ei erat. ex quo intelligi potest illud de Idolo in deserto conflato: *In similitudinem vituli comedentis fœnum*. Probabile enim est aureum illum vitulum in fœnili, hoc est pręsepio veneratos, cui Christi pręsepe oppositum. ac puto idcircò post ortũ in pręsepio adijsse Ægyptũ, vt. s. Apidis pręsepiũ aboleret.

22 De pœnitentia sic: *Illud sanè magnum, omninò non peccasse, aut certè non grauissimè; quandoquidem eum vitæ statũ, qui omni prorsus peccato careat, Deus supra humanæ naturæ modum constituit; proximum autem illud est, vt eum admisso peccato castigati fuerimus, & posteà indulgentius habiti, in disciplina maneamus, ac secũda verbera vitemus*. Notabile hoc dictũ: *Illud sanè magnũ omninò non peccasse, aut certè non grauissimè*. magnum igitur est, & admirandũ, nunquàm mortaliter, & grauitèr peccasse: qualis Thomas Aquinas fuit, & alij non pauci.

Magnum est nunquã mortaliter peccasse

23 Festa, qua ratione celebranda sint, docet: *Festum celebremus non corporis nitore, non vestitus mutatione, ac magnificẽtia, non epulis; nec floribus vicos cingamus, nec vnguentis mensas, & vestibula ornemus; nec externo lumine splẽdescat domus, nec tibicinum cãtu resonet; quo more ethnici nouæ Lunæ festum celebrant; sed animi puritate, & lucernis totum Ecclesiæ corpus illustrantibus, hoc est contemplatione, & cogitationibus sanctis*. Notanda sunt hæc singula, quæ in nouilunio agebantur, vt vicos & cõpita floribus spargerent, quasi tota Vrbs ager esset floribus cõsitus, &c. nàm spiritalitèr ad Deiparę conceptionem, & natiuitatem referri pulchrè possunt. iuxtà illud psalmi: *Buccinate in Neomenia tuba in insigni die sollemnitatis vestra*. Interioris hominis renouatio quasi noua vestis, vnguentorum fragrantia, deuotio videlicet in eucharistica mensa; & in vestibulo, hoc est exterioris hominis modestia, quò etiam florum sparsio spectat: adde accensas circum domus, splendentesque faces, ac lumina sanctarum cogitationum.

Festa à nobis quomodò celebranda

Deiparæ natiuitas veluti Neomenia celebranda

24 De vnguento, quo in suis festis Gentiles mensas, & vestibula liniebant, ipse sic mysticè: *Vnguentum quoque ipse quoddam habeo, sed quo vnguntur Sacerdotes, & Reges exquisito, & nostra causa effuso, magni vnguentarij arte confecto, atque vtinam mihi suauem huius vnguenti odorem Deo offerre contingat*. Pulchrè hoc Elias Cretensis interpretatur dicens. Vnguentum istud non ex sensibilibus aromatibus, nec arte humana, verum ex deitate, ac purissimis, & virgineis sanguinibus magni vnguentarij solertia conflatũ, quod Gabriel testatur. *Spiritus sanctus*, inquit, *superueniet in te*, &c. de hoc vnguento sponsa ait: *Vnguentum exinanitum nomen tuum*. Exinaniuit quippè se Dominus ipsius formam serui accipiens, vt ait Apostolus; vbi pulchrè magnus vnguentarius dicitur Spiritus sanctus componens Christi corpusculum ex deitate, & ex purissimis Matris virginis sanguinibus. pulchrè, inquam, vocat Spiritum sãctum magnum vnguentarium, & vnguentum dicit fragantissimum Mariæ Virginis sãguinẽ, vndè formata est caro Christi. Vide igitur quàm suaue olens alabastrum fuerit vterus Deiparæ. Tùm vide, vt Sacerdotes, & Reges maximè pietatis, ac deuotionis fragrantiam spirare debeãt, festis præsertim diebus Christi, Deiparæ, &c. Pergit cæteris ritibus profanis Gentilium nostra præferre: *Mensam habeo spiritualem, ac diuinam, quam Dominus parauit in conspectu meo, in qua reficior, & delicior, qua impetum perturbationum cohibeo*. Satis apertè ostendit, diebus festis accedendum ad Eucharistiam, & eius vim ostendit. Sequitur: *Habeo & flores vernis omnibus flagrãtiores agri illius, quem benedixit Dominus, hoc est Sacerdotes: his coronari, ac pompam agere cupio*. Pulchrè comparat Sacerdotium floribus consito agro, certè in Aaronis veste extrema flores depicti erãt, vt ait Iosephus; & vestis illa odore fragrans Esau, quam induit Iacob, vt quidã aiunt, Sacerdotalis erat; nàm apud primogenitos fuit ius Sacerdotij ab initio, ideò de illa dictum: *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Pulchrè autem ait, vt Episcopus de suis Sacerdotibus, quasi floribus, *his coronari, ac pompam agere cupio*. Hic enim est Episcopi honor, hæc voluptas, Sacerdotes habere virtutibus florẽtes. Denique ritui tibicinum diebus festis à Gentilibus vsurpatis, Ecclesiæ preces opponit: *Hymnos pro tibijs assumamus*. Sic traducendus est dies festus: quãtum hæc aliena sunt ab huius sæculi prauitate, atque licentia? Eadem referri possunt ad diem renouationis spiritus, ac vototum, quasi in Lunæ nouæ festo, iuxtà institutum Societatis Iesu bis in anno celebrari solitum. vestibulum vnguentis illinere, est ingressum ipsũ Religionis feruoris plenum recogitare, &c.

Spiritus sãctus magnus vnguentarius in incarnatione Christi.

Sacerdotes, & Reges maxime vnguento deuotionis fragrare debent.

Ad Eucharistiã mensam quàm piè accedendum.

Sacerdotũ ager est floribus consitus.

Vestis odora, quam induit Iacob benedictionem petens, erat Sacerdotalis.

Oratio tibicina suauis est Dei auribus.

25 Remittendas esse iniurias sic persuadet: *Satis magna pœna censeri debet, cũ ij, qui molestiam intulerunt, metu concutiuntur, meritasque pœnas expectant, propriaque conscientia cruciatu afficiuntur*, gra-

Conscientia sæuior vltrix est, quã nos esse vellemus iniuriæ.

grauiusque à se ipsis fortasse, quam ab ijs, qui supplicium illaturi essent torquerentur. En ipse, qui tibi damnum intulit, sibi lictor est, quid aliunde punire quæris? apud conscientiæ suæ tribunal reus est, quid iudices appellas? ideo puto Cain verentem nè ab alijs necaretur, à Deo aliorum manibus subtractum, quia satis ipse sibi dirus carnifex erat secum circumferebat pœnam, profugus, ac tremens, totius scilicet corporis tremore contracto. itàque addit, si nos vlciscamur, leuiores quàm merentur, pœnas luituros: *Quoniam igitur pœnas omnes exigere non possumus, omnes condonemus: ità ijs, à quibus iniuriã accepimus, sublimiores nos præstabimus; ostendamus, quod illos Dæmones doceant, nos Christus erudiat.* acutè dictum, si ab inimico omnes, quas meretur, pœnas repetere velis, non poteris, vel quia resistet, vel quia alia se opponent impedimenta. ergo cum non possis te ad plenum explere, satius est remittere, quod generosi animi est, interim offendes inimicum in offendendo diaboli magisterio vsum, te in parcendo, Christi. Tùm sic ad Iulianũ: *Commemora Pyrophlegetontes tuos, & Cocytos, & Acherontes, per quos iniustitiam punijt Tãtalus, Tytius, et Ixion* At tu Iuliane non saxum capiti, auctes grande ceruici imminẽs, &c. sed grauiora, & teteriora supplicia.

Deo remittenda est vitio inimici, non à nobis sumenda.

Iuliani pœna in Inferis.

26 Suam in obiurgando libertatem demonstrat *Vides ne, Iuliane, quod liberam tandem vocem emittimus? vt enim nec cataractæ Nili cadentes vlla arte inhiberi possunt; nec Solis radius, tametsi nube aliquantisper obducatur: ita nec Christianorum linguæ vincula injci, res vestras insectanti & proscindenti.* Pulchrè Episcopi, & viri Apostolici linguam comparat cum Nili aquis altè defluentibus & Ægyptum latè fęcundantibus; tum cum Solis radijs cuncta calore fouentis, & illustrãtis; nec Nilum vlla vis, nec Solem nubes impedire, atq; extinguere dici potest.

Libera Episcopi lingua in arguendo Nili fluctibus ac Solis radijs comparata.

27 Iuliani odium in bonos ostendit: *Basilium, & Gregorium cum claros, & celebres iàm indè in Græcia esse nosses, Cyclopico honore afficiebas, postremosque ad periculum reseruabas; ac fortassè tanquam triumphale quoddam ingens, & magnificũ munus Dæmonibus excogitabas, si è Perside redijsses.* Iàm dixit Iulianum vouisse Dæmonibus, si victor à Persico bello rediret, Christianum genus, quasi victimam immolaturum Cyclopicum honorem appellat fictum vt quem Vlyxi Polyphemus Cyclops apud Poetas deferr, socios deuoraturus.

Iulianus Dæmonibus deuouet Christianũ genus vt victimam

Honor fictus Cyclopeum munus est.

28 Duorum Martyrum libertatem coram ipso Iuliano exponit: *Ex quibus alter cum Deorum Matri contumeliam intulisset, atque ipsius aram diruisset, adductus est vt necaretur, ingressus est autem laureatus; ac purpuram tuam, & inanes sermones irridens cum maiore libertate exijt.* Vide quàm hic esset securus de victoria, vt ante pugnam quasi lauream sibi assumeret imitatus Christum, qui *exiuit vincens, vt vinceret.* Sed quis tàm insigniter laureatus quàm Laurentius? ad quem etiam refer, quod sequitur: *Alter toto corpore laceratus, ac præ vulneribus exiguum quiddam spirãs, tantum abfuit, vt tormentis cæderet, aut quicquam acerbum putaret, vt cum quandam corporis partem intactam, inoffensam uidisset, tortores etiam ipsos tanquàm contumeliosos accusaret, vt qui totum ipsius corpus honore minimè affecissent, sed aliquid non laceratum, nec sanctitate affectum reliquissent, tibiam simul demonstrans, vt quæ sola vngulas effugisset, eoque adhortatur, ne & huic parceret.* Mira constantia, & præclara vox. similis fuit & illa Laurentij: Assatum est iàm, versa, & manduca. Vide, vt vulnera Martyris ad decus ipsius corporis pertineant. vide quoq; ardentem patiendi pro Christo sitim, vt nulla pars corporis immunis esset à plaga. quàm absunt ab hac heroica virtute, qui corpus delicatè nutriunt, & omnibus sensibus illecebras admittũt?

Martyres à Tyrannorũ minis victis exibant laureati.

Apocal. 12.

Martyr sollicitus, nè vlla pars corporis cruciatu vacaret.

29 Concludit hæc omnia contra Iulianum dicta: *Hæc tibi nobis columna Herculeis columnis sublimior sit, & splendidior; nàm illæ vno tãtummodò loco fixæ, ab ijs; tantùm, qui eò se conferunt, conspici possũt: hæc autem omnibus nota, quam etiam futurum tempus excipiet, te, tuaque scelera proscindentem, erudientem alios, & admonentem, nè aduersus Deum rebellent.* Vide quid agant docti viri, qui hæreticos scriptis impugnant; tanquàm columnam erigunt, cui inscribatur: Non plus vltrà: nè quis scilicet audeat religionis veræ fines temerè prętreuehi cum naufragij periculo. sed sublimior hæc Gregorij colũna est, & nobilior, duabus illis Herculeis, nec vno in loco. Habet igitur religio suos Hercules, & præstantiores monstrorum huiusmodi domitores Gregorius itàque inuectiuam in Iulianum steliteuticam vocat, vt Athenienses Zeliten, qui Græcis persuaserat, vt pecunia corrupti Persarum Regi parere mallent, quàm liberi esse, in columna inscripserunt omni genere ignominiæ notantes; sicut contra optimè meritis illustria facta columnis etiam consecrabant.

Gregorij inuectiua in Iulianũ duabus Herculeis columnis nobilior.

Ex Oratione V. De Reditu.

1 Ostendit, cur è solitudine, quam tantoperè amabat, redierit: *Ad vos*

vos adductus sum, vinctus non ferreis catenis, sed tenacissimis Spiritus vinculis constrictus. Helia Carmelum, & Ioannis desertum animo agitabam, ac Mundo sublimiorem sic philosophantium viuendi rationem; præsentia verò tempestatis instar existimabam; ac rupem aliquam, & præruptũ tõquirebam, vt obtegi possem. Vides, vt aliquando ad commune bonum de cõtemplatione descendendum sit? pulchrè autē hoc vitæ genus Mundo sublimius dicit, dùm Mundum infra se habet, & despicit. rectè itē tanquā Lycēū philosophicū dicit veræ sapientiæ: mundanos verò naufragos inter procellas iactari quis neget?

Vitæ actiuę laus.

Vitæ contemplatiuæ laus.

2 Imperfectiorem se dicit, quàm vt Episcopi munus subeat, quod obtulerat Pater: *Omnes ex eadem massa coagmentati sumus, eandemque vitij arborem gustauimus, vtcumq; alius alio speciosiorem laruā præferat.* Nota de peccato originali. grecè est σκηνὴ, scænam: tanquàm enim histriones sumus, veram virtutis personam non sustinemus, quæ solida est, & perfecta. Tum ad Patrem sic: *Me iuxtà te collocas, & curarum simul, & coronarum sociū adsciscis. idcircò me Pontificem vngis, ac podere cingis, capitique cydarim imponis, atq; holocausti spiritalis altari admoues, & initiatus vitulum mactas, manusque Spiritui consecras, & Sancta sanctorum spectatum introducis, verique illius tabernaculi ministrum efficis.* Vide, vt Episcopus ideò infulas illas pontificias accipiat, vt sciat se infulatam esse victimam Deo immolandam; nàm & victimæ infulis decorabantur. non est igitur fastus, sed mortificationis illud munus.

Peccatum originale quale sit.

Hæc vita scęnica est, & laruata.

In Episcopum consecrari quid sit.

Ex Oratione VI. ad Nyssenum De gloria Martyrum.

C. 6.

1 VErum amicum pulchrè describit ex Ecclesiast. *Amico fideli non est digna ponderatio auri, & argenti: viuus thesaurus est. & hortus conclusus, fons signatus, qui opportunè aperitur, & communicatur. amicus fidelis solatij portus est. &c. quod si prudentia excellat, quanti faciendus? quid si præterea summa doctrina instructus sit, & ad has quoque dotes accedat, vt lucis filius sit, & homo Dei, aut ad Deum propius accedens, aut vir desideriorum diuinorum, aut alijs nominibus dignus, quibus homines entheos, & excelsos, & supernos honorat scriptura? id Dei donum est, vnguentoque illo Sacerdotis summi fragrantius.* loquitur de Gregorio Nysseno. Vide quàm præstantes dotes requirat in amico. igitur cum dicitur de Ioanne, *Discipulus, quem diligebat Iesus*: quis nesciat, hæc in illo & posuisse, & inuenisse *solatij portum*? ideò cum in illa cęna de proditione Iudæ sermo esset, tāquā in tēpestate Ioānem apud se habuit quasi perfugium: & quod ait, *Ad Deum propius accedens*: Nemo propior quàm qui in pectore. *Vir desideriorum diuinorum*: ità Daniel dictus ob reuelationes; multò magis Ioānes ob Apocalypsim, *Entheus, excelsus, & supernus*: Nempè ille, qui tā altè, & sublimitèr intonuit: *In principio erat Verbum.* ac rectè idem dici potest *Viuus thesaurus*: Quid enim eo ditius, qui accepit Dei Matrem in sua? hoc est in hæreditatem.

Dotes veri amici quæ sint.

Ioannem Christi dilectum dici quam præclarum sit.

2 Basilium, & Gregorium Nyssenum fratres, Mosi, & Aaroni comparat: *Ambo mare scindentes, Israelitas traijcientes, panem supernè trahētes, aquam partim effundentes, partim edulcorantes; ambo per manuum extensionem Amalechitas opprimētes; ambo Duces ad terram promissam, &c. Nonnè perspicis ambos, quos pictrix oratio effinxit?* Pulchrè se picturam quādam, veris tamen coloribus, non fucatis expressisse dicit. Nota illud de manna ad preces dato: *Panem supernè trahentes.* Nā multò magis hoc ad nostros Sacerdotes pertinet verbis illis efficacibus: quicquid apud Homerum iactet Iuppiter, se nec Deorum ipsorum viribus posse in terram trahi. Cæterùm possunt hæc de Mose, & Aarone ad Ignatium nostrum, & Franciscum Xauerium referri, ambos prodigijs, & virtutibus inclytos. certè Ignatius à summo Pontifice tanquàm Moses alter, Dei digitus est appellatus; idē & legislator fuit, &c. Xauerius autē tantorū operū socius & tāquàm Ignatij lingua apud barbaros fuit: sicut Moses apud populum iussus est Aarone pro lingua vti.

Basil. & Nyss. Mosi, & Aaroni comparati

Oratio traxit manna de Cœlo

Ignatius, & Xauerius cū Mose, & Aarone collati.

3 Qua ratione celebrāda sint Martyrum festa, ostendit: *Quid in hoc festo, hac hominum frequentia dignum proferemus? purificemus nos ipsos Martyribus; imò ipsi, cui illi cruore purificati, & expiati sunt: exhibeamus nos hostiam viuentem, ac sanctam; neq; enim purus tanto in pretio quicquam habet, quàm puritatem.* Nota, in festis Martyrum nos ipsos offerre debemus Deo eadem cupiditate martyrij, vt peccata nostra sanguine abluamus: vtinam certè lacrymis. castè autē in primis dies Martyrū celebrādus est, quo videlicet die caro, non dicam mortificationē, sed mortem subijt. præterea excitandum dicit animum ad spiritalem pugnam eorum exemplo. *Certemus propter athletas, vincamus propter victores, testimonium dicamus veritati propter Martyres.* grecè elegantius dicitur: dicamus martyriū propter Martyres: μαρτυρήσωμεν διὰ τοὺς μάρτυρας. Sequitur: *Hoc illorum certamini demus, vt ipsi quoque palmam assequamur.*

Martyrum festa quam pie celebranda.

Puritate nil pretiosius

aduersus spiritales nequitias, aduersus domesticum bellum, aduersus quod in animi perturbationibus situm est, certamen ineamus; linguam velut praeacutum gladium continedmus, &c. Vide, vt genus martyrij sit perturbationes vincere. Notum est de illo, qui properans ad martyrium, cum in inimicum incidisset, ac nollet ei parcere, priuatus est corona martyrij: adeò aliquandò difficiliùs est continere gladium vindicis linguæ, quàm subire carnificis gladium. itaque pergit pulchrè: *Graue quidem hoc, & periculosum bellum, & dimicatio magna, sed amplum, & luculentum trophaeum; atque ità verè Martyres honorabimus, ac triumphalem vnà choream agemus.* Vide quid agat mortificatio passionum; côiungit nos Martyribus, particeps facit de triumphi gloria.

Mortificatio passionum genus martyrij

4 Etiam carnis mortificationem in festis Martyrum requiri ait: *Quid corporis voluptati cum Martyrum certaminibus? Martyres Christi sacrificium sibi imitandum proposuerunt.* Facit hoc pro nostris Martyribus Iaponicis crucifixis. Addit de celebratione horum festorum: *Caueamus, nè sancta impurè, sublimia demissè, honore digna turpitèr, denique spiritualia temerè celebremus.* Est hoc contra abusus huius sæculi. quàm abstemij fuerũt Martinus, & Antonius? eorum tamẽ festi dies penè in Orgia bacchica transierunt.

Imitandi Martyres per mortificationem carnis.

5 Item de Martyrũ gloria sic pulchrè: *Vtinam nobis contingat, vt Martyrũ splẽdorem cernamus clariùs; atque puriùs beata, ac principis Trinitatis lumine illustremur.* Rectè splẽdorẽ vocat; ac sæpè in loco martyrij cœlestes faces visæ: λαμπρότητα vocat; imò ex igne super Sosij caput viso, collegit Ianuarius eum fore Martyrem. Sequitur in eodem voto: *Vtinam ad extremum vsque spiritum cum magna libertate confiteamur praeclarum illud sanctorum Patrum, qui Christo, ac nascenti fidei propinquiores extiterunt, depositum, confessionem, inquam, illam, quam simul cum luce hausimus.* Vide vt nos cõformare debeamus primo feruori nascentis Ecclesiæ; quod item religiosis agendum respectu fundati ordinis. Denique quid agat in nobis Martyrum exemplum, sic docet: *Spiritalis ascensus, ac diuinitatis consequendæ mediatores sunt Martyres.* Hoc est per vitæ contemptum abstrahunt nos à terrenis ad supera, Deoq; coniungunt.

Martyrum splendor

Primus Ecclesiæ feruor renouandus.

Martyres mediatores apud Deũ.

6 De Dei timore sic: *Hoc vnum timeamus, nè quid magis quàm Deum timeamus; nè diuinæ imagini per improbam viuendi rationem probrum inferamus.* græcè ὑβρίζειν est probro afficere, contaminare. & vide quid agat peccatum: Dei imaginem in nobis deturpat, inhonorat; quod nemo in Principis imagine facere auderet.

Improbitas deturpat Dei imaginem.

7 Charitatem commendat: *Ille charitatis parens, imò ipsa charitas: hoc enim nomine maximè delectatur Deus, vt per ipsa vocabula mutuũ amorẽ quasi lata lege promulget.* Nota cur dicat Apostolus: *Deus charitas est.* quasi præco quidam promulgauit legem charitatis, ostenditq; quàm vellet Legislator seruari, cuius nomenclaturam assumpsit.

Paulus charitatis præco.

Ex Oratione VII. de Cura Pastoris.

1 Ostendit eum, qui cum Deo versatur, humillimè de se sẽtire: *Esaias priusquàm Domini gloriam, ac sublimem illum thronum, & cingẽtes Seraphim aspexisset, nec animo deficit, nec metu concutitur, sed in Israelitas magno clamore inuehitur, sibi verò parcit, ac velut ab innocenti abstinet; postea verò quàm & vidit, & vocem illam arcanam auribus hausit, tùm demùm velut seipsum magis aspiciens: ò miser, inquit, quia compũctus sum.* Vide quid agat oratio, & Dei, Angelorumque præsentia, compunctionem excitat, vt se primùm accuset. & quia calculus ille ori admotus typus Eucharistiæ fuit; vides quã necessarium sit de delictis compungi, antequàm sumas. item nota quàm rigidus sui exactor Esaias sit: *Quia vir pollutis labijs ego sum.* Licet ex ijs labijs oracula diuina manarent, non tamen audet labijs attingere calculum, antequàm labia accuset: adeò facilè est vel Prophetæ aliquid in loquendo delinquere. hem quo ore, quibus labijs nos Christum tangimus, excipimus, qui aliena carpimus delicta, non nostra?

Humilitas oritur ex Dei cognitione.

2 Ostendit quàm perniciosum sit inspirationi diuinæ non respondere: *Saul & vnctus est, & Spiritum percepit; ac tùm spiritalis erat, atque etiam præter hominũ spem prophetabat, vndè illud: Saul inter prophetas: quoniam autem se totum Spiritui vtendum non dedit, nec purè, & integrè, vt oraculum ferebat, in alium virum mutatus est, &c. Quid eius calamitates tragicè describam? nostis aduersarium spiritum, &c.* græcè est ἐκτραγῳδῶ, rectè tragœdiam vocat tàm calamitosa catastrophe terminatam. Tũ nota, præceptũ fuisse illud datum per Samuelem, cum vncto in Regem ait: *Mutaberis in virum alterum.* adeò qui magistratum init, nouam vitam inire debet: quod quia non egit, traditus est spiritui malo: similes tragœdiæ in religionibus quoque nonnunquam visuntur eorum, qui iuxtà perfectionem sui status viuere non curant.

Inspirationi non respondere quàm malum sit.

3 Cauendum esse magnoperè ait, nè

quod

quod acquisitum est virtutis, per superbiam deperdatur: *Non minoris existimo negotij dignitatem suam, & harmoniam tueri, & conseruare, quàm à principio harmonicum fieri.* græcè pulchrè est ἁρμοσθῆναι. Quantum laboris impéditur in adaptandis lyræ chordis? at si paululùm vna laxetur, absurda, & absona sunt omnia: religio ipsa, vel quiuis religiosus quid nisi lyra, vel cithara est chordis aptè intentis? cæterùm hùc facit illud carmen: Non minor est virtus, quã quærere, parta tueri. sed quid maximè hanc harmoniam absonam facit? superbia ex rectè factis: *Quippè cum Gratia ipsa, quod maximè paradoxum est, fastum faciat, & elamorem; & sic à Deo, ad quem, non vt decuit, accessimus, exturbet, atque ità dùm extollimur, corruamus: vt fiat supra modum peccatum peccans, per id, quod bonum est, moliens peccatum.* Rectè paradoxum appellat: quis enim credat ex rectè factis, hoc est ex virtute gigni posse vitium? quod fit, cum indè superbimus. Quod ait, Gratiam ipsam fastum facere, &c. græcè est μετέωρισμα, quæ vox ad impressiones aeris pertinet, hoc est meteora, vt cum halitus terrenus à Sole supra aerem eleuatur, ibi accenditur instar sideris, mox decidentem vides: stellæ cadentes dicuntur. quod indicant illa verba: *Dùm extollimur, corruimus.* Itàque concludit: *Hæc tùm quæ ego metuens, moneo eodem modo affectus, quo pueri ad fulgetra, ex quorum spectaculo coniunctam cum admiratione, ac stupore voluptatem capiunt; spiritum enim & amaui simul, & extimui.* Præclarè dictum de splendore virtutis, quam ità amare debemus, vt timeamus, nè per superbiã lędat, sicut fulgetrum, & coruscatio in aere delectat pueros; sed nisi caueant, noxia est; simile est, quod Augustinus ait de lucernæ splẽdore, quæ infantes ità delectat, vt semper eò defixos vertant oculos; & nisi caueat nutrix, strabi fiunt.

Cõseruatio virtutis nõ minus laudabilis, quã acquisitio

Superbia harmoniã spiritus absonam reddit.

Paradoxũ est ex virtute nasci superbiam.

Virtutis splendor amãdus, & timendus vt fulgetrũ

4 Cum contemplatrice vita actuosam coniungit: *Cum Spiritus me vteretur ad ministerijũ suũ, ad vtrumq; doctrinæ genus, quod tùm in sermone, tùm in exemplo vitæ consistit, ad commodam pascendi gregis rationem, à Mundo abstrahentem, ad Deum adducentem, ad montes, & edita loca ferentem; de quibus Michæas: Appropinquate, inquit, montibus æternis.* Vide, quàm Deo coniunctus esse debeat, qui Episcopatum accipit: talis erat Carolus Borromæus, quem cura aliorum non impediebat, nè aliquandò in solitudinem Varalli montis secederet ad contemplationem. & pulchrè montes æternos vocat, vbi enim æternitati aptiùs vacatur quàm in excelsis, & à vulgo remotis locis? Franciscus in Aluerniæ monte, Ignatius in monte Serrato diuinas illustrationes acceperunt: quò refero illud: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.*

Vitæ contemplatiuæ & actiuæ coniunctio.

Psalm. 75.

5 Mira humilitate ab ijs doceri vult, præcipuè à Basilio de obeundo munere Episcopatus: *Hanc regendi gregis artem mihi vos tradite; præitu nos, & nos pastores pasce: charitatem tuam ergà gregẽ nos doce: industriam, solertiam, curam tuam, illam carnis tuæ spiritui cedentem secessionem: illum coloris istius florem gregis commodis laborantis; illam lenitate temperatã acrimoniam, &c. dic, quæ pascua pascenda? qui fontes adeundi? qui baculo regendi? qui verò fistula? quomodò cum lupis dimicandum? &c.* Pulchrè ostẽdit munus Episcopi. quiuis Prælatus has preces fundere oporteret ad sanctos Præsules, ad ipsum in primis Basilium. pulchrè itẽ eius pallorem, & abstinentiam cõtractum vocat: *Coloris florẽ*, quasi pallentis violæ. & illud elegantèr dictum, difficile esse scire, quas oues baculo, quas verò fistula regas; hoc est noscere, qui subditi egeant seueritate, qui suauitate.

Greg. à Basilio discit petit modũ gubernãdi.

Basilij egregiæ laudes.

Ieiunij pallor flos cũ coloris.

Oues pastor aut fistula regit, aut baculo, sic Prælatus subditos.

Ex Oratione VIII. de munere Episcopi.

1 SE toto sancto Spiritui regendum pulchrè committit: *Me totum Spiritui dono, organum diuinum ipse sum, quod à præclaro artifice Spiritui sãcto harmonicũ redditur, & pulsatur.* græcè ἁρμόζομαι. Vides quem virtutum concentum requirat; est enim vir iustus tanquàm lyra quędam, vel cithara, quæ diuino Spiritui qui digitus Dei, committit se temperandam, aptandam, pulsandam, chordis omnibus concinentibus, nulla laxius remissa. hoc fit cum non propriæ scientię confidimus, nec sequimur nostrum, sed Dei beneplacitum. Idalia metaphora sic exponit: *Ad Mentis & Verbi, & Spiritus, quorum vna est diuinitas, & natura, ianuã mentis claudo.* pulchrè cordis sui claues apud se habere dicit, vt diuinis Personis aperiat, claudat terrenis cogitationibus, iuxtà illud: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Greg. se tradit Spiritui sancto tanquam musicum organum tẽperandũ.

Ianua cordis Trinitati semper aperta.

2 De subditorum virtute, & prompta obedientia gratulatur: *Nihil est conducibilius, ac tutius, quàm vt volentes volentibus præsint; volentium, non coactorum pietatis monumentum est.* Egregiè, & pulchrè dictum, vt nec Prælatus coactus ob importunitatem aliquid iniungat; & subditus ipse non coactè agat.

Feliciter gubernatur, vbi obedientia viget.

3 Elegantèr admodùm ostendit, hoc munus ideò se non recusare, quia Basilij ductu, & beneplacito impositum: *Proindè*

enim

Gregor. Basilij alumnus quasi aquilæ pullus.

cum præclaro parente curam nunc suscipere non recuso, velut magna aquila, & altissimè volantis pullus non incommodus è propinquo aduolans: postea verò pennam meam Spiritui, quò volet, & quoquo modo volet, ferendam dabo. Vides Episcopum non statim de sua scientia fidere debere, sed ad normam præstantis alicuius Antistitis regere: nota certè illi esse deberent acta sanctissimorum Præsulum, Ambrosij, Chrysostomi, Basilij, &c. pulchrè autem Basilium aquilam vocat, sublimem vita, atque doctrina, se verò pullum aquilæ; nec tamen aliis ingenij, & prudentiæ fidit, sed afflatu Spiritus sancti ferri vult, vt quicquid Prælatus agat circa subditos, ex supernaturali impulsu fit, non humano. hinc de Cherubim illis Ezechielis, inter quos aquila, dicitur: *Manus erat sub pennis eorum.* neque enim pennas mouebant, nisi quò manus duceret, idest Dei beneplacitum. Dicat igitur egregiè quisquis virtute, & doctrina à Deo donatus est: *Pennā meam Spiritui, quò volet, et quoquo modo volet, ferendam dabo.*

Episcopus opt. consiliarijs vtatur.

Episcopus non ex humano affectu, sed ex inspiratione Spiritus agat.

4 De solitudinis bono sic: *Desiderium suadet mihi montes, & solitudines, vt Spiritus splendore purè collustrer, quousque ad ipsum tandem radiorum fontem perueniamus; ac depulsis à veritate speculis, votis nostris finem imponamus: Videmus enim nunc per speculum in ænigmate, &c.* Mirè dictum, inter vmbras nemorū collustrari vult splendore Spiritus: item de illustrationibus animi in solitudine paulò ante.

Spiritus Sanctus dux nostrarum actionū sit.

Ex Oratione IX. ad Iulianum Tributi Exactorem.

1 Vim charitatis elegantèr ostendit: *Quænam hæc tyrannis est, qua ex charitate assidua premimur? vt scilicet publicè verba faciam, cum optem potiùs solitudinem* Hùc spectat illud Pauli: *Charitas Dei vrget nos.* Pergit item pulchrè: *Illud optabam, vitam in Christo absconditam ducere: vt magis negotiatoris instar rebus meis omnibus pretiosam illam margaritam emerem, resq; fluxas cum cælestibus commutarem.* Vide quod nostrum studium, quæ negotiatio esse debeat, vt omnia talenta nostra, ingenium, doctrinam, solertiam tradamus, vt Christum quasi margaritam nobis emamus. certè vterus Virginis quasi concha fuit excipiens cęlestem rorem, vnde illud: *Rorate Cœli desuper.* & illud: *Ros lucis, ros tuus, &c.*

Nostra negotiatio emere margaritam Christū.

Contēplatio solum ob proximi bonum intermittēda.

2 Quid ipse in concionādo sequatur, ostendit: *Nihil molle, & remissum, nihil numerosa concinnitate multitudini iucundum eloquar; sed robusta, & acri, & vehementi dicendi ratione vtar; & ipsi fortasse meliores efficiemini.* Vide vt Doctor hic licet elegantissimus, tamen nonnisi fructū spectet auditoris, ac se inhibeat: nō molles affectat flosculos orationis, sed lacertos intendit, & quasi amentatam hastam intorquet, vitia reprehendendo. & qualis oratio requiritur? *Robusta, acris, vehemēs.* Robusta, hoc est solida, argumētis, & exēplis conuincens: acris, hoc est peccatum insectādo: vehemens, hoc est motum animi continens.

Concio vana laxatur.

Tres concionis dotes.

3 Animum à terrenis, & caducis ad superna sic excitat. *Res humanæ tanquàm insomnia homines deludunt; vmbræ instar manibus teneri nequeunt.* Quid mirum, si vt vmbra apprehendi non possunt? quandoquidem Cyrus visus est Solem apprehendere velle manibus, nec posse elabentem, quæ mortis significatio fuisse dicitur. Sequitur: *Si in Cœlum suspicimus, vbi bonum illud nec fluctuat, nec aliò migrat, nec insidijs est obnoxium: nonnè si quid delicijs dandum, rerum futurarum spem pro delicijs habebimus?* Vide in quo deliciæ nostræ positæ sint, in spe æternitatis.

Humanę res somnia & vmbræ sunt.

Spes æternitatis nostræ deliciæ.

4 De Martyribus, quorū festum agebatur, sic elegantèr, & pulchrè: *Cùm omnes sancti Martyres velut communes quidam nodi vniuersum Orbem terrarum cōplexi sunt, tùm hi, quorum hunc diem festū agimus; quam ob causam vulnera, ignes, gladiorum acies, membrorum abscissiones, mortem denique ipsam, tanquàm in alienis corporibus dimicantes, sustinuerunt.* Notabile est, quod ait, Martyres quasi nodos complecti Orbem terrarum: græcè est σύνδεσμοι. Nulla ferè regio est, quæ Martyres non habeat, etiam nunc vltima Barbaria: itā quasi colligati sūt inter se firmo proposito, quasi indissolubili nodo moriēdi pro Christo. an nō de Petro, & Paulo dicitur? Quomodò in vita dilexerūt se, itā in morte no sunt separati. addo: hic, quasi nodus Herculeus mihi videtur, qui nullo modo dissolui poterat; se l pulchra quadā arte constrictus erat; quem item nodum Galenus salubrem vulneribus curandis adhiberi iubet: quid autem tàm salubre ad nostrarum afflictionum vulnera mitiganda magisq; valet, quā cognitio eorū, quæ tàm tolerantèr passi sunt Martyres? hunc nodum Herculeum adhibuit Paulus enumerans tot genera cruciatuum: *Secti sunt, lapidati sunt, in occisione gladij mortui sunt; circuierunt in melotis, &c.* Quod ait, Martyres tāquàm nodos complexi sūt Orbem terrarum, puto intelligi posse, Orbē terræ, nisi hoc quasi vinculo ex aureis orbibus cōpacto teneretur, facilè ob peccata destrui, & dissolui posse. Cum Tyrus oppugnaretur ab Alexādro; Tyrij aurea catena Apollinis simulacrum

Martyres quasi nodi Orbis terræ.

ve-

velut innodarunt, & constrictum, Herculis Vrbis patroni manibus commiserunt, nè expugnaretur, & caperetur ab hoste. certè patroni Vrbium quid nisi nodi sũt aurei? experta est sæpè Neapolis hoc in suis, in Ianuario maximè. Plato quoque Mundum vniuersum aureis quibusdam nodis, & catena illa Homerica complexum facit. Ad hæc Martyres nos Deo cõiungunt; ligant ima summis, terrena cęlestibus: denique vt ait Proclus, astrologi nodum vocant sinus quoddam in summitate cęlestis nauis: Martyres quid nisi splendentes stellæ sunt nauigationis nostræ? naues rudentium nodum infernè habent, nos supernè, quia in Cœlum tendimus. Præterea nota, quod ait de incredibili tolerantia Martyrum, quasi vulnera tanquam in alienis corporibus, non proprijs infligerentur. Martina virgo octoginta plagas accepit Clemens per annos decem, & octo lanienam subijt.

5 Exemplo Martyrum nos elegantèr excitat: *Nonne igitur nos etiam sub eodem certaminis designatore, atque arbitro, aduersus eundem tyrannum aciem instruemus, inuisibilem hostem? si non in periculo vitæ, at in quotidianis palæstris, vt easdem coronas, aut his proximas adipiscamur.* Metaphora est tùm à campo militari, tùm à theatro, vbi certamina exhibentur, premijs victori propositis, quamobrem Deũ vocat designatorem, & arbitrum; græcè est βραβευτῆ, καὶ ἀγωνοθέτη: Agnothetam vocabant, qui præerat certamini, & pręmia distribuebat. talem ante oculos habere oportet Deum in agone nostro. & vide, quod votum debeat esse omnium, vt videlicet vel Martyres simus per mortem pro Christo, vel Martyribus proximi per mortificationem.

Martyrio proximi sumus per mortificationem.

6 A Mundi amore nos abstrahit: *Audistis Saluatorem dicentem: Surgite, abeamus hinc. quibus verbis non solum discipulos, sed & nos abstrahebat, & ad seipsum in altum euectos, quemadmodum de se dixerat, pertrahebat: quocirca bonũ Dominum sequamur, impostorem Mũdum fugiamus.* græcè est παίζει. illudit Mundus suis, vt solent; qui oculis arte fucum faciunt: quò spectat illud Pauli: *Præterit figura huius Mundi.* græcè est, decipit, fallit.

Luc.

Mundus impostor est.

7 Pusillanimitatẽ tollit egregiè: *Quid nos ipsos spontè deijcimus, cum sublimes, & erecti cuncti simus? vnusquisque quod potest, offerat: hic castam virginitatem, ille pudicas nuptias: hic ieiunium, ille pauperũ curam, &c. omnes autem lacrymas.* Pulchrè dictum. alij alia offerũt, sed hoc commune sit omnibus, offerre lacrymas: quia vz. peccatores sumus omnes, & redempti Christi morte, &c. erat Athenis ara Misericordiæ, in qua, vt Statius ait, pro victimarum sanguine lacrymæ offerebantur; nempè sanguis sunt cordis. Pergit: *Nihil eorum, quæ Deo offeruntur, tam paruũ est, quod non accipiat. cum Moses arcam illam ad cælestium exemplar constructam fingeret, alij aurum, ac gemmas, &c. alij pilos caprarum rem vilissimam erogabant ad tabernaculi opus: ità in Ecclesia tabernaculũ architectonica Spiritus arte compactũ, varijs virtutum ornamentis constructum, alij plus, alij minus, omnes tamen offeramus.* Hùc facit illa lex Lacedæmoniorum, vt Dijs munuscula offerrent, nè quis excusare se posset de inopia. lacrymæ cui desunt? quas vix natis natura tribuit. pilos caprarum cilicium contextum intelligo. Sequitur: *Illud certè pulcherrimum, & humanissimum censendum est, quod Deus non oblatæ rei pretio, ac dignitate largitionem, sed offerentis affectu, & facultate metitur: Non apparebis, inquit corã me vacuus. quod in promptu habet quisque, offerat; qui peccat, vitæ mutationem, qui rectè currit, acrimoniam, & contentionem.* Nota, nàm alterum pertinet ad mundanos, alterum ad religiosos. & vide quid in hoc requirat: *acrimoniam, & contentionem.* hoc est acre studium, & totum conatum. hæc vera oblatio est.

Lacrymæ communis omnibus oblatio.

Deus quãtũuis paruũ munus acceptat.

Deus in oblatione affectum potius, quã pretium rei spectat.

8 Cõmendat illi gregem suum, vt moderatè agat; præsertim, cum hæc exactio incideret in tempus natiuitatis Christi: *Populum meum suauè, & humanè describas; si nihil aliud, at certè tempus hoc reuerentia prosequutus, siquidem ipse Saluator descriptionis tempore nascitur. nunc Angeli gaudent, pastores lumine perstringuntur; nunc ab Oriente ad lucem maximam, & inaccessibilem stella currit, Magi procumbunt, dona offerunt: nos mystica dona, & ijs, quæ cernuntur oculis, sublimiora offeramus.* Rectè in communi lætitia Christi nascẽtis monet, nè per duram exactionem tristitiam admisceat; itàque addit; *Cũ Christo describis, cum Christo tributum expendis, cum capite censum facis, cum Verbo rationem subducis; nàm Christus tibi nascitur.* hoc est, & tu, qui tributum exigis, tributarius es vnà cum Christo, qui tributum pendit.

In Christi natiuitate relaxanda tributa.

Tributarij sumus vnà cum Christo nato.

9 Docet, cur Christus descriptionis tempore nasci voluerit? *Sanè eos, quibus huiusmodi munera commissa, admonet, ipsũ semper maximis rerum administrationibus interesse, & quidem vt descriptores pudore quodam afficiat; tùm demùm commoueat, carnem assumit. vt autem seruituti nostræ solatium afferat, & animi æquitatem; non modò suo, sed Petri nomine didracmum pendit.* Acutè dictum: ortus est tributi tempore, tùm vt exactores pudenter, & benignè agant; tùm vt ij, à quibus exigitur, æquo animo ferant, videntes, &

Cur Christus natus tributi tẽpore.

ipsum

ipſum Deum pro ſe tributarium factum, quod egit item, cum pro ſe, & Petro tributum ſoluit: vbi primò notandum, cur ex ore piſcis argentum illud acceperit, non aliunde? puto quia piſcis in prouerbium abijt, quod mutus ſit; ita exigitur tributum à ſubditis, nec licet ijs palàm conquerendo loqui; deindè ex ore vulnerato per hamū eſt acceptū: nimirū tributū cum vulnere pauperum cruentum exigitur. altera ratio item acuta, cur Christus deſcriptionis tempore naſci voluerit: vt quia exactio magna res eſt, & grauis; ſciant Principes, cum illam fieri iubent, ſe præſentem intereſſe.

Christus præſens cogitandus, dum tributum exigitur.

10 Oſtendit, cur Deus pater per Filij incommoda ſalutem noſtram fieri voluerit. poterat quidem nos ſola voluntate reficere, ſicvt & ſola voluntate fecit: *Sed maius, & ad incutiendum pudorem accōmodatius nobis contulit, commiſerationem, atque honoris æqualitatem. quid igitur ſtō? nè magiſtri nobis imitandam pietatem proponemus?* Nota, græce pro commiſeratione eſt τὴν συμπάθειαν; quaſi enim Deus ſympathiam haberet cum homine, vt ſolent ſympathici cum amico, quem impensè amant, incommoda libenter accipere, vt declarent penitùs inſitum amorem: quæ ſanè quaſi ſympathia Chriſti cum Franciſco Xauerio miro modo oſtēſa eſt; quippè quoties ille in India in magno certamine, & labore erat, obſeruatum eſt, imaginē Crucifixi, quæ apud cognatos erat, quaſi collaborantem ſudare. Nàm quid dicam de Franciſco Aſiſiate cum Chriſto ſympathia, cum ijſdem vulneribus ſit affectus? ſed maius mihi videtur, Dominum ſympathia affici ergà ſeruum, quàm ſeruum ergà Dominum. Monet igitur Iulianum, vt & ipſe ità in tributo exigendo benignus ſit, tanquàm ſi cum ijs, à quibus exigit, ſympathiam habeat.

Chriſti quaſi ſympathia cū genere humano.

11 Tributum pendere quàm graue onus ſit, oſtendit: *Satis ſupergraue eſt, vt ex eadem maſſa hominibus alij imperent, alij imperio teneantur: nè quid huic iugo ponderis addatur, nè quid pœnæ illi, quæ primum noſtrum peccatum mulctatum eſt, acerbitatis accedat. atque vtinam pereat primum illud ſemen, ac prauus ille, qui dormientibus nobis zizania ſuperſeminauit, vt mali principium ex boni incuria naſceretur.* Notabilis eſt hæc ſententia, quæ indicatur, incuriam, deſidiam, quæ quaſi ſomnolentia eſt, originem fuiſſe tāti mali; quaſi enim ſopitus inter delicias erat Adā. opus igitur eſt, vt ſupra dixit, *acrimonia, & contentione*, in virtute tuenda. Tū pergit pulchrè. *Hæc mala nobis inuexit lignum illud, & amarus eſus, & lex violata. hinc ego nudus, & indecorus pellitea indutus tunica e Paradiſo deiectus ad terrā, id vnum deliciarum loco habens, quod calamitates meas cognitas habeam; eamq; pœnam pendo, vt mihi cum eo, qui malè in meā amicitiam irrepſit ſuadendo, bellum gerere ſit neceſſe. Hæc mihi malitiæ merces; hæc mater egeſtatis, & cupiditatis, & bellorum. bella verò tributorum parētes, quibus tributis in diuina condemnatione nihil grauius. at nos ſaltem nè mulctam augeamus, cum eidem pœnæ omnes obnoxij ſimus, nec malè, acerbèque cum alijs agamus.* Rectè tributi exactionem tanquàm pœnam refert ad peccatum originale omnium ærūnarum fontem: ſatis graue tributum pēdimus ex domeſtico bello paſſionū, quid aliud exigimus? rectè vocat bellum patrē tributorum, nàm vt exercitus, & legiones alantur, hæc exiguntur. Sed notes velim, quę de peccato originali dicit, & vide, an Deiparæ conueniant: *Hinc ego nudus, & indecorus, &c.* at in Canticis dicitur: *Pulchra, & decora* nec ſemel; item: *Odor veſtimentorum tuorum, vt odor thuris.* quaſi diuinitatem quandam redoleat, quod & Dyoniſio viſum eſt. Item de peccato originali addit. *Hæc mater egeſtatis, & cupiditatis, & bellorum*; at Deipara eſt mater eius, in quo omnes theſauri ſapiētiæ, & ſcientiæ Dei; & caruit fomite, hoc eſt paſſionum bello. Quod autem ait: *Hæc mihi malitiæ merces.* grecè eſt ἐπίχειρα, quaſi manu capta, quaſi ea manu ad pomum extēſa mercedem calamitatis acceptam primi parentes nobis tradiderint.

Neglig̃etiæ malum

Peccatum originale graue tributum eſt, quod Diabolo penditur.

Originalis peccati diſna, & ignominia.

12 Terret ſeriò Iulianum ab iniuſtitia, & angaria in exigendo: *Erit alia quoque deſcriptio, & deſcriptor alius, niſi fortè de quodam viuentium, ac pereuntium libro nihil vnquàm audiſti: illic enim omnes inſcribimur, vel vt rectius dicam, inſcripti ſumus pro merito, quiſque tàm confecti vitæ curriculi. illic non meliore conditione ſunt diuitiæ, nec deteriore paupertas. omnes Dei digito deſcripti ſumus, nobiſque in reuelationis die liber aperietur; illic paruus, & magnus, & ſeruus vnà cum hero, & Rex vnà cum ſubdito, & deſcriptor vnà cum profitēte: cæterùm quo modo alios deſcripſerimus, eodem ipſi quoque deſcribemur.* Præclarè librum illum, quo nomina eorum, qui tributum dant, ſcribit exactor, opponit libro diuinæ prædeſtinationis, & pręſcientiæ, in quo exactoris ipſius nomen ſcribitur, vt dùm exigit, diuinum exactorem ſibi ante oculos proponat, & liber ille frænum quoddam ſit huius. Quod ait: *Omnes Dei digito deſcripti ſumus.* cum Spiritus ſanctus dicatur digitus Dei; ſi prædeſtinati ſumus, huius gratiæ debetur. Tū ſic ad Iulianum: *Quid ad hæc dicis? quid ſcribis æqualium optime? tametſi præſtantiore gradu, atque ordine, vereor enim dicere grauiore, nos Deus collocauit, vt vos qui*

Magiſtratus, & exactores de extremo iudicio cogitent.

Omnes Dei exactoris digito deſcripti ſumus.

ma-

magistratum geritis, ista doceamus. Vides, vt Episcopi gradus sit præstantior omni magistratu; & hic ab illo excipere debeat, quæ pertinent ad pietatem.

Episcopatus excellentior omni magistratu.

13 Cómendat Dei seruos in exactione tributi: *Mea oratio tibi donat pauperes. offert totum Sacerdotium, & philosophorũ chorum, qui nullo vinculo humi tenentur, qui Cæsari nihil debent, Deo omnia. Habẽt preces, vigilias, lacrymas hoc est huiusmodi opes, quæ manibus teneri nequeunt, qui animam à corpore abstraxerunt. His parcas, aut etiam omninò Deo redimas, sicut famulos, cælestium rerum inspectores; has, inquã, generis nostri primitias, hoc culmen, has fidei coronas, has pretiosas margaritas, hos templi illius lapides, cuius fundamentum, & lapis angularis est Christus, hoc est præclari Ecclesiæ cõplementi: pulcherrimè vtique, & ipsis, & tibi, & nobis omnibus consulueris; ac tibi has potiùs à nobis diuitias optarim, quàm magni auri, argentique thesauros.* Præclarum est hoc religiosi status elogium. Vide, vt Dei seruos, ac religiosos immunes esse oporteat ab onere tributorum, ac vectigalium, cum paupertatem profiteantur. & vt eorum amicitia magistratibus magis optanda sit, quàm quælibet exactio auri, atq; argenti. & nota, religiosorum cœtum appellat: *Philosophorum chorum*: quasi hoc Licæum sit veræ sapientiæ. *Qui nullo vinculo humi tenentur.* non ergò vinculis tributorum cõstringendi. *Cælestium rerum inspectores*: ob contemplationem: *Fidei coronas, pretiosas margaritas, & templi mystici lapides.* Quid præstantius? *Fidei coronas* appellat, quia inuisibilibus sunt addicti, & Martyrum socij. *Pretiosas margaritas* vocat, quia cum Cœlo, sicut illæ, cognationem habent, ex cælesti enim rore sunt, & candore castimoniæ nitentes: concha quædam religio ipsa est. Deniquè de hac exactione sic concludit: si cum charitate omnia fiant: *Ità tandem in Cœlis facilem, & benignam descriptionem consecuti, circà omnium regem tripudiantes laudem Deo ministrabimus.* Idest, si in libro exactionis terrenæ omnia piè fiant, etiam in libro diuinæ exactionis piè agentur omnia: ità & hic lætitia, & ibi æternũ erit tripudiũ.

Religiosis timus elegans elogium.

Ex Oratione X. in obitu Cæsarij fratris.

1 QVa ratione vita piè functis parentandum sit, docet: *Sapiẽs ait: Memoria iusti cum laudibus. & Esaias: Super mortuum plora. & quasi dirè passus incipe plorare. æquè nos ab indolentia, & ab immodico luctu disiungens.* Egregiè notatum tùm contra Stoicos, tùm contra mundanos: *Incipe plorare*: hoc est, non omninò veto, nè fleas amici iacturam; sed cum inceperis plorare, adsit immortalitatis cogitatio, quæ fletum sistat. Ostẽdit hic primò humani corporis imbecillitatem; deinde animæ dignitatem, tertiò cõsolationem adhibet, & æternitatis memoriam.

Luctus in morte amicorum conceditur, sed moderatus.

Oratio funebris quomodo texenda.

2 Orditur laudationem à genere: *Eius parentibus cum multa, & magna laudum argumenta suppetant, vna tamen res potissimùm nobilitat, & insignes reddit, nempè pietas. Pater in fructiferam oliuam ità pulchrè insitus, vt aliorum etiam insitio sit ipsi commissa, & animarum cura tradita.* Huc refer illud psalmi: *Filij tui sicut nouellæ oliuarum.* ità vt dici possint *Filij splendoris*: vt loquitur Zacharias; oleum enim nutrimentum est lucis. itaquè nec patres degenerent à maioribus nec filij à patribus. Pergit: *Mater ab ipsis proauis Deo cõsecrata, pietatem quasi hæreditatem, non ad seipsam solùm, sed ad liberos quoque deducens; ambo filiorum amantes, & Christi, sed Christi amantiores, quippè qui hunc ex liberis fructum carpentes, vt cum Christo coniunctione, ac veluti necessitudine felicem prolem definirent.* Vide quis sit finis, & fructus matrimonij, & in quo consistat eius felicitas; nempè si liberi piè educati cum Christo cõiungantur, vt quasi Christi familia amplificetur. tùm nota, quæ sit vera hæreditas filiorum, transmissa scilicet pietas parentum in filios: quod item sic pulchrè explicat: *Pro maxima hæreditate futuræ vitæ splendorem thesaurizantes.* græcè λαμπρότητα. Non igitur auri, argentiquè splendor hæreditarius felicem facit sobolem, sed fulgor consequentis æternitatis. ait autem, parentes diuites fuisse tùm terrenis, tùm cælestibus bonis. Demùm sic concludit: *Hæc de parentibus eò dixi, vt ostenderem à parentibus debitam Cæsario virtutem fuisse; nec mirum videri debere, si tales parentes nactus, talibus laudibus se dignum præbuerit; sed potius mirandum fuisse, si suis neglectis aliena sibi spectandos proposuisset.* Hùc refer illud Lyrici poetæ: Nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam. Id porrò etiam ad Fundatores Religionum referri potest.

Pietas maiorum nobilitat filios non degeneres

Psalm. Zachar. 1.

Bona educatio filiorum commendatur

Parentes thesaurizare debẽt liberis pietatem.

3 Post fortunæ, vt vocant, bona, de corporis bonis in Cæsario sic: *Vt media omittam, pulchritudinem, & magnitudinẽ, atque ijs gratiam, & velut in sonis concentum, quandoquidem nec nostrum est ista mirari, licet alijs non parua videantur; sed ad ea, quæ prætermitti non possunt, me conferam.* Vides, vt corporis bona, pulchritudo, elegantia, gratia, &c. vix in bonis numerẽtur: est hic quidem tanquàm concentus quidam, & harmonia membrorũ

Pulchritudo quasi concentus membrorum est, vix tamen in bonis numeranda

res gratissima, si hanc quasi lyram pudor fidicen temperet, iuxtà illud summi poetæ: Gratior, & pulchrior veniens in corpore virtus. Tùm accedit ad bona animi moralia; in primis de eius cum optimis conuersatione agit: *Non ignorabat ad virtutem, aut vitium permagni referre quibuscũ versaris.* Rectè monet; quod maximè adolescēti spectandũ est, & cauēdũ.

Cōuersatio bona, vel mala magnam vim habet.

4 Commendat & illa bona animi, quę ad ingenium, & disciplinas pertinēt: *Ingeniosos ingenio, & laboriosos studio præcellebat.* Vides, vt ingenio non sit fidendum sine labore. Sequitur: *Ex astronomia, quod vtile erat, collegit, hoc est vt ex corporum cælestium concentu, atque ordine Conditorem admiraretur; quicquid noxiũ, & exitiosum erat effugiēs; siderum motum, vt par est, Deo attribuens.* Rectè monet, vt ex disciplinis nonnisi id, quod ad Deum ducit, sit delibandum. genethlia, & horoscopos, & apotelesmata mathematicorum inter exitia numerat. adeò, quod certè præposterum est, in corporum natiuitatibus mortem animi incurrunt.

Astrologiæ quæ pars vitāda, quæ laudanda.

5 Ostendit, se in laude Cæsarij fratris ab omni affectu humano, & adulatione abhorrere: Neq; enim, inquit, oratio nonnullis firma est testibus: *Verùm & Orientalis, & Occidentalis erat; ac denique regiones omnes, quas peragrauit, insignes ipsius doctrinæ columnæ sunt.* Pulchrè Vrbes, quas excurrit, tanquàm columnas vocat. ibi insculptæ sunt eius præclarè res gestæ, eiusquè doctrina: sicut & Seth dicitur in columnis disciplinarũ rationē inscripsisse. id verò ad Thomam Aquinatem Doctorē spectat; si dicas, & Parisios, & Neapolim eius doctrinæ columnas esse præclaras. ità de miraculis, & rebus insigniter gestis dices, Orientis maximè Vrbes quasi columnas inscriptas testari, qualis, & quantus Apostolus Franciscus Xauerius fuerit, & similia.

Vrbes peragratæ à Sanctis, quasi columnæ inscriptis notis virtutum ipsorũ

6 De diuersis studijs, & vitæ rationibus initis, cum à se, tùm à Cæsario agit. ipse se Deo deuouit, ille Augustorum aulæ se commisit: *Ego excussa omni ambitione non secus, ac graui quodam Domino, & molesto morbo, philosophari, atque ad supernæ vitæ studium me ipsum transferre constitui.* Rectè vocat ambitionem, qua sæculares se, ac familiā honoribus promouere anxiè student: *Grauem Dominum, & molestum morbum.* Quamobrem sanctè Ignatius noster ambitioni dignitatũ religiosis suis interdixit voto peculiari nuncupato. Deo autem dicati seruitutem veram Philosophiam itē rectè appellat. Hoc Lycæum nostrum est, hęc Academia: sine philosophico pallio, nudi nudo Christo configimur Cruci. Tùm de Cæsario fratre sic pergit: *Ille in aulam se contulit, vt aiebat, quò Vrbi præsidio esset; sed non mihi rem gratam faciebat, quoniam inter postremos apud Deũ censeri satius, & sublimius est, quàm apud terrenum Imperatorem primas ferre; non tamen reprehendendum.* Pulchra ratio: etiam si Cæsarius bono fine in aula Imperatoris esset, vt scilicet munera sibi commissa, & magistratum in aliorum vtilitatem impenderet; etiam medicam exercens artem apud Cæsarem gratuitò; sed Gregorius tamen malebat, cum inter vltimos Dei seruos esse, quam inter primos Imperatoris aulicos, quia illud honorificētius. mira dignitas religiosi status.

Ambitio animæ grauis Dominus, & molestus morbus.

Infimus Dei seruus nobilior omni primate aulico

Dignitas sæcularis ad bonum publicum dirigenda.

7 Hos duos status inter se confert, primumquè præponit: *Philosophari vt maximum, ità difficillimum est, nec id aggredi multorum, nec aliorum, quàm quos diuina mentis magnitudo, quæ probæ hominum voluntati manum porrigere solet, aduocauit.* Vide, quæ vera vocatio sit, & quàm excellens hic status, & vt Deus promptæ voluntati per gratiam non desit. Tùm de piè in sæculo viuentibus sic: *Non parui autem hoc quoque æstimandum, si quis secundum vitæ genus complexus, probitati studeat, ac maiorem Dei, salutisq; suæ, quã terreni splendoris rationem habeat; atque hunc quidem tanquàm scænam, aut personã quandam ex multis, & caducis præferat, tãquàm fabulam agens; ipse autem cum imagine, quam ab eo acceptam ei debet, vitam ducat.* Rectè monet, sæcularem etiam si in dignitate sit, maiorem Dei, quàm terreni splendoris rationem habere debere, quē tanquam fabulam putet, & vmbratilem scęnam; quod Imperator ipse Octauianus vidit, cum moriēs dixit: Peracta est iã fabula, plaudite. Idem pulchrè sic explicat: *Cum multa, & magna illi suppeterent ad dignitatem, tamen hoc primum erat, quod Christianus esset, vt alia cum hoc collata, ludus, & nugæ ei essent; talia enim ab alijs ludi posse, non secus ac in scæna, quæ celerrimè fingitur, & dissoluitur, imò facilius fortasse deletur, quàm construitur, vt patet ex vitæ mutationibus; pietatem verò bonum vnum esse proprium, quodquè tutò permaneat.* Nota de catastrophe humanæ vitæ; agnoscis in his Franciscum Borgiam, vel in sæculo pijssimum, ac paruifacientem Magnatium fastum.

Vocatio ad Dei seruitutem magnum eius beneficium

Mũdus fabula, & vmbratilis scęna.

8 Pergit in Cæsarij virtutibus: *Illud exploratum habebat, nihil adeò hominem ad altiora prouehere, quàm virtutem: ita quibus gradu inferior erat, eosdem gloria longè superabat.* Vide, vt quò quisq; virtute pręstantior, eò sit nobilior. Sequitur: *Ob pudicitiam, ac temperantiam omnibus charus erat; quodquè maximè censendum est, non permisit, vt à gloria, aut ab ijs, inter quas versabatur delicias, anima sua nobilitas*

Virtus non genus nobilem facit

Pudicitia gratiam apud alios conciliat.

tas

tas corrumperetur. Hæc laus ad Aloysium Gonsagā nostrū pertinet, qui in aula Philippi Regis tàm castè versatus est, vt in Augustę sororis vultum nunquàm obtutū oculorum fixerit. huc faciunt, quæ addit: *Certamē erat, quisnam Cæsarium sibi magis adiungeret; talia sunt pietatis præmia: audiant innocētes, ac per eandem virtutem ad eundem splendorem contendant.* Vide, vt pudor, & virtus gratiam quandam habeat apud omnes.

9 Qua ratione se Cæsarius gesserit cū Imperatore Iuliano apostata, ostendit. Iulianus humanitatis obiectu persequutionem cęlabat instar flexuosi illius serpentis, qui ipsius animum obsidebat; Christianos autē quasi facinorosos necabat, ne honorarentur vt Martyres. prudentèr ille cū hoc egit: *Lex enim hoc sācit, vt vrgente quidem tempore pro veritate periculum adeamus; quamdiù autem licet, periculа ipsi nè prouocemus, siuè animarum nostrarum metu, siuè vt ijs consulatur, qui periculū nobis inferunt.* Nota, cur nō expediat lacessere persequutorem, nè & tu nimiū de te fidas, & huic ansā des parricidij. hinc illa Athanasij fuga, & latebræ.

Iulianus inuidens gloriæ Martyrum.

Iulianus vafer, & serpens.

Nil temerè in persequutione agendum.

10 Et hoc ad Cæsarij prudentiam spectat cum Iuliano versantis: *Ingrediebatur vir ille fortis Christi signo septus, clypeoquè vice magnum Verbum præferens ad hominem multum in armis, & magnum in facultate dicendi, vt promptus, & paratus athleta ad decertandum: vtrinq; theatrum erat spectantium, vtram in partem certamen incitnaret.* acutè ait: Iulianus & militari arte præstabat, & eloquētia; cum igitur Cæsarius eum conueniebat, bellico vexillo opponebat vexillum Crucis, quo se signabat; verborum telis clypeum diuini Verbi, idest Christo se commendans.

Cæsarius velut fortis athleta cū Iuliano luctans.

Crucis signum munimentum animæ.

11 Narrat, qua occasione Cęsarius relicta aula, & sæculari vita se totum Deo tradiderit: ingenti enim terræmotu Nicεæ exorto, solus ipse aut cum paucis incolumis euasit: *Modo quodam incredibili, hoc est ipsa ruina protectus, ac paruas quasdam periculi notas referens; vt timorem maiorem, salutis magistrum, caperet, totūq; se supernæ parti adiungeret, translata militia à rebus mutationi obnoxijs, & aula commutata.* Ignatij nostri cōuersioni hoc aptissimè conuenit, qui militans terreno regi, ex accepto in crure vulnere vi bellici tormenti resipuit, & ad Christi signa transfugit. Huc refer, quod sequitur.

Cæsarius mortis periculū euadens se totū Deo dat aula contempta.

12 Lætitiam ostendit suam ex Cæsarij mutatione: *Molestè ferebam, illius indolis magnitudinem in deterioribus rebus versari; animamque adeò philosophicam, in publicis negotijs volui, ac veluti Solem nubibus obduci.* Hoc, inquam, item ad Ignatiū pertinet, erat enim generosæ indolis, & Deiparæ virginitatem paratus erat vel gladio tueri, vt legitur in eius actis. Et vide quid sit, naturæ dotes præclaras in res mundanas potiùs, quàm diuinas impēdere, nubem Soli obtendere; hinc post conuersionem vultus ille Ignatij radiatus apparens. Pulchrè Cęsarij præclaram indolem indicans, vocat: *Animā adeò philosophicam*; hoc est, alta spectantem ob ingenij aciem perspicacem.

Pręclarum est nobilē in pumis virum relicto sæculo Deo seruire.

13 De Cæsarij funere sic pulchrè: *Cæsarius, cinis pretiosus, mortuus, laudatus, ex hymnis ad hymnos transmissus, ad Martyrum sacraria cum pompa ductus, sanctis parentum manibus honoratus, materna cereorum gestatione, lacrymis à philosophia superatis, psalmodijs luctum sedātibus.* Meritò vocat iusti: *cinerem pretiosum*; iuxtà illud: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Tùm nota, morem hymnorum, & cereorum, sed in primis parentum virturem, qui alterius vitę memores, affectum vicerunt: non domi se in luctu, & sordibus continuerunt, sed pater pheretro filij subijt, pergebat mater cereum gestans. græcè est μητρὸς λαμπαδηφορία; solebant autem propè sepulchra Martyrum condi, quod per eos sperarent veniam. Cęterùm pompa illa funebris cum cereis ad sepulchrum exprimit cursum illum ad metam Lampadiforia dictum, tædas gestantium, sibiquè successiuè tradentiū; quæ erat imago pręsentis vitæ, quæ à morientibus in posteros transfunditur.

Pompæ funebris mos cū cereis, & hymnis.

Apud Martyrum sepulchra sepeliri curabant.

Iustorum pretiosus cinis.

14 Vetat honorari Cæsarij funus vnguentis, & floribus more Gentilium; tùm ad ipsum conuersus optat ei æternam fęlicitatem: *At tu diuinum caput, vtinam Cælos penetres, & Angelorum choream, ac Beatorum gloriam, & splendorem spectes, vel potiùs vnà tripudies, & exultans humana omnia ex alto despiciens, & huius vitæ iactationem, & tanquàm in nocturna pugna confusionem, magno illi Regi adstās, atque illinc emicanti lumine impletus.* Nota, satis magna iucunditas esset spectare tantum Angelorum choreas, & Beatorū splēdorē; quid si vnà cū illis tripudies, & colluceas? quid si Deo adstes, eoq; fruaris?

Mores Gētilium in funere vitandi.

Votum de salute defuncti.

15 In consolando condolere oportere ait: *Magnum lugentibus pharmacum illud est, quod ab ijs, qui eodem sunt affecti dolore, porrigitur.* Pulchrè solatium, quod datur, pharmacum vocat; scilicet tanquā nepenthes illud Homericum, quod omnia mala obliuione abstergebat.

Consolatio pro mortuo quę adhibenda.

16 Ex breuitate vitæ, communique decreto mortis, arguit, frustrà suscipi squallorem luctus: *Tota vita sita est constituenda, vt mortis meditatio sit quantum nos ante uertit Cæsarius? quā diù adhuc eius discessu angemur? nonnè eundem lapidem mox subibimus? nōnè paucis his diebus, qui-*

Vitæ præsentis luctuosæ, & miseriæ.

bus superſumus, hoc ſolũ lucramur, vt plura mala vel videamus, vel patiamur, vel fortaſſè faciamus, atque ità tandem naturæ legi communi, ac ſtabile tributum pendamus. Nota, etiam Reges, ac Cæſares ſunt tributarij mortis. tùm vide quàm non expediat diù viuere, cum nonniſi tria illa lucremur, vt vel videamus, vel patiamur, vel faciamus mala.

17 Quanta ſit vanitas vitæ, pulchris metaphoris oſtendit: *Eiuſmodi vita noſtra eſt in terris ludus, vt, cum non ſimus, naſcamur; nati rurſum diſſoluamur. inſomnium ſumus minimè conſiſtens, ſpectrum quoddam, quod teneri non poteſt; vapor matutinus, nauis, auis, &c.* grecè ludus παίγνιον, ideſt ludus pueriliss eſt vita mortalium; en illa magnitudo faſtus: ſpectrum φάσμα.

Præſens vita ludus puerilis, inſomnium, ſpectrum, &c.

18 Locum illum pſalmi: *Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos*, legit, palmares: *Pulchrè Dauid dies humanos palmi menſura definit*. Rectè ait pulchrè dictum, nè menſuram aliquam vitæ longa arundine nobis conſtituamus. quid breuius palmo? atque ideò puto dictum ab Eſaia: *Cœlos palmo ponderauit*; quia dies, & tempora ex motu Cœlorum metimur. græcè eſt παλαιστάς, quæ eſt menſura quatuor digitorum: nec abs re, cum ex quatuor elementis conſtemus, ex quorum habitudine pendet vita, vel mors. alij hanc vocẽ deducũt ἀπὸ τῆς πάλης, à lucta, vndè & παλαιστὴς luctator dicitur; itaquè legunt: Præliares, ſiuè contentioſos poſuiſti dies meos: tanquàm enim palæſtritæ conſtituti ſumus, ac luctatores. Hinc concludit non eſſe Cæſarium lugendum, ſed nos ipſos inter mala verſantes.

Dies noſtræ vitæ palmares, & athletici

19 Reſpõdet obiecto de cauſis luctus. Dicet quiſpiam: *Non idem imperabit Cæſarius; at nec grauem Dominum pertimeſcet. non opes cumulabit; at nec inuidiam metuet, nec animæ detrimentum. non ſermones oſtentabit; at à ſermonibus admiratione afficietur. non Platonis, & Ariſtotelis, & Democriti placitis ſe venditabit; at nequè in ſoluẽdis eorum argutijs laborabit.* Vide quàm hic deditus philoſophiæ eſſet. ſed hoc ipſum non ſine labore eſt, quo caret per mortem.

Mors finis malorum, & laborum

20 Commendat Cæſarium à beneficentia in pauperes, quibus per matrem hæreditatem diſtribuendam reliquit: *O ingentem munificentiam. Auditum eſt præconio omnium auditione dignum; ac matris luctus ob præclaram, ac ſanctam pollicitationem exhauritur, quæ omnes filij opes pro eo ſe in ſepulchrale munus daturam recepit.* Rectè matrem laudat, quæ ideò deponit luctũ, quia omnes opes non ſibi reſeruat, ſed pro filij ſalute impendit. ac vide rem miram, cum Cæſarius hic tàm ſanctè vixiſſet, ac tàm piè mortuus eſſet, tamen adhùc de pœna luenda poſt hanc vitam metuens, non partem opum, ſed omnes ad liberationem ſui contulit: etiã ſi Gregorius pulchrè ſubindicet, pias animas rectè in Cœlum euolare: *Maius pharmacum adhibeo. Sapientium dictis adducor, vt credam, omnem animam pulchram, & Deo charam, poſtquàm hinc exceſſerit, protinùs bonum, quod eam manet, centupliciter recipere, & ſumma cum hilaritate ad dominum ſuum tendere*. Quid hoc feliciùs?

Cæſarius omnes opes impendit in morte, vt purgatoriũ euadat

21 Solatur ſe ſpe futurę reſurrectionis: *Quid ad res in ſpe poſitas elangueſco? expectabo Archãgeli vocem, extremam tubam, Cæli transfigurationem, elementorum libertatem, totius Mundi renouationem. tũc Cæſarium videbo clarum, illuſtrem, excelſum, qualis mihi in ſomnijs ſæpè eſt viſus.* Vide in quem ſublimem gloriæ ſtatum hic aſcenderat, vt Gregorio ſe non ſemel obtulerit: *clarum, illuſtrem, excelſum*; & tamẽ ipſe timẽs in morte omnes facultates impendit in animæ liberationẽ ſuæ.

Iuſti ſplendor in iudicio.

Cæſarius apparet Gregorio poſt mortẽ ſplendens

22 Potiùs noſtrã qui ſuperſumus, conditionem lugendam dicit: *Nonnè ad inuiſibilia oculos cõuertemus? nonnè ſi quid etiã mœroris concipiendum eſt, idcircò potiùs eſt ſuſcipiendum, quod incolatus noſter prorogetur? quod in ſepulchris ijs, quæ circumferimus, diutius hæreamus? quod vt homines peccati morte moriamur, cum Dij facti ſimus?* Nota tria capita, ob quæ nos ipſos potiùs debeamus lugere, quàm mortuos. Quod autem elegantèr ait, nos corpus quaſi ſepulchrum circumferre, adnotandum eſt græcè corpus dici σῶμα quaſi σῆμα, ideſt ſepulchrum. Quid igitur luctum facimus de aliorum funere, ac non potiùs de noſtro ſepulchro? & illud quanti ponderis dictum? Cum Dij facti ſimus ob eius imaginẽ, peccãdo nos ipſos ęternæ morti ſubijcimus. Huc pertinet, quod ſequitur.

Spes æternitatis magnum ſolatium de morte.

Anima in corpore, velut in ſepulchro.

23 Ab alieno funere animum ad noſtri de ſalute periculi conſiderationem traducit: *Hic me timor exagitat; hic dies, noctesq; mecum verſatur, nec me liberum ſpiritum ducere ſinit: hinc futura gloria, hinc futurum tribunal, ex quibus illam quidem appeto, hoc exhorreo; timeo nè nobile illud figmentum ignominia mulctetur, &c.* quaſi dicat. Quid mentem occupo in alijs deflẽdis, cum in me habeam, quod multum deflendum, & timendum ſit. ac vide, vt vir ſãctiſſimus de prædeſtinatione metuerit: *Hic timor dies, noctesq; mecũ verſatur, &c.*

Mirus Gregorij timor de ſalute

24 Hominis conditionem admiratur: *Quodnam eſt hoc nouum circa me myſterium? paruus ſum, & magnus; humilis, & excelſus; mortalis, & immortalis; terrenus, & cæleſtis; illa cum inferiore hoc Mundo, hæc cum Deo; hoc magnum illud myſterium deſignat; Deus homo factus eſt, vt iacentem carnem erigeret, & incolumitatem imagini affer-*

Homo ex oppoſitis mirè conſtat: humilis, & excellens.

afferret, hominemq; instauraret, vt solùm Dei characterem in nobis geramus, à quo facti, tantùm ab eo informati, & impressi, vt ab ipso solo agnoscamur. Rectè miratur hominem ex dissimilibus conflatum, natura vilem, gratia nobilem. pulchrè autē ait, Deum in nobis tanquàm in re sibi carissima, & quam sibi reseruet, impressisse sigillum imaginis suæ, quam nonnisi ipse agnoscat, sicut ipse solùm se nouit. refert Aldobrādus, in apis visceribus repertam mirè bouis imaginem tenuissimam, nèmpè & apis ex ipsius bouis visceribus nasci solet. Quod ait: *A Deo informati, & impressi.* græcè est μορφωθέντες, καὶ τυπωθέντες, vt fit in typis. Tùm sic orationem concludit: *Magna munificentia Dei, qui parua petenti, largitur maxima.*

Ex Oratione XI. in obitu Gorgoniæ sororis.

1 OMnem suspicionem adulationis in laudando amouet: *Veritate tanquàm regula, & canone vtemur.* itàq; relicto eloquentiæ apparatu, *pietatis debitum munus quasi ex quoddam alienum exsoluemus, simulquè ad eiusdem virtutis imitationem erudiemur.* Nota quo fine laudatio instituenda sit, tùm vt tributum virtuti debitum persoluamus, tùm vt ad imitationē accendamur. Vides, vt virtus oēs sibi tributarios, & debitores faciat.

Laudatio funebris quæ spectare debeat.

2 Virtutem potiùs à se prædicandam dicit, quamquam non desit materia circa alia bona, vt fortunæ, quæ bona putātur: *Alius quidem eius patriam, ac genus laudens, nec pulchris sermonibus destituetur, si eam exterius etiam exornare voluerit, non secus atquè præstantem quandam, & eximiā formam, auro, & gemmis, atquè ab arte, & manu perfectis ornamentis, quæ deformem quidem admotu ipso produnt; pulchræ autem nullum pulchritudinis incremētum afferunt, vtpotè ab ea superata.* Pulchrè de pulchritudine virtutis, quæ tanta est, vt nullis indigeat extrinsecus accersitis ornamentis dicēdi, imò hæc vilescūt illi apposita, quia ipsa minus pulchra apparēt.

Animi potius bona laudanda, quam corporis, aut fortunæ.

3 Gorgoniæ parentes cum Abraham, & Sara comparat: *Vt ille virorum, ita hoc fœminarum ornamentum erat; ab his Gorgonia & vitam, & gloriām accepit, ab his pietatis semina præclara hæc, quæ plerisq; qui ob maiorum splendorem tumidos animos gerunt, non suppetant.* Vide, qui parētes familiam illustrēt, qui, videlicet, cum vita, & gloriam rerum gestarum, & virtutem in filios transfundant. Deindè cum de patria dixisset, subiungit egregiè: *At si sapientius, & sublimius disserendum est, Gorgoniæ quidem patria fuit superna Hierusalem, ciuitas illa, quæ animo, non oculis cernitur, in qua ciuium munere fungitur, cuius conciues sempiternam choream agitant, quorum nobilitas diuinæ imaginis cōseruatio est.* Vide felicem eius patriæ cōditionem; cui vel Arabia, vel Campania felix dicta ob vnguentorum fragrātiam, omninò cedat.

Maiorum nobilitas si non degeneres, in laude est.

Iusti patria est cœlestis Hierusalē.

4 De eius pudicitia sic: *Cum hæc vita diuisa sit in matrimonium, vel cœlibatum, atque hic quidam diuinior, & sublimior sit, verùm laboriosior, & periculosior, illud humilius, quamquam tutius: illa quicquid in vtroque pulcherrimum erat, elegit, cœlibatum matrimonio admiscens: nō enim quia carni copulata erat, idcircò à spiritu disiūcta erat; nec quia caput virum habebat, idcò primum caput non nouit; sed cum naturæ paululùm ministrasset, totam se Deo consecrauit; quodquè pulcherrimum est, & honestissimum, maritum quoque ad se pertraxit.* Pulchrè hæc Elisabethæ Reginæ Lusitaniæ, Birgittæ, Frācisc æ Romanæ, & similibus accommodari possunt. vbi habes rem notabilem, in matrimonio coniunctionem carnis non semper necessariò afferre disiunctionem à spiritu. pende item illud de cœlibatus præstantia, quem statum *diuiniorem, & sublimiorem* vocat.

Pudicitia coniugium honestat.

5 Cum nonnulla de eius virtute dixisset, ad maiora properans, subiūgit pulchrè: *Sed hoc est laudare ab vmbra statuā, ab vnguibus leonem.* Quamobrem aggreditur primò de eius insigni modestia, & pudore dicere: *Nō illam aurum arte elaboratum ornauit; non flaua comæ tùm apparentes, tùm sublucentes, non crinium nodi, & impostura pretiosam caput scænam cum ignominia efficientes, &c. procacibus oculis idolum proponens.* Non parua virtus in nobili fœmina, contēptus mundi muliebris. pulchrè vocat crinium nodos, & imposturas, quasi crines illi præstigiosi sint, illigātes etiam aliorum animos. pulchrè item scænam vocat, sed ignominiosam, illū compti capitis apparatum, quē exhibent se spectantibus, tanquàm in histrionica huius vitæ fabula; vndè non plausum, sed sibilum recipient. Deniquè rectè idolum vocat pompaticè incedentem mulierem, & ab alijs coli cupientem; quò spectat illud psalmi: *Filiæ eorum cōpositæ vt similitudo templi.* In Ægyptiorū templis exterior aspectus Pario marmore, ac Memphitico opere elaboratus trahebat ad se alios; sed intus ingressi canē, vel felem, vel aspidem inueniebant, quæ idola apud ipsos erant. itā, &c. Huc spectant sequentia.

Mundus muliebris scenica res est, & idoli species.

6 Abhorrebat item Gorgonia à genarum fuco, atquè pigmentis: *Vnus illi rubor placebat, quem pudor afferret, vnus*

can-

candor, quem parit abstinentia; pigmenta, ac fucos, ac viuas tabulas scanicis relinquebat. & hoc ad scænam pertinet, res picturis repræsentare, & fucato vultu personas inducere. Vides totum illum mundum muliebrem non esse aliud, nisi fabulosum negotium, imò otiosam fabulam. pulchrè autē pro purpurisso pudorem adhibuisse dicit, pro cerussa candorem: sic elegantèr vocat pallorem ex abstinentia contractū. Agnes quoquè dicebat: Sanguis sponsi Christi ornauit genas meas.

7 Illud ad pietatem, & religionē pertinet, quod Sacerdotibus præcipuum honorem tribueret, & aras ornaret, ac templa sumptu suo: *Tot donarijs cùm alia templa, tùm hoc quoquè ornauit.* est & hæc laus nostra ætate nonnullarum nobilium matronarum, quæ non modò templa ornant, sed exædificant ingenti sumptu, & magnificentia. Ad tabernaculi structuram dabant inaures, hæ patrimonium totum.

Laudabilis mulierum sumptus in ornatum templorum

8 De solida eius virtute sic: *Quodquè præclarissimum est, non magis optima videri, quàm re vera esse studebat.* præclara laus. Item illa de abstinentia: *Nec corpus tradidit ventris voluptatibus, rapido, inquam, & latranti cani.* Vide quid sit indulgere gulæ, Cerberū alere, qui in te dētes acuat, tibi oblatret esurie inexplebili.

Non videri sed esse bonum in laude est.

9 Deniquè pulchrè vniuersa colligit: *Vna virtutes omnes complexa est: sic enim omnia præstitit, vt nè mediocritèr quidem vnum quisquam alius: sic autem ad summū singula, vt vel vnum solum pro omnibus abundè sufficeret. has liberis suis opes reliquit, nempè sui imitationem.* prǽclara laus, vt perfectior esset ipsa in omnibus virtutibus, quàm quisquè in vna. Refer hæc ad Teresiam in primis, quæ hanc virtutum hæreditatē nobilissimæ soboli sui ordinis reliquit: cui itē cōpetunt, quæ sequuntur.

Magna hæreditas exempla relicta ad imitationē.

10 Elegantèr in affectum prorumpit: *O squallidum corpus, & indumentum virtute sola florens. ò animam corpus habētem penè etiam sine cibo, velut materia expers, imò ante disiunctionem mori coactum, vt anima libertatem haberet. ò lacrymarum fontes; ò nocturnum clamorem nubes penetrantem. ò fœmineam naturam, quæ virilē superasti, ac fecisti, vt constaret, marē esse, vel fœminam, corporis discrimen esse non animi.* Pulchrè vocat corpus squalidum, sed sola virtute florens. græcè est ἀνθοῦν, quod Teresiæ virgini, & ob abstinentiam conuenit, & ob miram odoris fragrantiā ex corpore manātem. Item idem corpus per mortificationem dices, *ante disiunctionem mori coactum.* preces verò horariæ noctu decantatæ quid aliud sunt, nisi *nocturnus ad Deum clamor penetrans nubes*? facit hoc pro religiosis. Huc refer

Laus præclara cum affectu in morte Gorgoniæ.

Corpus abstinentia squalidum, sed virtute florescens.

Nocturnæ preces horariæ Deo gratissimæ.

pulchrum illud Iob: *Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte.* Iob. 30.

11 Narrat, vt Gorgonia diuinitùs curata sit meritò pietatis; morbo enim graui correpta, desperatis alijs remedijs: *Ad omnium medicum noctu confugit, ad altare cum fide procumbit, eumquè qui super ipso honoratur, omnibus nominibus appellat, & quæ mirificè gessisset repetens, cum caput suum cum lacrymis altari admouisset, & si quid vspiam antityporum pretiosi corporis, aut sanguinis manus recondiderat, id lacrymis admiscuisset: ò rem admirandam. statim se liberatam morbo sensit.* Nota, ac perpēde, quæ egerit. ægra, vt erat, ad altare cōfugit, caput ei admouet, Christum omnibus nominibus appellat, idest, potentem, misericordem, &c. Et quod maximæ pietatis fuit, corpus Christi, & sanguinem, quæ eo tempore manibus accipiebant, lacrymis respersit. itàque sanguinem Christi, quasi feruētissimum merum lacrymis suis temperatū pro pharmaco accepit, & statim curata est. efficax certè medicina. Cæterū ipsa *dissolui, & esse cū Christo esse omnibus terræ commodis præponebat.* Vides non esse opposita piè viuēdi pro Christo desideriū, & moriēdi. Et nota græcè pro, *recondiderat*; sic pulchrè legi: *Si quid antityporum corporis pretiosi, & sanguinis manus thesaurizauerant.* quid de Sacerdotis manibus dicemus? planè thesaurizant, eū possident, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* Gorgonia igitur cum diuinum illum panem, & sāguinem lacrymis aspersit, suas thesauro velut addidit margaritas.

Gorgonia in morbo ad altare confugit, & ad Eucharistiam, sanatur.

Eucharistiæ thesaurus.

12 Eius felicem obitum describit. Cōuocata enim familia: *Cum de altera vita præclarè disseruisset, diemq; extremum festum fecisset, obdormiuit non humanorum dierum, quos non exoptabat, sed dierum secundùm Deum plena.* Vide quid extremo illo tempore sit agendum, nonnisi de diuinis disserendū. Aloysius noster Gonsaga tūc nec illa, quæ indifferentia dicūtur, verba admittebat. Item vide lætitiam in morte Sanctorum: *Cum diem illum extremum festum fecisset.* noui qui mortis nuncium amplexu excepit. Pergit de obitu. Videbatur alijs iàm extincta, sed cum labia tantùm moueret, Episcopus quid illud esset, exquirens, audiuit canentem illud psalmi: *In pace, in idipsum obdormiam, & requiescam. Hoc coniunctū cum discessu epitaphium erat, quippè quæ mentem à curiosis affectibus separatam habebat.* Nota, cur quasi de suaui somno caneret, quia non obstrepebat tumultus perturbationum, quæ compositæ, & sedatæ erāt. ideò beatum esse dicit, qui id in morte dicere posset. Pulchrè autem hæc psalmi verba epitaphiū eius vocat, hoc est sepulchrale

Sermo de diuinis tàm in morte

Iustus diē mortis pro festo habet.

Vox vltima in morte iusti.

Psalm. 4.

Epitaphiū iusti quale sit.

epi-

epigrãma: quid .n. in iusti sepulchro elegantiùs inscribas, quã hoc? *In pace obdormiuit, & requiescit.* De Stephano quoquè dicitur inter lapides: *Obdormiuit in Domino*: ità lapides, qui in ipsum iacti sunt, quasi ad monumenti marmorei, & mausolæi inscriptionem deseruierunt.

13 De æterna Gorgoniæ felicitate sic pulchrè: *Non dubito, quin multò his præstantiora sint ea, quibus frueris, nempè Angelorum chorea, cœlestis ordo, gloria contemplatio; tùm superna Trinitatis purior, ac perfectior illuminatio, non iàm vinctam mentem, àc per sensus diffusam suffugientis, sed totam sese toti menti contemplandam, & retinendam præbentis, totoq; diuinitatis lumine animis affulgentis. omninò his frueris, quoniam adhùc in terris ob sinceram ad ea mentis erectionem riuulos habebas.* Vide quis diuinę Triados fontem vberius hauriat, qui ad eam viuens ardentèr sitijt, vt saltem riuulos exciperet. Huiusmodi certè Ignatius inter cæteros fuit, quem in eius contemplatione miro cum affectu versari solitum legimus. Egregiè autem beatificam, vt vocãt, visionem describit: *Trinitatem totam toti menti se contemplãdam, & retinendam præbentem, totoque diuinitatis lumine affulgẽtem.* & rectè addit, *retinẽdam*. nàm Paulo, & fortassè Moysi, & ipsi planè Deiparę in terris nonnisi per transitum id concessum.

Felicitas Beatorum ex Trinitatis visione, quam in terris sitie- runt.

Ex Oratione XII. De Pace.

1 Agit hic de Monachorum reconciliatione cum suo Prælato, de cuius recta fide dubitauerant: *Hucusquè velut nubes quædam cor meum subiens radijs sermonis obtexit.* Vide quid agat dissensio, quasi nubilum reddit Cęlum, & tonitruis perturbatum. Sermo autẽ de pace, & reconciliãda gratia pulchrè dicitur Solaris instar radij discutientis tenebras.

Dissensio à Prælato quasi obnubilatio Cœli est.

2 Quæ sint Monachi exercitia, ostendit: *Preces, lacrymæ, callosa genua, pectoris conuerberationes, suspirium ex imo manãs, pernox statio, mentis ad Deum peregrinatio, tenuis inter orandum fletus, pharmacũ audientium cõpunctionis.* Nota singula studia, & vide qualis sit religiosi status, pęnitentiæ scilicèt, & orationis; quod ait de peregrinatione mentis ad Deum, græcè est ἐκδήμια, quasi mens extra domum corporis exeat, vt Deũ inueniat. Nota ẽt de salubri pharmaco cõpũctionis, quod religiosi, & concionatores maximè sæcularibus propinare debẽt, non vanæ loquacitatis.

Religiosi exercitia quę sint.

3 Pergit pulchrè de monasticæ vitæ laudibus: *Illa etiam pulchra vita circa Deum indicia, tacitiquè præcones: squalida coma, pedes nudi nihil mortuum ferentes, amictus fastum coercens zona, ob ornatus neglectum culta, & ornata, gressus constãs, oculus minimè vagus, &c. & quæ his sublimiora sunt, & maiora, opes in paupertate, gloria in contemptu, pœnitentia in infirmitate: qui in Mundo nihil habeant, & supra Mundum existant. Hi me antea, opes, & delicia mea, præsentes splendidum, atque illustrem reddebant.* Vide, vt omnis abiectio religiosi redundet in decus. Et nota in primis illa de modestia, quæ congruũt cum peculiaribus legibus ab Ignatio nostro præscriptis. ac si Gregorius vt præses tantùm religiosos illos appellat: *opes, & delicias suas*; & per eorum virtutem reddi se ait, *splendidum, & illustrem*. quãtò magis id Fũdatores religionum dicere possũt ob tot sanctos viros, & martyres? Eleganter autem appellat virtutes religiosorum, etiam externam compositionem: *pulchra vita circa Deum indicia, tacitosquè præcones, &c.* græcè pro indicijs est ἐπιγράμματα; quæ propriè significant scripturas ante fores omnibus propositas. Talis vita religiosi est, & habitus ipse tãquàm sanctimoniæ præco.

Virtutes religiosi propriæ.

Modestia in primis religiosi propria.

4 De Dei verbo, & spiritali sermone sic: *Sermo donum auro puriùs, eximijs gemmis præstantius. in eum omnis amor post Deum effusus est, imò in hunc quoquè, quoniam ad Deum fert. Dixi sapientiæ: Soror mea es, & quæro capiti meo coronam gratiarum, & deliciarum, hoc est sapientiæ dona; hoc mœrorem, cordis vinculum, sedat; hoc profusam voluptatem coercet; hic mihi Mũdos distinguit; atquè ab altero adductum alteri adiungit; hic mihi in sinistris rebus, & asperis philosophatur præseni per futurum alleuans.* Pulchrè illud dictum, spiritalem sermonem, & diuinum verbum efficere, vt Mundos distinguamus, hoc est ab huius sæculi amore ad æterna traducat. confundimus duos Mundos, dùm & præsentibus, & futuris addicti volumus esse, cum inter se longè differant. Vide etiam vt sermo spiritalis ex ore quasi aurifluo, ac gẽmifero flumine dimanet. hinc dicitur: *Argentum electum lingua iusti.* Prou. 10.

Sermo de diuinis pretiosior auro, ac gẽmis.

Prou. 7.

5 Ostendit quid ipsum induxerit, vt amans solitudinis, & silentij, tamen verba faceret. Affert primò illud exemplũ: *Zacharia silentium Ioannes editus in lucem soluit; nec enim vocis patrem, ea prodeunte, silere conueniebat.* Acutè notatũ, ait enim posteà Ioannes: *Ego vox clamantis.* Tùm de se hęc habet: *Mihi verò linguæ vinculũ soluit, ac vocem tubæ instar attollit præsẽs beneficium, ac pulcherrimum hoc theatrũ, Dei filij anteà dispersi, nunc in vnum aggregati, & sub ijsdem alis requiescentes, & vnam harmoniam adaptantes, quæ est pulchritudinis, & spiritus.* Nota; vocat conuentum, ac cœtum religiosorum vnitorũ

Conuentus religiosorũ est pulchrũ theatrum.

pul-

pulcherrimum theatrum. præclarè dictū. Elegans item est duplex metaphora de reconciliatione cum Prælato, tùm pullorum sub aquilæ vel alterius auis alis; tùm perfectæ harmoniæ, concinentibus omnibus chordis, & à perito artifice compositis, & moderatis. Prælatus igitur, vel auis est pullos tuens, vel optimus lyristes, seu citharœdus. græcè est ἁρμονίαν συμφερομένην; & egregiè appellat hunc pacis concentum, *harmoniam pulchritudinis, & spiritus*. Quid enim hac cum Prælato omnium conspiratione aut pulchrius, aut sanctiùs, aut iucundiùs?

Concordia in religione harmonia pulchritudinis est.

6 Dissensionis malum indicat: *Non iàm sumus in ea caligine, quam prauus ille nobis excitauit, mente tāquàm sagittis quibusdam confixi*. Vide quid sint inter religiosos dissidia, præsertim contra Prælatum, caligo quædam à Principe tenebrarum inducta, vt illustratio sancti Spiritus locum non habeat. Item idem est, ac sagittariorum inter se pugna, cum in tenebris alter alterum vulnerat: detrahendo, scilicèt, calumniando; cum potiùs religiosi maximè sint filij lucis; & arcum iàm abiecerint, in pace viuentes.

Dissidium cū Prælato caligo est, & sagittariorum pugna.

7 Pulchrè dissensionem in bonum cessisse dicit, Deoquè grates agendas, qui *Disiungi nos est passus, vt feruentioribus animis ad nos ipsos occurreremus: non secus ac plantæ, quæ si manibus per vim in diuersum trahantur, ac deindè laxentur, rursum ad sese, ac pristinam suam naturam recurrunt, idq; sibi proprium esse ostendunt*. Elegans similitudo, vt si qua occurrerit dissensio inter religiosos, mox composita in maiorem beneuolētiam mutuam, quā anteà, conuertatur: quo ostendatur, nos ad hanc potiùs procliues esse, quàm ad illam; & dissidium illud velut innaturale, & violentum fuisse: ira nimirùm, ac passione animos distrahente.

Recōciliatio animorum quam grata.

8 Subditorum vnionem, præsertim cum Prælato, atquè Pastore commendat: *Prouidendum nobis erat, nè diuideremur; ac vetus illud ornamentum, & decus, ob quod gregem hunc, licet paruum, cum maximis, & amplissimis adæquabam. Sic enim se res habebat, vt cum alij alio præditi sint ornamento, nostri gregis hoc maximè proprium esset, quod minimè infringi posset; atquè ab omni seditione abhorreret; ità vt persæpè arca Dei vocati simus; vt qui soli pietatis semina in nobis conseruaremus*. Similitèr in epistola illa præclara de obedientia locutus est noster Ignatius: vt cū aliæ religiosorum familiæ singulæ alio insignes ornamento sint, nostræ quasi proprium sit obedire: quod idem est, ac consensionem maximam habere, atquè vnionem cum eo, qui præest; idq; cum sit mutua etiam inter fratres ipsos concordia consequitur. Ac rectè congregationem religiosorum pacificè viuentium *arcam Dei* appellat, siuè Mosaicam, siuè Noeticā: vt sicut in illa humani generis; ità in hac *pietatis semina conseruentur*. Quid enim tàm mirum, vbi oues cum lupis, & leones cum ceruis, ac minoribus feris sub Noè tàm pacatè, & quietè degerent?

Vnio subditorum cū Prælato quam laudabilis.

9 Diuinum beneficium mutuæ reconciliationis agnoscit: *Quod in hunc morbū inciderimus, humanæ infirmitatis est; quod autem eum depulerimus, id verò munus est diuinæ Gratiæ; quæ pulchrè, & æqui ac meliùs, quam optabamus, aut alij futurum sperabant, causam nostram disceptauit*. Elegātèr hoc de Gratia, quasi patrona reconciliationis sit, & concordiæ fecialis: sicut enim nos cū Deo vnit, ità & nos inter nos ipsos. pro, disceptauit, græcè est ἐβράβευε, qua voce item Paulus de pace loquens vsus est, vbi habet vulgata, *Pax, &c. exultet in cordibus vestris*. significat autem βραβεύω quæstionis iudicē esse; apud Plutarchum dirimere litem; item distribuere prēmia, palmam ferre, vt in athletico certamine; quæ omnia pulcherrimè conueniunt Gratiæ reconciliatrici, & pacis arbitræ. & ipsa Pax, ira, odijsquè deuictis, palmiferæ, atq; ouantis instar exultat.

Gratia Dei [illegible] concordiæ.

10 Excusat aliquo modo religiosos hos, quod ideò dissēserint à Prēlato, quia dubitauerant de recta eius fide circà Trinitatē: *Sicut illos inimicitiæ nomine haud quaquam laudauimus; ità rursum eorum zelum comprobauimus. melior est enim cōtentio pietatis causa suscepta, quàm vitiosa concordia. In Trinitate aliquid præcidere idem est, ac totum subuertere, nudoq; capite aduersus diuinitatem grassari*. Elegās metaphora contra hæreticorum audaciam; nàm Trinitatis veritatem acutè, vel indè colligit, quod etiam in hac dissensione de illa consenserint: *Vel hoc maximè Trinitatis argumentum erat, cum Trinitas nē ab occasione quidem vinceretur; nec inimicitia caritatem eius, quæ in nobis, dissolueret: propterea quod dissidentibus nobis, eadē sententia subesset. Illud certum erat nos in ueritatis negotio minimè dissidere inter nos, sed eodem fidei charactere consignatos esse*. Quia igitur cum Trinitate vniti omnes eramus, hinc factum, vt & nos inuicem rursus vniti simus: *Nihil enim tàm inter se conciliat, quàm quæ circà Deum est symphonia. Et contra. nihil tàm ad dissidium promptum, quàm circà id diaphonia*. Pulchrè admodùm vocat distinctionem illā personarum in vnam Trinitatem coeuntem symphoniam, quàm qui negant diaphoniam inducunt, absurda scilicèt, & absona opinantes. Atquè hinc fit, vt hæretici inter se discrepēt, nec sententijs vniti sint, quia vnitatem in Trinitate non faciunt.

Trinitatis confessio arcte concorda.

Vnio in [illegible] est.

ciũt. Est igitur pax, & vnio inter nos imago quædam diuinæ symphoniæ, ac velut in nostris cordibus indè resultans echo illius suauissimi concentus.

11 Rursus excusat aliquo modo dissensionem ortam ex zelo, quod vererentur, ne Prælatus circa Trinitatem non rectè sentiret: serpebat quippè tunc Ariana hæresis, & multos incautos occupabat, vt græcæ vocis, homoiusios, pro homousios ignorantia. In hoc, inquit negotio fidei *etiam qui facillimus est, feruentissimus existit; & qui mansuetus, verè pugnax efficitur: cum te per lenitatem, Dei iacturam facere; imò per lapsum tuum, Deum offendere vides, qui nos & pro diuitijs habet, & diuites idem reddit.* Vide quo zelo accendi quisque debeat in mysterijs fidei, præsertim circà Trinitatem defendendam, vt etiã si quis natura sit mitis, exardescat in aduersarios vel hæreticos, vel temporis talis in suis controuersijs nostra ætate Bellarminus fuit. At Ignatius non solùm perfectè conuersus, etiã gladio constituerat Maurum hominem de virginitate Deiparæ sinistre sentientem de medio tollere. Deindè nota illud: Deus nos suis donis diuites facit, & tamen ità in nos auidè fertur, quasi nõ aliunde ditescat quàm de nobis.

Zelus in tuendo mysterijs fidei.

Deus nos & pro diuitijs habet, & diuites facit.

12 Elegantèr autem, & acutè ad vnionem, & pacem hortatur. Primò exemplo Trinitatis, in qua cum tres distinctæ personæ sint, est vnitas in natura. Secundò in creaturis spiritualibus exemplo beatorũ Angelorum, quorum est summa concordia. Tertiò exemplo corporearum creaturarum atq; huius vniuersitatis sibi cohærentis atque in vnam harmoniam cõsone conspirantis. Quoad primum sic. *Illud primum cum animis nostris reputemus, Deum omnium quæ sunt, pulcherrimum, & sublimissimum esse, nisi eum malis supra omnem essentiam ponere, aut in ipso quicquid est collocare, vt à quo alia acceperint. Deindè autem quæcunque ex Deo prima sunt, & circa Deum, hoc est cœlestes Virtutes, quæ prima primum lumen hauriunt, lumen quoque ipsæ sunt, ac perfecti illius luminis radij. his porrò nihil tam proprium est, quàm pugnas, & dissidia nescire; nam nec in Deitate dissidium est, quemadmodum nec solutio: verùm adeò & secum ipsa, & cum inferioribus rebus concors est, vt præter alia, imò ante alia nomina, quibus Deus appellari gaudet, hæc quoque prærogatiua numeretur: Pax enim, & Charitas appellatur.* Habes concordiæ magisterium ab ipso Deo.

Ad cõcordiam inducunt contemplatio Trinitatis in vnitate.

13 Progreditur ad alterum cõcordiæ motiuum: *Ex Angelis autem is, qui seditionem concitare est ausus, lucis loco tenebris mulctatus, aut potius seipso caligo effectus. reliqui verò in sua dignitate persistunt, eius primum illud est, quod pacati sunt, ac dissidij expertes, quippè qui à sancta, et laudanda Trinitate hoc acceperint, vt vnum sint, nàm & illa Deus vnus est non minus propter concordiam, quàm propter eandem essentiam. Ii igitur, qui pacem amplectuntur, ad Deum, ac diuinas mentes accedunt. contra, qui inter se pugnant, aduersæ partis sunt; nam & Diabolus secũ ipse pugnat, & ab initio homicida fuit, & hoc ipsum in alijs operatur.* Vide, vt beata Trinitas personarũ in vnam naturam coalescẽs principium sit, & origo pacis, & vnitatis: vndè & Angeli boni hanc inter se acceperunt; quò spectat illud Iob: *Qui facit concordiam in sublimibus.* In græco Gregorius habet pro concordia, ὁμόνοιαν, idest, parẽ mentem; & pro eadem essentia, ταυτότητα; idest, idẽtitatẽ: hanc diuinarũ personarũ propriã, quòad fieri potest, in nobis Christus requirebat, deprecans patrem, *vt sint vnum sicut & nos.* & nè hanc perfectionẽ vnitatis ab Apostolis tantùm repeteret, subiungit: *Non pro eis rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te.* Vide quàm excellens genus vnionis, & pacis repetat à nobis, sed impetrat à patre, quia donum sũmũ est. Vndè illud itẽ Iob: *Nunquid cõiungere vales micantes stellas Pleiades?* hæc ad religiosos maximè pertinent, qui Angelicam, & cœlestem vitam profitentur: de Angelis autem pulchrum illud elogium est: *Cœlestes virtutes primũ primum lucem hauriunt: lumen quoque ipsæ sunt, & perfecti illius luminis radij.* Idest à Trinitate, quasi Sole primum illustrantur ob sublimitatem, vt fit in montibus; vel eius Solis quasi radij diffusi per orbẽ, inter se tamẽ collecti ad vniuersitatis bonum. Contra nota de Diabolo, cui nihil antiquius, quàm disturbare pacem: ideo quæ monet, nè ei aditus pateat: *Diabolus ad vnumquemque nostrum captiosè vt plurimùm, ac subdolè accedit, ac veluti locum sibi ipse furtim aperiens, et tollens, non secus ac fortis exercitus per dissectum muri partem irrumpat.* Notabile dictum, hostis per infirmiorem locũ irrumpit, vt si morosum, si iracundum viderit, &c. Ideo vndique munimenta solida virtutum sint oportet. Deniquè de imitatione Trinitatis & Angelorum circà pacem sic præclarè concludit: *Hoc igitur ad beneuolentiæ, concordiæque studium necessariò adducere debet. nimirum Dei, ac Superiorum imitatio.* necessariò dicit hoc agendum: quis enim vnionis hostis frui se posse speret, aut sũma illa vnitate in Trinitate, aut concordi consortio Angelorum?

Angelorũ inter se cõiunctio concordiã suadet.

Iob 25.

Ioan. 17.

Iob 38.

Angelicæ naturæ perfectio.

Diabolus hostis per infirmiorem partem, vbi est passus, sibi aditũ facit.

14 Transit ad tertium pacis incitamentum ex conspiratione inter se cor-

poralium creaturarum, ac visibilis huius vniuersitatis: *Alterum est, vt in Cœlum sursum, & in terram deorsum aspiciamus, atquè conditarum rerum leges animaduertamus: quemadmodùm videtur totus hic Mundus, quo etiam Deus declaratur, quãdo secum pacatus, & tranquillus est, nec ab ijs beneuolentiæ vinculis quibus à Deo constrictus est, excedit. Mundus verè est, hoc est ornamentum, et incomparabilis pulchritudo. At cum Deus ad metum incutiendum, vel puniendum aliquid huiusmodi concinnitatis dissoluerit, nimirùm vel exundante mari, vel dehiscente terra, vel nouis eluuionibus, vel obducto Sole, vel effundentibus se ignibus; tùm verò in ea confusione, ac perturbatione perspicitur quantum in pace insit boni.* Experti certè sumus hoc in vltima conflagratione Vesuuij, in quã inter cætera hæc, quæ numerat, calamitatũ genera concurrerunt, maris recessus, terræ motus, ingens eluuio, &c. Et nota, quo fine hæc agat Deus. Similis igitur perturbatio passionum est in microcosmo, hoc est, in homine, cum pacis fœdera rumpũtur. Quod autem ait, tunc Mundum propriè dici, hoc est, ornamentum, cum pax viget inter elementa, græcè apertiùs patet, vbi eadem vox κόσμος, & Mundum, & ornatum significat. Et quod vinculum appellat creaturarum inter se beneuolẽtia nexarum, græcè est δεσμός, hoc est, nexus, catena; quò spectat illa aurea catena Homerica è Cęlo pendens colligans vniuersum. Hùc item spectat, quod addit: *Quid enim cum Cœlum raro ordine aeri lucem, terræ pluuias impertit, nõnè tibi beneuolentiæ legibus teneri videtur? quid de terra, & mari leniter inter se iunctis? &c.?* Denique pulchrè concludit. *Quæ cum ità sint, ac secundùm primas harmoniæ, & conspirationis causas omnia gubernentur; quid tandèm aliud existimare oportet, quã amicitiæ, & concordiæ esse præcones, suoq; exẽplo mortalibus animorum consensum, quasi lata lege indicare?* Elegantèr dictum. pro præconibus græcè est κηρύγματα, idest, edicta per præcones denunciata; item proclamatio per præconem facta. Vides naturam ipsam Vniuersi sonora tuba præconis munere fungi, ac publicè proclamare edictum summi Imperatoris, vt paci, & vnioni studeamus; & hoc idem, quæ in hac vniuersitate cernimus, suo exemplo publico præconio præseferre. eadem græca vox caduceatorẽ significat, idest, pacis, fœderis curatorem, cuius etiam natura munus obire videtur. Altera vox de lege lata græcè est νομοθετεῖν, quod est, legem promulgare, lege cauere: hinc νομοθέτης legislator: quasi vna voce res creatæ inter se nexæ promulgent nobis hanc nostræ beneuolentiæ legem.

Vniuersitatis nexus concordiã suadet.

Discordiæ malum nescitur cum elementa dissident.

Vinculũ, & nexus creaturarũ.

Naturæ edictum de concordia

15 Ostendit exemplis gentium pacis bonum, & contra. *Vt populos, & vrbes, & imperia prætercam, ad Israelitas orationẽ conuertam: quandiù illi pacem, & inter se, & cum Deo habuerunt sub Aegyptiorum videlicet tyrannide; est enim afflictio ipsa, commodum ad salutem pharmacum; portio Domini vocabatur, & regale Sacerdotium: nec erant vana nomina, sed res respondebãt; nàm & mare diuidebatur, & Cœlum cibos ministrabat, & petra fontis vsum, & manuum extensio innumerabilium copiarum instar erat, orationis opera trophæa erigens, &c. At postquã in seipsos mutuò fuere, atq; in multas partes diuidi cœperunt, scelere aduersus Saluatorem perpetrato ad extremum exitium eos vrgente, quid non perpessi sunt?* Rectè hoc ad dissensionem refert, nàm de Christo *alij dicebant, quia bonus est, alij non item, & schisma erat inter eos*. Pulchrè autem vocat afflictionẽ, *commodum ad salutem pharmacum*, quod animum perturbationibus, quasi noxijs humoribus expurget; & inter cæteras vtilitates, afflicti inter se concordes sunt, quia sibi similes. Tùm vide quid sit oratio: quasi bellatrix quædam Amazõ: *Orationis opera trophæa erigens*; cum enim manum sursum extollis, manus cum hoste conseris, gladium distringis, ferisq; ijsdem manibus exuuias rapis, trophæa extollis, vt faciebat Moses.

Afflictio cõmodũ ad salutem pharmacũ

Per orationem tro phæa eriguut.

16 Ostendit eosdem Israelitas per discordiã oppressos. habes hoc apud Hieremiam, qui eorum captiuitatem defiet: *Extant quidem gemitu digna, & luctu excisa mœnia, flamma hostilis, sanguinis fusi ij pro sancto igne, et cruore, Nazareni raptati, &c. Equidem vt de me loquar, quoties Threnos lectito, id autem facio, quoties secundarum rerum insolentiam coercere studeo, vocem mihi intercludi sentio, lacrymisquè obruor, eam calamitatem velut ob oculos cernens.* Vide, quàm pio affectu sacram scripturam legeret, & præteritis ærumnis ingemisceret: quid ageret nunc in præsentibus nostrorum temporum? Nota etiam in prosperitate remedium, nàm in Threnis ostenditur catastrophe ex felicitate in miseriã. quò spectant præsertim illa: *Hoccinè est urbs perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?* Pergit de eisdem Hebræis: *At verò postremam eorum plagam, ac celebrem sub Romanis depressionẽ, quam nulla res aquè, ac seditio peperit, quis satis dignè deplorabit? vna vtiq; illius columna totus Orbis terrarum est.* Elegantèr vocat Orbem terræ totum, quasi vnã ignominiæ columnam, in qua inscriptum sit ad dedecus perpetuum, exitium ipsis indictum à Romanis, quod seditiosi essent, vt dispersi huc illuc per varias regiones populis seruirent. Sed quia apud ipsum

In prosperitate lectio Threni Hieremiæ

Totus Orbis terræ velut vna columna infamiæ ignominiis Iudæorum.

Na-

Nazianzenum columna in bonam partẽ aliquando accipitur, in qua res præclarè gestæ inscribuntur, de Francisco Xauerio dixerim: *Vna vtiquè illi columna est totus Orbis terrarum*, quem, scilicet, peragrãdo miraculis, & virtutibus illustrauit.

17 Eos arguit, qui pacem semel initã frangunt; multò enim grauius est pacis bono degustato, ad odium redire: *Ac nè ipsa quidem experientia, quæ præliorum magistra est, emendari.* pulchrè ait, experiméntum stultis pro magisterio esse, quia nonnisi experti damnum credunt; at prudentes sapientiam habent magistram. Igitur plusquam stultum est, cum experientia didiceris bonum pacis, & malum odij, iterùm odisse. Pergit de his elegantèr: *Qui instar auræ, subindè se immutantis, aut reciprocantium Euriporum, facilè in contrarias sententias reuoluuntur.* Nota de inhabilitate in bono. elegantèr hos Euripi æstuarijs similes facit.

Fœdus semel initum violare quàm indignum.

Inconstantes Euripi similes.

18 Excusat aliquo modo hos, qui à Prelato disiuncti discesserant, quod verentur, nè ille non tàm rectè de diuinis personis sentiret; nempè facilè tunc erat in Arianorum laqueos incidere incautè. Non omnis, inquit, concordia bona, *nec ob leuitatem ad omnes quis se aggreget, nec ob insolentiam ab omnibus se remoueat. Verùm vbi apertè se prodit impietas, vt aduersus ignem, & ferrum priùs comminus feramur, quàm malè affectis assentiamur. nõ autem omnis suspicio alienare nos debet.* Vide quo zelo ardere debeamus in rebus fidei, parati ad pugnam, & mortem, sed nõ statim quemlibet pro hoste habere debemus. cauti quidem simus, at non temerè suspiciosi. Cęterùm *vnum efficiamur; eũ, qui per sanguinem suum omnia cõciliauit, ac pacificauit, imitemur.* Vides Christi sãguinem tanquàm glutinum amoris esse.

Cauti esse debemus, non tamen temerè suspiciosi.

19 Digreditur ad rectam de Trinitate sententiam: *Præclarum depositum custodientes, quod à Patribus nostris accepimus; nec tria tanquàm vnum accipiẽtes, & tria vnum esse credentes.* Addit pulchrè: *Vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate collecta tota adoranda, tota regia eiusdem throni, & gloriæ; Mundo sublimior, tempore superior; sola res conditas foris relinquẽs, alias primo velo, alias secundo interclusas, atquè diremptas: primo quidem cœlestes, & Angelicas à deitate, altero velo naturam nostram à cœlestibus.* Elegantèr de excellentia Trinitatis; & acutè considerat tres partes templi, vt illam abditam prorsus à consortio, quæ dicebatur, Sanctum Sanctorum, ad Deitatem referat, *quæ res conditas foris relinquit*, nàm Deus extrà prædicamentum est. altera pars, vbi Sacerdotes operabantur, pertinet ad Angelos, nàm & hi Angeli vocantur. tertia communis ad homines: ex quo colligitur, Sacerdotes ad homines non pertinere; vndè illud de vnguento Sacerdotali: *Homo non vngetur ex eo*, vt obseruat Scholiastes Nazianzeni.

Trinitatis excellentia

Tres tabernaculi partes ad triplicem cognitionem spectantes.

20 Ostẽdit eorũ bonũ in virtute habitũ, quod licet tãtisper ex suspicione pacẽ diremerint, mox ad illam redierint: *Quãquàm in procliui vitium est, & multus ad malum cursus, atquè vnde in præceps celeberrimè labenti simile; aut stipulæ, quæ ad scintillam, ac ventum statim succenditur, flammaq; effecta vnà demùm cum sua materia extinguitur: tamen si quis ad boni habitum peruenerit, huic erit difficilius in vitium labi, quàm fuit ab initio bonum fieri; quia bonum tempore, ac ratione confirmatum naturæ vim obtinet.* Nota de religioso statu; nàm si quis fortè in aliquo peccet, mox resipiscit ob habitum virtutis; etiam si natura hominis corrupta ad vitium prona sit, & *multus sit ad malum cursus.* græcè est δρόμος: vndè dromades dicti cameli velocissimi; huiusmodi sunt peccatores deformes, ac tortuosi, & quãuis grauati peccatis, currunt ad malum. Rectè item illos comparat stipulæ, quæ statim flammam arripit, & sibi admota in flammam vertit, sed mox simul cum ijs extincta euanescit.

Habitus virtutis facilis ad resipiscentiã.

Facilis ad malum cursus.

21 In Arianos inuehitur, qui objiciebant religiosis, quod inter se discordes essent; at hoc non aiunt ob zelum, sed ob odium fidei: *Vbi sunt igitur qui diuinitatem paritèr, & nos oderunt? hoc enim ex omnibus, quæ patimur, illustrissimum est, & magnificentissimum, quod vnà cum Deo periclitamur. Vbi sunt, qui vibices nobis probo vertunt, cum ipsi vulnera habeant?* Acutè eos perstringit. ità agunt, vt si quis graui telo ictus, vibicem, ac liuorem lenẽ alteri objiciat. Sed illud maximè notabile, quod ab hæreticis pati, sit, *illustrissimum, ac magnificentissimum*, quia nos in eadem ponunt sorte, qua Deum, persequendo scilicet. Addit acutè: *Non proptereà vos pij estis, si quid nos aliqua in re peccemus. Nos quidem haud laudandi, si peccemus; vos nihilominùs impij, etiam si non peccemus.* Hoc & ad mũdanos referri potest, cum religiosorum defectus objiciũt. Tùm de calumniatoribus pulchrè interpretatur illud Eccl. *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti*: idest boni nominis, sed seipsas interimunt. Est tamen, quod religiosi magnoperè aduertant, ac metuant, nè discordijs, & diffidijs mutuis ansam dent hæreticis, præclarum eorum statum reprehendendi.

Calumniatores religiosorum taxantur.

Pati ab hæreticis nobilissimum est.

22 De fide Trinitatis sic: *Nos, quod ad diuinitatem attinet, non minus, quàm ipsa rerum diuinitas, nisi magnum hoc dictum sit, inter nos consentimus.* Acutè. & vide

quàm vnitos velit esse catholicos in fide Trinitatis, propemodum quantum ipsæ personę inter se vnitę sunt in vnam naturam; itâ & nos in vnam sententiam.

23 Elegans, & pulchra hypotyposis de publica fidei professione: *Illud displicet, quod hac in sublimem quendam montem euectus, vocemq; desiderio parem nactus, ad omnes eos simul, qui de religione malè sentiunt, in vniuerso Orbe, velut in vno quodam theatro proloqui nequeo. Vsquequò graui corde mendacium quæritis? dùm non vnam, nec simplicem Deitatis naturam, verùm aut tres inter se disiunctas, atque distractas, aut vnam quidem, sed ieiunam, atque angustam, vt quæ magnorum origo non sit, perindè atque aut non potuerit, vel noluerit; idq; vel ob inuidiam, vel ob metum. Illud, videlicet, nè quid æquale inducatur, hoc nè inimicum, & pugnax. atqui quantum Deus rebus creatis excellentior est, tantò vtiquè magnificentius est diuinitatis, quàm rerum esse principium.* Vide quàm generoso animo, & quàm parati esse debeamus ad profitendam fidem: vt si possemus ex alto quodam supercilio montis, coacto simul omni hominum cōuentu, ingenti voce, qua ab omnibus audiremur, hæreticos confutaremus. Illud autem acutè satis, & theologicè dictum contra Arianos, qui filium creaturam esse dicebant. Deo competit excellentissima operatio; ergò competit non solùm vt res infrà se crearit, sed filium æqualem sibi genuerit. Huc spectant sequentia.

Eccl. 10. Hæretici generosè confutandi

Æqualitas Filij cum Patre probatur.

24 Arij sententiam carpit de minore filio, alludens ad verba psalmi: *Ascensiones in corde posuit: non confessionis, sed abiurationis.* rectè arguit. Non constituunt sibi virtutum gradus, vt altiùs ascendant ad Dei cōtemplationem, sed gradus ponunt in diuinitate, vt altior, & sublimior sit natura, & dignitate pater, quàm filius. Huc refero, quod vetuit Deus, Sacerdotem per gradus ad altare ascendere.

Nulli gradus in Trinitate.

25 Soluit Arij obiectum, quasi ad Patris honorem pertineat, superiorem esse Filio & Spiritu sancto. Sed nullum de cōtemptu periculum; nàm, quātumuis Filiū, & Spiritum sanctum extuleris, non eos suprà Patrem pones: *Imò potiùs contemptus est, ponere Deum principium talium, vt tu existimas, & non potiùs natura, & gloria æqualem. An verò tibi in honorem amplum, atq; adeò amplissimum erit, quod filium habeas, idq; eò magis si patrem in omnibus referat, verumquè genitoris sui characterem gerat: Deo autem quicquam maius, ac præstabilius erit, quàm Filij Patrem esse?* græcè elegantiùs, pro referre in omnibus Patrem est, τὰ πάντα πατρίζειν. Huc spectat illud Imperatoris Theodosij, qui sabebat Arianis, qui Filium minorem Patre dicebant, nè iniuria fieret Patri, si dicerēt æqualem: cum igitur cōsortem ipse fecisset Imperij filium, ac simul in throno considerent; catholicus quidā in Patrem intuens, pronus eum solùm veneratus est, de Filio parùm curans. Indignanti Imperatori respōdit: At tu cur contemni putas Patrem Deum, si æquo honore colatur ac Filius? itâ egregiè cōuictus est. Tùm rursus ostendit, non pertinere ad honorem Dei, si nihil produxit, nisi inferiora se; sicut minus iucundum est sexcentis seruis imperare, quàm vnius filij parentem esse: *An ignoras, cum Deum Filij, & Spiritus sancti velut creaturarum principium statuis, nec principium abs te honorari, & quæ ab eo manant, ignominia affici? Illud quia vilium, & exiguorum, & Deitate indignorum principium constituis; hoc quia parua, nec creata tantùm, sed horum abiectissima facis; siquidem horū causa condita sunt non secus, ac instrumentum ab artifice, &c.* Acutè ostendit, quod Arius prætextu honorandi Dei Patris diceret, potiùs in Patris iniuriam cedere.

Æqualitas Filij non derogat Patri.

26 Trinitatis veram sententiam profitetur: *At ego Deitatis principium temporis expers, inseparabile, infinitum statuens; & ipsum principium, & ea, quæ à principio manant pari honore prosequor. Illud quia talium est principium, hæc, quia tali modo, & talia, & ex tali, nec tempore, nec natura, nec cultu, & veneratione distincta, vnum diuisim existentia, & coniunctim diuisa, dictu licet mirum, &c.* Tùm exponit, cur tres personæ sint in vnitate naturæ: *Perfectam ex tribus perfectis Trinitatem dicimus, vnitate nimirùm ob diuitias mota, binario autē superato: propterià quod Deitas suprà materiam, & formam sit, ex quibus corpora constant; Trinitate verò propter perfectionem definita: hæc enim prima binarium superat, vt nec Deitas angusta maneat, nec in infinitum diffundatur: Illud enim parcum, hoc cōfusum; illud Iudaicum, hoc ethnicum, ac multorum Deorum cultus.* Acutè de tribus personis. non est vna, *vnitate nimirùm ob diuitias mota*: habere enim oportuit Deum Patrem hæredem suarum diuitiarum, hoc est diuinitatis suæ Filium. Non sunt duæ, nè, vt in rebus corporeis, Deus putetur compositus ex materia, & forma; non vltrà tres, quia hic numerus perfectionem dicit, binario superato, & nè in infinitum procedatur, alias, & alias personas addendo.

De Trinitate quid sentiendum.

Cur in diuinis non duæ personæ, nec plures, quàm tres.

27 Hæreticos, Arium maximè, ait, nōnisi per improbitatem illustre nomen suum facere conari: *Vt quidam infirmiores ad alienas facultates rapiendas propensi, sic tu Deum ab imperio, & dominatione submoues.* Huc refero illud ignaui hominis apud Plutarchum, qui cum alia ratione

tione se posteris celebrem facere non posse videret, magnificum Dianæ Ephesiæ templū incendit; & licet decreto cautum esset, nè nomen eius sciretur, vicit curiositas, & Heratostratum nouit. Rectè autem furaci homini Arium comparat, qui diuinitatis sceptrum Dei filio eripere sit conatus.

28 Item Trinitatem egregiè, ac breuitèr profitetur aduersus hæreticos loquaces: *Ego contra vocem vnam, eamque breuem, & compendiosam habeo. Trinitas non diuersarum rerum enumeratio est, sed æqualium, & parium honore complexum est.* Tum sic pulchrè. *Quam relationem, atque ordinem, hæc inter se habeant, Trinitati ipsi soli, ac purgata mēte hominibus, quibus vel in hac vita, vel in posterum Trinitas id patefecerit, noscendum relinquamus: nos autem vnam, & eandem Deitatis naturam teneamus, quæ ex principio carente, & generatione, & processione agnoscitur. Trinitatem, inquam, ipsam secum concordem semper, eandem nunquàm se deserentē, vitas, & vitam; lumina, & lumen; bona, & bonum; glorias, et gloriam, &c. quemadmodùm si quid nobis inest, mente, sermone, ac spiritu intelligitur, quantum ex paruis maxima conijcere licet; quandoque nulla imago veritatem assequi licet.* Nota illud imprimis, quod ait: *Quam relationem, atque ordinem hæc inter se habeāt, Trinitati ipsi soli, ac purgata mente hominibus, quibus vel in hac vita, vel in posterum Trinitas id patefecerit, noscendum relinquamus.* facit hoc pro sanctissimis quibus iam hominibus, qui miras de Trinitate in hac vita illuminationes habuerūt, qualis Thomas Aquinas: quod certè signum *purgatæ mētis* fuit, sicut in speculo nonnisi tersio imagines referuntur. Subiungit. *Si tam honorificum est Trinitati seruisse, quanta tandem eius dominatio est? & cum cognitio ipsa beatitudo sit, quantum quæso illud est, quod cognoscitur?* supra dixit: *Trinitas tota regia est, &c.*

Trinitatis mysterium ineffabile.

Trinitatis cōsideratio nōnisi purgatæ menti competit.

29 Concludit hoc de Trinitate: *Atque hæc à nobis breuitèr dicta sunt non disputandi, sed docendi modo; non Aristotelico, sed piscatorio; non circumforaneo, sed Ecclesiastico; non ambitiosè, sed vtiliter.* pulchrè ostendit, qua ratione de Trinitate disserendum sit. non rationes ex Aristotelis libris conquirendæ, sed ex Apostolica doctrina; non pompaticus, sed vtilis dicendi modus tenendus.

Trinitatis disputatio nō Aristotelica, sed Apostolica.

30 De inita pace sic contra Arianos. Ariani, inquit, faciunt, vt mendici, qui ludicra spargunt in vultus, ità ipsi nostra errata: *Extrema miseria est non proprijs viribus, sed aliorum imbecillitate niti, atq; confidere. En mutuas dextras inspectantibus vobis, iungimus; en quid Trinitas, quam nos æquè celebramus, & adoramus. vtinam hic dies triumphale sit festum.* Rectè arguit hæreticos, qui exprobabant nostris discordiam. Pulchrè autem Trinitati tribuit effectum concordiæ, quia & ipsa sibi est maximè concors in vnitate naturæ. Et elegantèr vocat pacem initam, *triumphale festum*. quasi iracundia, ac cæteris passionibus superatis, ac domitis. Hoc triumphale festum apud religiosos certè perpetuum esse debet.

Recōciliatio animorum triumphale festū est.

31 Arianorum hæresim acutè exagitat. ac primùm inuocata Trinitate, ait: *O Trinitas omnibus aliquando vel per pœnam, vel per illuminationem cognoscenda.* Tùm se in hostes conuertit: *Elegantes tres fœtus, imò abortus aliquandò agnoscimus, cum, ruptis, aut solida disputatione confractis aspidum ouis, subuentanea esse apertè ostendimus, abditumque in ipsis impietatis basiliscum in medium proferemus; basiliscū quidem illum, sed mortuum, & imperfectū, & motu carentem, ipsisq; partus doloribus immortuum, ac priusquàm gignatur extinctum, ob conceptum non minus detestabilem, quàm ob abortum miserabilem. Hoc nobis ille præstabit, qui potestatem nobis dedit calcandi super aspidem, & basiliscum.* Vides quid sit hæresis, è venenati serpentis ouo serpens mortuus prodiens: hoc ouum conteri, & confringi dicit theologica disputatione; hoc egit nostra ætate in primis Bellarminus in suis controuersijs. videtur autem alludere ad illud Prophetæ: *Oua aspidum ruperunt, & quod confotum est, erumpet in regulum.*

Hæresim conuincere est frangere ouum venenatum aspidis.

Ex Oratione XIII. De Pace.

1 PAcis bonum, decusq; commendat: *Pax non re dumtaxat, sed nomine quoque ipso iucunda, quam Dei, & cuius Deū, & quam Deum esse credimus Apostoli verbis. Pax, inquam, Dei, & Deus pacis, & ipse est pax nostra.* Nota, præter voluptatem, tres gradus dignitatis, & excellentiæ. *ac ne sic quidem eam veneremur.* Tum sic pulchrè ad pacem ipsam cōuersus: *Te præsentem complector, & exosculor; te absentem lacrymis reuoco magis quā Iacob Iosephum à fera raptum, vt putabat.* Vide quo affectu pacem complectatur; & rectè illam amissam Iosepho comparat de quo dixit Iacob: *Fera pessima deuorauit eum.* Discordia enim immanis, ac siluestris est bellua, morsu appetens.

Phil.4. 2.Cor.13. Eph.2.

Pax cum affectu exosculāda.

2 Pacis iacturam exaggerat: *Grauia sunt, quæ cernimus: patria funditus euersa; innumerabiles copiæ cadentes; terra sanguine oppleta est: sed nihil perindè graue, atque acerbum est, vt pax pulsa, & fugata, & Ecclesia decore suo spoliata.* Vide quan-

Dissidium, & seditio peior quàm patriæ excidium.

quantũ malũ agnoscat in discordia, maius, quã in excidio patriæ, in strage ciuiũ.

3 Quàm indignum sit, religiosis maximè, carere pace, ostendit: *Latrones ipsi scelus inter se deuincit, pacem colunt; & ad seditionem coniurati; & exercituum ordines; & ciuilium munerum successores, &c. nos autem nullo concordiæ fœdere, ac vinculo constringi possumus.* Et tamen præstaret, latrones inter se diffidere, nè conspirarent ad malũ, & sic de alijs; at nos Dei causa iungit. Rectè quidem arguit, nàm & Catilina suos cõiuratos ità sibi sacramento obstrinxit, vt poculum cruore plenum singulis propinaret.

Concordiã inter se affectant etiã latrones.

4 Pergit ostẽdere pulchrè per anitheta, quàm indignum sit religiosos maximè inter se diffidere: *Cur, qui Deum charitatem colimus, flagramus odio? qui pacem, gerimus bellum? qui angularem lapidem, dirimimur, & distrahimur? qui petram, concutimur? qui lucem, caligamus?* Nota singulas metaphoras, & antitheses; & vide quid sit diffidere, ædificium religionis euertere, &c.

Nil indignius quã Dei seruos inter se diffidere

5 Acriter, sed elegantèr in eos inuehitur, qui, abiecta animi synceritate, nunc concordes videntur, mox discordant sub prætextu virtutis. qui heri laudabant, hodie vituperant: *Quin etiam pulchrum illũ sublimium virorum florem, hoc est pallorem, aut compositam loquendi rationem, aut incessus grauitatem cum mansuetudine coniunctam, heri philosophiam, hodie inanis gloriæ studiũ appellamus.* Est hoc certè notabile inter religiosos maximè. quid enim indigniùs, quàm duplicitas in fratre, & anceps astutia? ac rectè hos veluti vertigine laborare ait: sicut enim hoc morbo affectis alia videntur verti, sic istis hodie praui videntur, qui heri boni. Pulchrè autem appellat pallorem ex abstinentia contractum, *pulchrum sublimium virorum florem.* quid igitur indigniùs, quàm hunc florem vngue detractionis incidere, atque infringere? quod fit cum non virtuti, sed hypocrisi vertimus; & hoc zelo veritatis, & bono prætextu tegimus. itaq; rectè hortatur: *Vitiũ erubescẽtes ad speciosius, honestiusq; nomen, hoc est, ad pietatem transimus.*

Bilinguis nunc laudando, nũc vituperãdo, taxatur.

Pallor ex abstinentia flos est vernantis vultus.

6 Duplicitatem hanc animi, eundem modò laudando, modò mordẽdo, sic elegãtèr exaggerat: *Quæ hæc caligo est? quis hic nocturnus conflictus, amicos ab hostibus non internoscens? ex ipso malo, vt furiosi solent, robur capimus; Dei quoque beneuolentiam nobis præclusimus.* Egregiè ait idẽ esse versari inter huiusmodi homines ambiguos, quàm inter nocturnas tenebras pugnare, vbi non dignoscas, ac discernas commilitonem ab hoste. Vide etiã quantis malis impedimentũ ponimus, & quasi vectem, nè Dei in homines amor ad nos se conferat; hoc enim significat græca vox philanthropia, vbi interpres vertit beneuolentiam.

Duplicitas caliginem affert.

7 Mirum quàm vehementèr exaggeret discordiæ vitium, & quantorum malorũ indicium dicat: *Equidem vereor, nè præsens rerum status fumus quidam sit illius ignis in expectatione positi; nè his Antichristus superueniat, ac nostros lapsus in principatus sui occasionem arripiat; nec enim arripiet caritate septos, ac munitos. Regnum priùs diuidi oportet, ac fortẽ rationem, quæ in nobis est, teneri priùs, & ligari, ac tùm vasa diripi.* Notabile admodùm est, quod ait, Antichristum tunc venturum, cum maximè in Orbe discordia feruet, nempè oppositus erit Christo, in cuius aduẽtu pacem Angeli cecinerunt, & cum maximè Orbis terræ sub Augusto pacatus erat. Cõtra de præuijs Antichristo signis dicitur: *Surgens gens contra gentem, & regnum aduersus regnum.* Sicut olim cum Romani inter se diffiderent, monuit quidam Pyrrhum, tunc oportunum esse tempus Romam capiendi. rectè igitur ait: *Discordia est principatus Antichristi occasio.* Et acutè affert illud Euangelij, vbi ait Christus, non posse quemquam intrare in domum fortis ad vasa, & spolia diripienda, nisi priùs alligauerit fortem, qui domum custodit; ità nec Antichristus ad Ecclesiã diripiẽdam pedem imponet, nisi priùs pacẽ tollat, quę eam custodit. Vides igitur, quod sit pacis officium: nẽpè strenuę, ac fortis instar Amazonis, quasi atrij aditum seruat, ac munit. quod item de Religionibus aptè dici potest, eas destrui non posse, quandiù pax, & concordia suo viget robore, & stat ad custodiam.

Discordia fumus est ignium gehennæ.

Antichrist i aduentus erit, cum in Orbe discordia vigebit.

8 Ostendit ex discordia damnum: *Comœdia est hostibus mea tragœdia; idcircò nõ parum Ecclesijs detraximus, ac scænæ adiunximus.* Notabile dictum, discordiam, maximè inter religiosos, quod est materia tragœdię, scilicèt, doloris, & fletus, fieri apud mundanos, aut hæreticos comœdiam, scilicèt, materiam risus, & opprobrij; nihil enim ijs iucundiùs, quàm acerbitates inter nos mutuæ. Ità in fabulam apud ipsos cedimus.

Hæreticorũ lætitia ex discordia Catholicorum.

9 In conuentibus bonorum peccare quàm perniciosum sit, ostendit; *Ob quorundam culpam vniuersus ordo in inuidiã, & crimen vocatur; quodque grauissimum est, hæc criminatio non in nobis sistit, sed ad magnum, & venerandum mysterium trãsit, dùm in legem ipsam, quasi vitij magistram, culpam conferunt.* Nempè datur ansa hæreticis, vt euangelicam doctrinam vituperent, si quos è catholicis peccare vident; quod præcipuè in Religionibus accidit, vt si quis peccet, ignominia in-

Vnius peccatum toti cõmuni affert dedecus.

com-

communem Sociorum cœtum redundet.

10 Docet, nec laude addi cuiquam boni, nec calumnia mali: neque enim ita se res habet, vt si vnguento cœnum admisceas, non vnguentum deperditur; maledicorũ autem dicta nil lædunt: *Ac si quantum petram, aut pinum, vel aliam firmam, & proceram arborem aura, tantum me linguæ circumstant.* Addit: *Si falsa obijcit accusator, se potiùs attingit; sin vera, cautius vitam instituam.* rectè argumentatur. Si quod calumniatur falsum est, calumniatori nocet, quia habetur mendax, & inuidus. sin verum est, pro monitore id erit, vt resipiscam.

Calumnia nec vera, nec falsa, nocet alteri.

11 Hæreticos tantò magis cauendos ait, quantò prætextu virtutis tectiores: *Alius apertè malus est, alius larua tantùm, & colore virtutis speciesfallit.* rectè hypocritam laruam vocat, & spectrum vmbratile ad fallendum. Tùm Nouatianos exagitat, qui se catharos, idest, puros, ac mũdos vocitabant: *Nouati temeritas, suique impura puritas nominis elegantia multitudinem inescans.* Vide fraudem: quod speciosius nomen, quàm puritas? hoc ipsi præferebant impuri.

Hypocrita larua est.

12 Ostendit, concordiam, pacemque mutuò in alijs conflare, ac discordes animos conciliare, non esse humanæ eloquẽtiæ, sed diuinæ virtutis, & per eam operãtium: *Hæc sedare, atque comprimere Dei fuerit, qui omnia tanquàm vinculis quibusdam cõstringit; deindè eorum hominum, qui concordiæ bonum norunt.* acutè dictum. Cũ enim Dei sit, vniuersitatem hanc, quasi aurea illa Homerica catena inter se coniungere, atque constringere, quamobrem nihil tam natura fugit, quàm vacuum; ad eundem pertinet animos quoquè hominum beneuolentiæ vinculis inter se colligatos tenere. Deniquè breui complectitur, ac recolligit argumenta, quæ ad pacem mutuam interdùm inuitant. Primò pax personarum diuinarum in vnitate naturæ, quæ est prima, & summa pax. deindè Angelorum inter se concordia. tertiò huius vniuersitatis. postremò microcosmi ipsius: *Concordiæ bonum à Trinitate quidem exortũ habet, cui nihil æquè proprium est, ac natura vnitas, & concordia. Ab Angelis porrò, et diuinis Virtutibus perceptum, quæ & cum Deo, & secum quietæ, & pacatæ sunt. Progressus verò ad res omnes creatas, quarum ornamentum in concordia situs est. Apud nos denique versatur quoad animam quidem per virtutum vnitatem, & societatem; quoad corpus autem per membrorum, & elementorum inter se concinnitatem, & symmetriam.* Nota quatuor gradus, itemq; vt inter nos cõcordes simus, necesse esse cũ Deo esse coniũctos.

Conciliare animos Dei opus est.

Quatuor incentiua concordiæ.

13 Concludit de pace ex auctoritate Christi: *Pacifici illius munus, hoc est, pacem reueream ur, quã nobis hinc discedens, quasi quoddam legatum reliquit. Vnum bellum agnoscamus, quod cum aduersarijs Potestatibus committimus.* præclarè dictum; nonnisi Diabolus pro hoste agnoscendus est. Cęterùm vide quàm nobis commendata pax sit, vt pro legato relicta sit à Christo ante mortem: *Pacem meam relinquo vobis.* Hoc puto esse pallium, quod Helias in Cęlũ ascendens discipulo reliquit, quo scilicet tegamus aliorum delicta.

Pax à Christo pro legato relicta.

Ex Oratione XIV. de plaga grandinis.

1 Aegrè se ad dicendum accedere ait, cum non desit orator se pręstantior, senior scilicèt Episcopus adstãs: *Quid Aarone prætermisso, Eleazarum in medium producitis? non patior fontem obstrui, & torrentem currere; Solem occultari, & stellam lucere; Sapientiam silere, & imperitiam se iactare.* Vide quàm humilitèr de sentiat, quàm præclarè de alijs. Illũ limpidum fontem, semperquè manãtem; se autem turbidum torrentem vocat. illũ Solem, se stellam in tantum dicit, in quãtum ostendat nullum ex se lumen habere doctrinæ, nisi ab illo. deniquè illum sapientem, se rudem, & ignarum appellat.

Gregorij humilitas corã seniore Episcopo.

2 Redundantiam verborum à cõcione eijcit: *Maior pluuia non ità vtilis, vt minor; cum illa ob violentiam suam terram abstrahat; hæc autem sensim, ac leniter ad ima penetrans, agrum pinguem reddat. nec item in sermonibus his, qui vberior, & copiosior est, sapientia fructuosior est: ille enim posteaquam exigua voluptate auditorem affecit, ac per linguæ leporem præstigias quasdam offudit; nihil aliud supra vitium habet. hic autem in mentem penetrauit, atq; ingentem segetem edidit.* Pulchra similitudine ostendit, quàm vana sit illa concionatorum inanis in dicendo profluentia sine vllo animarum fructu; vt imber cum impetu fluens, nec penetrãs, sed dissipans terram. Rectè item appellat linguæ leporem, *præstigias*. quid indignius? pręedicator fit præstigiator, dùm fucũ verbis facit, qui debet esse morũ castigator.

Inanis profluentia in concionatore taxatur.

Vanus concionator præstigiator est.

3 Concionatoris munus, exemplo potiùs virtutis quàm arte dicendi, vel disserendi contineri ait: *Prima sapientia est vita proba, Deoq; purgata, qui purissimus est. prima sapientia est sapientiam in sermone, ac dictorum strophis, & adulterinis, & superuacaneis disputationibus positam aspernari. mihi autem vtinam quinque potiùs verba prudentèr eloqui liceat, quàm sexcenta, & lingua, & voce obscura, tuba mili-

militem meli ad spiritale bellum haudquaquam excitante. Vide quid agere debeat concionator; militem conscribere, armis munire, excitare ad pugnam vitiorum, scilicet at tu non tubicinem agis, sed tibicinem, aut fidicinem, hoc est delectare, non prodesse studes.

Concionator tubicen est, non fidicen.

4 In alijs iuuandis facta magis conducere dicit, quàm verba: *Qui pauca de virtute verba facit, cæterum per ea, quæ agit, multa demonstrat; is fidem, & auctoritatem sermoni suo per vitam conciliat. Præstantior sanè est ea pulchritudo, quæ oculis cernitur, quàm quæ sermone depingitur.* Sic interpretatur locũ psalmi: *Intellectus bonus omnibus facientibus eũ.* nõ ait loquentibus, disserẽtibus, sed facẽtibus.

Concionator plus factis, quam dictis persuadet.

5 Exponit illud psalmi: *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto. Tametsi omnibus de merita pœnæ atrocitate aliquid detrahit, atquè iræ meracum benignitate temperet; ita tamen, vt ex seueritate quidẽ ad lenitatem, & gratiã inclinet ijs, qui metu erudiuntur, & corriguntur: fæcem autem, idest quod in ira extremum est, reseruet, vt eam totam in illos effundat, qui benignitate, & clementia non modò non sanantur, sed obdurantur.* Nota de poculo diuinæ vltionis, vbi correctio ex pœna inclinat ad gratiã; fæx ijs reseruatur, qui impœnitentes decedunt è vita. cum in hac vita pateris, dicitur tibi: Nondum vsque ad fæcem bibisti. Erat autem apud veteres in symposijs poculum, quod dicebatur cottabus: hoc inclinabant in vasa minora, & minora ex magno.

Deus punit citra condignum.

Fæx calicis iræ Dei impœnitentibus reseruatur.

6 Prælato seniori humilitèr defert dicendi munus: *Tu mihi de præsenti plaga philosophare. Expone vnde huiusmodi plagæ, & flagra oriantur. vtrùm temeritas, & casus hæc ferat vt stultè sapientibus placet; an potius vniuersa hæc rerum moles, vt ratione, atque ordine primùm creata, & concinnè temperata, & colligata est; sic etiam Prouidentiæ frenis eam ducentibus in diuersum moueatur, & collocetur?* Pulchrè Mundum hunc quasi currum, & quadrigam dicit; cui Prouidentia tanquàm docilis auriga insideat, frenis gubernans, & quò velit, ducens. Non dissimilis est illa apud Ezechielem quadriga; nam & animalia, & rotæ plenæ erant oculis, quod certè prouidentiæ symbolum est.

Calamitates non casu accidũt, sed ex Dei voluntate.

Mundusq; quasi currus per prouidentiam à Deo auriga moderatus.

7 Pergit eleganter in persona senioris, qui aderat, philosophari: *Expone, vndè aeris corruptio, & morbi, & æstuantis terræ tremores, & maris sese attollentis impetus, & cæli [illegible] orti terrores? & quonam pacto creatura ad hominum vsum, & communem condita, communes, inquã, & æquales delitiæ ad impiorum pœnam immutentur? vt quibus bene [illegible] muniis grati fuimus, his etiã cruciamur; ac certè ex ijs, quæ patimur, potentiam agnoscamus. Expone, cur vir iustus ærumnis premitur, &c. vtrũ hæc plaga sit, vt virtus nostra exploretur, an vt improbitas vindicetur? quamquam præstat, velut ad pœnam, sub potenti Dei manu admitti.* Nota de potentia, quã vocant obedientialem. qua creatura ad aliud se extẽdit, quam ad id, ad quod instituta est Et pulchrè hanc rerum vniuersitatem vocat, *communes, & æquales delicias,* τρυφήματα, vt sunt astra, campi, mare, &c. ad delicias hominum, & commodum facta; tamẽ dicitur: *Armabitur omnis creatura aduersus insensatos.* rursum cum calamitates, tum ad virtutis probationẽm, tũ ad peccati pœnam immittantur, præstat hoc credere. Vide rursus quàm humilitèr Gregorius corã [illegible] Episcopo loquatur, à quo cupit hæc discere, cum sit ipse doctissimus.

Potentia obedientialis [illegible]

Plaga [illegible]

8 Graphicè describit plagam hanc grandinis. *Acerba res est, [illegible] gemitibus, tanquam mortuis assidentes, ac labores suos luctu prosequentes. Miserum spectaculum, terra contumelia affecta, & detonsa, suoq; ornatu spoliata, quos & beatus Iob deplorat: Anteriora, inquit, eius [illegible] voluptatis, posteriora autem [illegible] exterminij. At his grauiora diuinæ iræ [illegible] apud se continent, quæ vtinam experiri non contingat; nec verò experiemini, Deum misericordiæ amicum lacrymis pertrahentes.* Pulchrè hoc dictum, [illegible] græcè est [illegible] est autem [illegible] quadam, & machina. vide [illegible] Deum ad puniendum [illegible] in aliam partem [illegible], hoc est clementiæ, & lenitatis

[illegible] apud Deū

9 Ex præsenti calamitate traducit animos ad metum multo [illegible] oris, hoc est, æterni supplicij, nisi adsit emendatio: *Ad hoc lenitas, & benignitas hæc sunt, & blanda castigatio. adhuc iræ fumus, tormentorum præludium, non [illegible] autem ignis comburẽs, nec vltimæ partes supplicij, quod partim intentauit, partim vt compressit, semitam viæ suæ sternens.* Pulchrè ait, calamitates huius vitæ tantum esse veluti fumũ, qui molestus est oculis; sed in ictũ ignis fumum demonstrat, vt caueas ignem. Itàque benignitati est hoc, siuè, vt est in græco, philanthropiæ. Huc refer illud psalmi: *Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit.* Præcedit fumus, quasi monitor quidam. Addit acribus verbis: *Noris refulgentem rhomphæam, & ebriam in Cœlo machæram. noris eum, qui perturbatione omni vacat, anxia vrsa, ac pardalis more in via Assyriorum occurrere; nec ira vim, & celeritatem fugere quemquam posse.* Alludit ad loca prophetarum: *Inebriatus est in Cœlo gladius meus, & occurrit eis, quasi vrsa raptis catulis, &c.* Ezech.

Præsentis vitæ [illegible]

10 Ex

10 Ex præsenti calamitate seriò traducit mentem ad terrorem iudicij,& dānationis æternæ: *Mitto dicere futuræ vitæ tribunalia, quibus impunitas eos tradit, vt satius sit hic puniri, quàm ad cruciatum illum transmitti. terret me propheta: Quid faciemus in die impulsionis? cum peccata nostra, hoc est, acerbos, & amaros accusatores nobis in faciem statuet, acceptaq; beneficia cum ijs ex aduerso conferens, & imaginis vitio contaminatæ, atq; confusæ dignitatem à nobis exposcens. quis tunc patronus? quæ apologia? quæ consilij solertia tribunal illud circumscribet, ac rectum iudicium eludet, quod omnia in statera collocat, &c.?* Horrēdum dictu. peccata ipsa tā nobis familiaria, ad tribunal illud impellent nos reos quasi lictores: quis enim non indè refugeret? ideò dicit: *In die impulsionis* ἐπαγωγῆς: quæ vox apud Thucididem significat etiam inuasionem hostilem, ipsorum scilicet peccatorum. Eadē, inquit, peccata contumaci fronte ante nos persistent acerbi, & amari accusatores, scilicet quæ voluptatis dulcedinem præseferebant. Nota item ex aduerso, & è regione peccatorum collocāda beneficia, quæ nobis exprobabuntur, præsertim ob Dei imaginem in nobis *contaminatam, atque confusam*, vt vix dignosci queat. Rectè autem ait, Tribunal illud nec circumscribi posse, hoc est subdola suppositione, vel falsa argumētatione eludi; nec apologia subterfugi. græca elegantius paralogiam, & apologiam habent: *Quo item tempore thronis proponantur, & libri aperientur, & igneus fluuius voluetur, &c.*

In gramnis de vltimo iudicio cogitandum

In iudicio peccata quasi lictores nos reos ad tribunal impellent.

In iudicio exprobabitur in primis violata Dei imago in nobis.

11 Ostendit quàm graue sit Dei visione priuari: *Ac iustos quidem sanctæ, Regiæque Trinitatis purius tàm, & clarius illustrat ....., totamq; se cum tota mente miscentis contemplatio, in qua ego vel solum regnum cœlorum maxima ex parte positū censeo; iniustos autem ante alia istud excruciabit, quod à Deo proiecti sint.* Nota de pœna damni; nàm & Absalon licet à Dauid viuere permissus post scelera, modo faciē eius nō videret, tamen ait ad Ioab: *Obsecro, vt videam faciem patris.* non contentus venia.

Priuatio Dei visionis in dānatis grauissima pœna.

12 Exprobandum ait à Deo in iudicio, ac morte, quod per calamitatem non profecerimus: *Præter beneficiorum multitudinem, plagas etiam insuper nobis probro vertet, ac medicinæ genera, quibus sanati non sumus.* Vides, vt ad remediū, & pharmacum sit amarities afflictionis data. Tùm pulchrè Deum loquentem inducit de plaga grandinis: *Aegyptium sanguinē ex fontibus præteriit, ac reliquas plagas; à quinta, idest, à iumentis, & bobus, & ouibus incœpt, ac ratione præditis adhùc parcens, in bruta sola impetum fecit: vos ijs stolidiores fuistis, grādinem immisi, &c.* Quatuor, inquit, plagas omisi, vt vobiscum clementiùs agerē; at vos nec lenitate, nec seueritate correcti estis. de se quoquè iudicium metuere ait. *Quin etiam ad me quoque fortasiè his verbis vtetur. Scio, quia durus es, & neruus ferreus ceruix tua. nihil superna admonitio profuit, nihil plaga. defecit sufflatorium, defecit plumbum. incassum argentum conflat argentarius. scelera vestra non sunt liquefacta, &c.* Alludit ad verba Prophetæ. Vide quàm humilitèr tàm sanctus Doctor se quoquè reum statuendum timeat; itá enim alios arguere debemus, vt nostra quoq; doleamus vulnera. Addit, in hanc sententiam: *Absit, vt mihi exprobetur: Percussi vos ærugine, & æstu, & sideratione, nec profecit quisquam. Absit, vt illa vinea sim, quæ expectata est, vt faceret vuas, fecit autem spinas.*

Deus inducitur exprobans salutis remedia.

Gregorij me us de iudicio.

Ezech.

13 Exemplo vxoris Loth ad emendationem hortatur: *Ad montem ascendamus, nè circumspiciamus nè alioqui in salis columnam concrescamus; columnam, inquam, verè immortalem, & accusatricem animæ in vitium reuertentis.* Nota cur illa conuértens se rettò sic punita sit, quia scilicèt imago quædam fuit, quasi reuertentis ad priorem statum, ad vitia. ac pulchrè vocat, *columnam salis immortalem, & accusatricem*: quia diutissimè durauit etiam exposita imbribus. & sicut in columnis supra dixit inscribi solita, quæ ad ignominiam pertinent in memoriam posteritatis; itá &c. græca pro, accusatrice, habent κατήγορον: quasi columna ipsa salis accusatio quædam esset de retrogradiendo. remansit enim versa facie in Pentapolim: quod item contra apostatas est; ac nè inepta videri posset accusatio, non in marmor conuersa, sed salem; salsè, videlicèt, argutèque accusationem instituens. itáq; accusatrix ipsa sui est effecta, cuiusmodi cuiq; peccanti conscientia est.

Vxor Loth versa in columnā salis, typus sæculum respicientis.

14 Nolle resipiscere quantum malum sit, ostendit: *Nihil peccare est supra hominem, ac solius Dei. nihil enim de Angelis dicam, nè improbis contentionibus ianuam aperiam. perditè autem, & incurabilitèr ægrotare, praua illius, & aduersariæ naturæ est, & eorum, qui ab ea afficiuntur.* Vide vt diabolicum sit non corrigi, & obstinatum esse. tùm nota, vt in concione quæstiones quædam, quæ plus contentionis, quàm vtilitatis habent, sint omittendæ. Pergit de emendatione: *Si puluis hic improbitatis aliquid trahit, at imago terræ limum repurget, & cō-iunctam carnem rationis pennis sublcuatam in sublimi collocet.* Vide quid nos maximè retrahere possit à peccato, vel leuis cogitatio videlicet imaginis Dei in nobis. hæc quasi lima est, repurgans animum. hæc eleuat à terrenis

Cogitatione imaginis Dei in nobis puri reddimur.

militem mihi ad spiritale bellum haudquaquam excitante. Vide quid agere debeat concionator; militem concitare, armis munire, excitare ad pugnam vitiorum, scilicet, at tu non tubicinem agis, sed tibicinem aut fidicinem, hoc est delectare, non prodesse studes.

Concionator tubicen est, non fidicen.

4 In alijs iuuandis facta magis conducere dicit, quàm verba: *Qui pauca de virtute verba facit, cæterum per ea, quæ agit, multa demonstrat; is fidem, & auctoritatem sermoni suo per vitam conciliat. Præstantior sanè est ea pulchritudo, quæ oculis cernitur, quàm quæ sermone depingitur.* Sic interpretatur locū psalmi: *Intellectus bonus omnibus facientibus eū.* nō ait loquentibus, dicentibus, sed facientibus.

Concionator plus factis, quam dictis persuadet.

5 Exponit illud psalmi: *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto. Tametsi omnibus de merita pœnæ atrocitate aliquid detrahit, atquè iræ meracum benignitate temperet; ita tamen, vt ex seueritate quidē ad lenitatem, & gratiā inclinet ijs, qui metu erudiuntur, & corriguntur: fæcem autem, idest quod in ira extremum est, reseruet, vt eam totam in illos effundat, qui benignitate, & clementia non modò non sanantur, sed obdurantur.* Nota de poculo diuinæ vltionis, vbi correctio ex pœna inclinat ad gratiā; fæx ijs reseruatur, qui impœnitentes decedunt è vita. cum in hac vita pateris, dicitur tibi: Nondum vsque ad fęcem bibisti. Erat autem apud veteres in symposijs poculum, quod dicebatur cottabus: hoc includebant in vasa minora, & minora ex magno.

Deus punit citra cōdignum.

Fęx calicis iræ Dei impœnitentibus reseruatur.

6 Prælato seniori humilitèr defert dicendi munus: *Tu mihi de præsenti plaga philosophare. Expone vnde huiusmodi plagæ, & flagra oriantur. vtrùm temeritas, & casus hæc ferat, vt stultè sapientibus placet? an potius vniuersa hæc rerum moles, vt ratione, atque ordine primùm creata, & cōcinnè temperata, & colligata est; sic etiam Prouidentiæ frænis eam ducentibus in diuersum moueatur, & collocetur?* Pulchrè Mundum hunc quasi currum, & quadrigam dicit; cui Prouidentia tanquàm docilis auriga insideat, frenis gubernans, & quò velit, ducens. Non dissimilis est illa apud Ezechielem quadriga; nàm & animalia, & rotæ plenæ erant oculis, quod certè prouidentiæ symbolum est.

Calamitates non casu accidunt, sed ex Dei voluntate.

Mundum quasi currus per prouidentiam a Deo auriga moderatum.

7 Pergit eleganter in persona senioris, qui aderat, philosophari: *Expone, vnde aëris corruptio, & morbi, & æstuantis terræ tremores, & maris sese attollentis impetus, & cælitus orti terrores? & quonam pacto creatura ad hominum vsum, & communem condita, communes, inquā, & æquales ad plurum pœnam immutentur? vt quibus bonis grati minimè grati fuimus, his etiā cruciamur; ac certè ex ijs, quæ patimur, potentiam agnoscamus. Expone, cur vir iustus ærumnis premitur, &c. vtrū hæc plaga sit, vt virtus nostra exploretur, an vt improbitas vindicetur? quamquam præstat, velut ad pœnam, sub potenti Dei manu admitti.* Nota de potentia, quā vocant obedientialem. qua creatura ad aliud se extēdit, quàm ad id, ad quod instituta est Et pulchrè hanc rerum vniuersitatem vocat, *communes, & æquales delicias*, τρυφήματα, vt sunt astra, campi, mare, &c. ad delicias hominum, & commodum facta; tamē dicitur: *Armabitur omnis creatura aduersus insēsatos*. rursum cum calamitates, tùm ad virtutis probationem, tū ad peccati pœnam immittantur, præstat hoc credere. Vide rursus quàm humilitèr Gregorius corā seniore Episcopo loquatur, à quo cupit hæc discere, cum sit ipse doctissimus.

Potentia obedientialis creaturis officium

Plaga grandinis Ægrotorum depraedata

8 Graphicè describit plagam hanc grandinis. *Acerba res est, agricolæ gemitibus, tanquam mortuis assidentes, ac labores suos luctu prosequētes. Miserum spectaculum, terra contumelia affecta, & detonsa, suoq; ornatu spoliata, quod & beatus Iob deplorat: Anteriora, inquit, eius bestias voluptatis, posteriora autem eam exterminy. At his grauiora diuinæ iræ thesauri apud se continent, quæ vtinam experiri non contingat; nec verò experiemini, Deum misericordiæ amicum lacrymis pertrahentes.* Pulchrè hoc dicuntur, vt græcè est ἱλάσκεσθαι, est autem ἱλάσκω vi quadam, & machina vide, iam de lacrymarum; Deum ad punitionem conuertium in aliā partem contrariam trahunt, hoc est clementiæ, & lenitatis.

Vis magna lacrymarum apud Deū.

9 Ex præsēti calamitate traducit animos ad metum maioris mali, hoc est, æterni supplicij, nisi adsit emendatio: *Ad hoc lenitas, & benignitas hæc sunt, & blanda castigatio. adhùc iræ fumus, tormentorum præludium, nondum autem ignis comburēs, nec vltimæ partes supplicij, quod partim intentauit, partim vi compressit, semitam viæ suæ sternens.* Pulchrè ait, calamitates huius vitæ tantum esse veluti fumū, qui molestus est oculis; sed indiciū ignis fumum demonstrat, vt caueas ignem. Itàque benignitatis est hoc, siuè, vt est in græco, philanthropiæ. Huc refer illud psalmi: *Ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit.* Præcedit fumus quasi monitor quidam. Addit acribus verbis: *Noris refulgentem rhomphæam, & ebriam in Cœlo machæram. noris eum, qui perturbatione omni vacat, anxia vrsa, ac pardalis more in via Assyriorum occurrere; nec iræ vim, & celeritatem fugere quemquam posse.* Alludit ad loca prophetarum. *Inebriatus est in Cœlo gladius meus, & occurrit eis quasi vrsa raptis catulis, &c.* Ezech.

Præsentis vitæ calamitates præludium æternæ ignis.

10 Ex

10 Ex præſenti calamitate ſeriò traducit mentem ad terrorem iudicij,& dãnationis æternæ: *Mitto dicere futura vitæ tribunalia, quibus impunitas eos tradit, vt ſatius ſit hîc puniri, quàm ad cruciatum illum tranſmitti. terret me propheta: Quid facimus in die impulſionis? cum peccata noſtra, hoc eſt, acerbos, & amaros accuſatores nobis in faciem ſtatuet, acceptaq; beneficia cum ijs ex aduerſo conferens, & imaginis vitio contaminatæ, atq; confuſæ dignitatem à nobis expoſcens. quis tunc patronus? quæ apologia? quæ conſilij ſolertia tribunal illud circumſcribet, ac rectum iudicium eludet, quod omnia in ſtatera collocat, &c.?* Horrẽdum dictu. peccata ipſa tã nobis familiaria, ad tribunal illud impellent nos reos quaſi lictores: quis enim non indè refugeret? ideò dicit: *In die impulſionis* ἐπαγωγῆς: quæ vox apud Thucididem ſignificat etiam inuaſionem hoſtilem, ipſorum ſcilicet peccatorum. Eadẽ, inquit, peccata contumaci fronte ante nos perſiſtent, acerbi, & amari accuſatores, ſcilicet quæ voluptatis dulcedinem præſeferebant. Nota item ex aduerſo, & è regione peccatorum collocãda beneficia, quæ nobis exprobabuntur, præſertim ob Dei imaginem in nobis *contaminatam, atque confuſam*, vt vix dignoſci queat. Rectè autem ait, Tribunal illud nec circumſcribi poſſe, hoc eſt ſubdola ſuppoſitione, vel falſa argumẽtatione eludi; nec apologia ſubterfugi. græca elegantius paralogiam, & apologiam habent: *Quo item tempore thrones proponantur, & libri aperientur, & igneus fluuius voluetur, &c.*

In gravamine de vltimo iudicio cogitandum

In iudicio peccata quaſi lictores nos reos ad tribunal impellent.

In iudicio exprobabitur in primis violata Dei imago in nobis.

11 Oſtendit quàm graue ſit Dei viſione priuari: *Ac iuſtos quidem ſancta, Regiaque Trinitatis purius tàm, & clarius illuminantis, totamq; ſe cum tota mente miſcentis contemplatio, in qua ego vel ſolùm regnum cœlorum maxima ex parte poſitũ cenſeo; iniuſtos autem ante alia iſtud excruciabit, quod à Deo proiecti ſint.* Nota de pœna damni; nàm & Abſalon licet à Dauid viuere permiſſus poſt ſcelera, modo faciẽ eius nõ videret, tamen ait ad Ioab: *Obſecro, vt videam faciem patris*. non contentus venia.

Priuatio Dei viſionis in dãnatis grauiſſima pœna.

12 Exprobandum ait à Deo in iudicio, ac morte, quod per calamitatem non profecerimus: *Præter beneficiorum multitudinem, plagas etiam inſuper nobis probro vertet, ac medicinæ genera, quibus ſanati non ſumus.* Vides, vt ad remediũ, & pharmacum ſit amarities afflictionis data. Tùm pulchrè Deum loquentem inducit de plaga grandinis: *Aegyptium ſanguinẽ ex fontibus prætereo, ac reliquas plagas; à quinta, id eſt, à iumentis, & bobus, & ouibus inceps, ac ratione prædit is adhùc parcens, in bruta ſola impetum feci: vos ij ſtolidiores fuiſtis, grãdinem immiſi, &c.* Quatuor, inquit, plagas omiſi, vt vobiſcum clementiùs agerẽ; at vos nec lenitate, nec ſeueritate correcti eſtis. de ſe quoquè iudicium metuere ait. *Quin etiam ad me quoque fortaſſè his verbis vtetur. Scio, quia durus es, & neruus ferreus ceruix tua. nihil ſuperna admonitio profuit, nihil plaga. defecit ſufflatorium, defecit plumbum. incaſſum argentum conflat argentarius. ſcelera veſtra non ſunt liqueſacta, &c.* Alludit ad verba Prophetæ. Vide quàm humilitèr tàm ſanctus Doctor ſe quoquè reum ſtatuendum timeat; ità enim alios arguere debemus, vt noſtra quoq; doleamus vulnera. Addit, in hanc ſententiam: *Abſit, vt mihi exprobetur: Percuſſi vos ærugine, & æſtu, & ſideratione, nec profeci quiſquam. Abſit, vt illa vinea ſim, quæ expectata eſt, vt faceret vuas. fecit autem ſpinas.*

Deus inducitur exprobans ſalutis remedia.

Gregorij metus de iudicio.

Ezech.

13 Exemplo vxoris Loth ad emendationem hortatur: *Ad montem aſcendamus, nè circumſpiciamus nè alioqui in ſalis collinam concreſcamus; columnam, inquam, verè immortalem, & accuſatricem animæ in vitium reuertentis.* Nota cur illa conuẽrtens ſe retrò ſic punita ſit, quia ſcilicèt imago quædam fuit, quaſi reuertentis ad priorem ſtatum, ad vitia. ac pulchrè vocat, *columnam ſalis immortalem, & accuſatricem*: quia diutiſſimè durauit etiam expoſita imbribus. & ſicut in columnis ſupra dixit inſcribi ſolita, quæ ad ignominiam pertinent in memoriam poſteritatis; ità &c. græca pro, accuſatrice, habent κατήγορον: quaſi columna ipſa ſalis accuſatio quædam eſſet de retrogradiendo. remanſit enim verſa facie in Pentapolim: quod item contra apoſtatas eſt; ac nè inepta videri poſſet accuſatio, non in marmor conuerſa, ſed ſalem; ſalsè, videlicèt, argutèque accuſationem inſtituens. itàq; accuſatrix ipſa ſui eſt effecta, cuiuſmodi cuiq; peccanti conſcientia eſt.

Vxor Loth verſa in columnã ſalis, typus ſæculum reſpicientis.

14 Nolle reſipiſcere quantum malum ſit, oſtendit: *Nihil peccare eſt ſupra hominem, id ſolius Dei: nihil enim de Angelis dicam, nè improbis contentionibus ianuam aperiam. perditè autem, & inſanabilitèr ægrotare, praua illius, & aduerſariæ naturæ eſt, & eorum, qui ab ea afficiuntur.* Vide vt diabolicum ſit non corrigi, & obſtinatum eſſe. tùm nota, vt in concione quæſtiones quædam, quæ plus contentionis, quàm vtilitatis habent, ſint omittendæ. Pergit de emendatione: *Si pulueris hic improbitatis aliquid trahit, at imago terræ limum repurget, & cõiunctam carnem rationis pennis ſubleuatam in ſublimi collocet.* Vide quid nos maximè retrahere poſſit à peccato, vel leuis cogitatio videlicet imaginis Dei in nobis. hæc quaſi lima eſt, repurgans animum. hæc eleuat à terrenis

Cogitatione imaginis Dei nobis peccati tedimur.

nis ad cœlestia. & nota corpus ipsum pœnatum quodammodò reddi: *Hæc imago coniunctam animæ carnem, rationis, seù Verbi pennis subleuatam in sublimi collocat.* hinc ecstases illæ, subleuato corpore in aera in nonnullis Sanctis, in quibus hæc imago Dei vigebat, præsertim in Francisco Asisiate, qui ipsa carne Christum crucifixum repræsentabat, & altissimè sæpè attolli visus.

15 Incutit terrorem ex Dei præsentia: *Horrendum est in Dei manus incidere. horrendus vultus Domini super facientes mala. horrenda auris Domini, Abelis vocem etiam per tacitum cruorem sentiens. horrendi pedes improbitatem cursu assequentes. horrendum, quod vniuersum Orbem impleat, ac nemini Dei iram effugere liceat: non si Cœlum, non si in infernum auolauerit, &c.* Alludit ad psalmū: *Quò ibo à Spiritu tuo, &c.* Vide inter cætera, inquit, quàm auritus sit Deus, qui sāguinē Abelis exāguis, ac muti vltor audiuit. tùm affert remediū non peccādi: *Magnum improbitatis pharmacum est confessio, & peccati fuga.* Rectè pharmacum vocat, quia confessio amara esse debet ex dolore, & venenatis ictibus mederi serpentis, iuxtà illud: *Tanquam à facie colubri fuge peccatum.* Et ideò rectè cum confessione coniungit fugam.

Dei præsentia absterret à peccando.

Confessio peccati magnum, & efficax pharmacū

16 Detestatur hominum vitia, præsertim auaritiam: *Aurum, & argentum non secus ac Baal, & Astarten, & execrandum illum Chamos adoramus.* Huc refer illud Pauli: *Auaritia, quæ est idolorum seruitus.* Addit: *Instar illius sanguisugæ, cuius meminit Salomon, quæ expleri nequit, alia iàm habemus, alia adiungimus, &c.* Vides quid sit auaritia: sanguisuga est inexplebilis, sanguinem exsorbens pauperum, nec vnquam dicit, sufficit: *Nouum Orbem, quem possideamus, quærimus, ac Dei terminis, vt insatiabili nostra cupiditate minoribus, succensemus.* nostra maximè ætate hæc querela locum habet. *nouum Orbem, quem possideamus, quærimus*; nouo, inquā, Orbe reperto, ad mercaturas, & lucra. sed opposuit his Deus Apostolicos viros, lucrū animarū toto Orbe quærentes etiā in nouo, ac recens reperto duce Xauerio.

Auaritia sanguisuga inexplebilis.

Prou. 30.

17 Deniquè Principum, & Dynastarū superbiam, & fastum taxat: *Quid verò illi, qui in sublimibus thronis sedent, atque imperij scænam attollunt, ac supercilium theatris ipsis alt ius? nec Deum, qui supra omnia est, nec inaccessibile illud veri regni fastigium considerant; & subditis, tanquàm conseruis imperāt: qui eadem benignitate opus habent.* pulchrè appellat, *Imperij scænam*; quid enim, nisi histrionica res agitur? quid, nisi catastrophe rerum ex prosperis in aduersa spectantur? Octauianus ipse Cæsar moriens, tanquàm histrionicam egisset in scæna, fabulam vitæ clausit, applosis manibus. Et rectè Principes, & Reges monet, vt benignè suos subditos tractent, nàm & ipsi summo Imperatori Deo subditi sunt. monet etiam ex aliorum casu resipiscere: *Oportebat abietem vlulare, quia cecidit cedrus; ac per aliena mala rebus suis consulere.* Alludit ad prophetæ verba. Ezech.

18 Seniorem Episcopum, qui aderat, sic hortatur: *Corpoream alimoniam pete, Angelicam etiam è Cœlo descendentē prius pete.* Vide quid in calamitatibus, præcipuè publicis, Prælatus agere debeat, vt videlicet orando subueniat suis tàm de corporis, quàm de animarum alimonia: siuè gratiam intelligamus, siuè Eucharisticum cibum, qui tunc maximè ad aram & exponendus est, & ore sumendus.

Ex Oratione XV. De pauperum amore.

1 Beneficentiam in pauperes elegantèr, ac pulchrè commendat: *Facile est inter virtutes eam, quæ cæteras vincat, inuenire; eique primas, & palmas dare. Quemadmodùm enim in prato quodam plurimis, & suauibus floribus referto, florem omnium pulcherrimum est fragrantissimū reperire, alio nimirùm, alioquè olfactu, & aspectu ad se trahente, atque ad primum eum carpendum alliciente; prodit enim se suo decore.* Pulchrè de beneficentia duplici metaphora. Eam dicit inter virtutes primatum, & palmam victorialem præferre πρεσβεῖα, καὶ νικητήρια, quarum alterum significat honorarium, quod meretur quis, vt natu maior, & maximè verendus. alterum premium victoriæ: tanquàm beneficentia venerabili canitie matrona sit, vel in Olympico cursu victrix. nec minus pulchrè in religionis quasi prato, agroq; amœnissimo inter varios virtutū flores hunc specie, & odore magis se prodere ait, aliosq; ad se allicere. discurrit aūt per singulas virtutes. Pulchra res est humilitas, &c. *Pulchra contemplatio, & actio: illa hinc assurgens, mentemque nostram ad id, quod sibi cognatum est, reducens; hæc verò vim amoris per opera indicans.* Vide quid agat contemplatio, extollit hominem ad diuina, tanquàm sibi cognata. græcè est συγγενὲς. quò spectat illud Pauli: *Genus ergò cum simus Dei, &c.* tamen beneficientia hoc superior est, quòd in actum prodit.

Beneficentia palmam victorialē fert inter virtutes.

Religio ager consitus variis florum generib.

Vitæ contemplatiuæ, & actiuæ laudes.

2 Elegantèr admodùm per antitheta describit mirā hominis cōstitutionē, quasi ex cōtrarijs compactam, vbi corpus cū anima, ratio cum sensu coalescunt: *Quoniam et modo coniunctus sim, haud equidem scio,*

ſcio, quo pacto & imago Dei ſim, & cum cœno voluter: quod cum benè valet, bello me laceſſit; cum bello premitur, mœrore me afficit. quod & vt conſeruum amo, & vt miniſtrum odi. quod & vt vinculum fugio, & vt coheres vereor. ſi debilitare ſtudeo, tàm non habeo, quo ſocio, & opitulatore vtar ad res præclariſſimas. ſin vt cum ſocio minus agam, rebellantis impetum vitare non poſſum. O miram coniunctionem, & alienationem quod metuo amplector; quod amo, pertimeſco. Elegantèr, inquam, oſtendit quã mira ſit hominis cõſtitutio, & quàm cautè cum corpore agendum. nempè ſocius eſt præclari laboris, cohæres Regni; idem tamen, & cœnum, & vinculum, & hoſtis.

Corpus inſtrumentum mixtum animæ in bonum, vel malum.

3 Duplici ratione ad beneficentiam ergà pauperes hortatur. Prima eſt, *quia mendici ſumus omnes, & diuina gratia indigentes* altera eſt, *quia Deo ſimilem facit.* nequè enim aliud quicquã eſt, quod magis Deo conueniat: *vtpotè, quem miſericordia, & veritas præcedit: & ideò nullus omninò cultus Deo ità gratus, vt miſericordia.* Nota: amor in pauperes præcedit quaſi armiger Deum, vt de Ionatha dicitur: *Armiger præcedebat eum.* porrò leproſis maximè ſubueniendum dicit, tùm ob morbi grauitatem, tùm quia ab omnibus repudiati, & deſerti: quorũ infeliciſſimũ ſtatum graphicè ſic deſcribit: *Equidem eorum miſeriam non ſine lacrymis fero, ac memoria ipſa perturbor. proponitur vobis ante oculos graue, & miſerandum ſpectaculum. homines mortui, & viuentes, qui ex lineamentis agnoſci non poſſunt. homines non ſatis conſtitutum habentes vtras corporis partes magis deplorent, acciſas iàm, & extinctas, quas morbus aſſumpſit, an quæ ſuperſunt miſerius? illæ ante ſepulchrum interierunt; hæc nemo eſt, qui afficiat ſepultura.* Vehementem vim habent, & magnum pondus verba ſingula ferè ex antithetis conflata. Quod autem ait, eorum aſpectu, imò recordatione adeò ſe commoueri, non mirum, quod Chriſtus tàm propenſus eſſet ad leproſos mundandos, etiam eos, quos ſciret ingratos fore, & immemores beneficij; & quod tàm promptè, dicenti: *Si vis, potes me mundare.* reſponderit directè, & potentiam re oſtendens, & voluntatem, *Volo mundare.*

Beneficẽtia Deo ſimilẽ facit.

Leproſis maximè ſubueniendum.

4 Pergit in eius morbi fœditate, quã cõſequitur aliorũ nauſea: *Parẽtes ipſi, qui vt oculum vnum habebant; lugent quidem, caterùm abijciunt, ac viuum tãquàm mortuum ſic deplorant. complecti quidem, & exoſculari miſera cupit mater, ſed filij carnes pertimeſcit iam vt hoſtiles.* Egregiè dictum. hinc admirare Xauerij caritatem materna maiorem, qui non modò vlceroſos contrectabat, ſed vnius ſaniem non minus generosè, quàm piè ore hauſit. Ad-

Leproſi fœditas, & nauſea.

dit his: *Vrbibus eijciuntur ædibus, foro, iacent ſub dio, imbribus expoſiti, pedibus etiã iàm iàmque proculcandi, niſi vel tantillum illos tangere quilibet exhorreſceret ò ingentem calamitatem.* Vide circà leproſũ, quæ in Leuitico præcipiuntur: *Habebit os veſte contectum, immundum ſe clamabit, &c.* Acutè autem ait, leproſos ità iacere proiectos in plateis, vt quilibet trãſiens cõculcaret, niſi pedem ipſum ijs admouere ob horrorem non auderent. tamen Mariam ipſam ſororem Moſis hoc morbo affecit Deus ob detractionem: tã fœdum hoc vitium eſt, & abominandum. item Giezi ob auaritiam.

Leuit. 13

5 Quo fine iſta fiant, oſtendit. Permittit, inquit, hoc Deus, *vt nos infirmitatis noſtræ ſubmoneat; vt nulli rerum præſentium velut firmæ, ac ſtabili animum adijciamus.* Tùm commiſerationem excitat in vlceroſos, & pauperes: *Atqui hi eandem nobiſcum naturam nacti, ex eodem luto cõpacti; & vt maiora dicam, imaginem diuinam perindè ac nos acceperunt: meliuſquè fortaſsè, quàm nos, tuentur, ac ſeruant. Idem ſpiritus pignus fideicommiſſum habent, participes eorundem oraculorum, ac myſteriorum.* Magnam hæc conſideratio vim habet, cũ pauperes, & vlceroſi de Dei donis æquè ac nos participent, ac fortaſsè Deo cariores ſint. Addit: *Quid autem nos, quibus magnum illud, ac nouum nomen obtigit, vt à Chriſto nuncupemur? à quo tantũ miſericordiæ, & commiſerationis exemplũ accepimus.* Vides vt ipſum Chriſtiani nomen, quaſi quidam monitor ſit miſericordiæ. Itàque acritèr ſubiungit: *Ità nè illos, vt execrabiles, & pernicioſos ſerpentes, ac feras vitabimus? alienum hoc à nobis eſt, qui Chriſti oues ſumus, qui infirmam roborat, perditam conquirit. alienum item ab humana natura, quæ commiſerationem lege ſãciuit.* græcè eſt συμπαθεῖν ἐνομοθέτησεν. non modò, vt Chriſtiani, ſed vt hominis eſt miſereri, quia natura ipſa legem promulgauit ſympathiæ, hoc eſt, vt flentem videns, flens patienti compatiaris. cæterùm parum eſt, quod ait, ægros homines tanquàm feras vitari. Rex Indorum elephantum album alit: is ſi quando ægreſcat, coguntur regni Primates aſſidere languenti, & miniſtrare.

Morbus monitor eſt fragilitatis humanæ.

In paupere, & vlceroſo diuina imago veneranda.

Alienum eſt à Chriſtiano pauperem vilipendere.

6 Inuehitur in diuitum luxum, pauperibus ſpretis: *Illi ſub dio vexantur, nos domos pretioſis lapidibus ornatas incolimus, auro, argentoque fulgentes, tenuium calculorum diſpoſitione, varioq; artificio pictas. alias autem extruimus nè hæredibus quidem, ſed alienis.* Item de delicijs ſic. Hoc tantùm ſtudemus, *vt pauimentum floribus etiam extrà tempus fragret; menſa ſuauiſſimis vnguentis perfundatur; pueri adſtent ornati, & comis ſoluti, &c. vt ingra-*

Diuitum deliciæ taxantur.

grato ventri quàm maximè blandiantur, &c. græcè ἀχάριτι. Ingratum puto dici ventrem, vel quia priora quasi beneficia non recolens, insatiabiliter semper appetit, ac repetit; vel quia pro voluptate morbos reddit ex cruditate, repletione, &c. His addit: *De vinis philosophamur, alia probamus, alia reijcimus; & detrimentum putamus, nisi ad patrium vinum, exoticum etiam quoddam velut accedat.* Rectè ait, ac pulchrè, *de vinis philosophamur*: sicut in philosophia aliæ opiniones probantur, aliæ reijciuntur; pro lyceo triclinium est. Rectè hos Epicureos philosophos appellat, *mancipia ventris*: etiam si in symposijs regna vini sortiri se dicerent.

Venter ingratus dicitur delicato.

Gulosi sunt mancipia ventris.

7 Erigit animum ab his caducis ad æterna: *Nihil est in humanis firmum, & aquabile, sed rerum nostrarum velut orbis quidā voluitur.* Huc refer, quod Ægyptij tempore sacrorum per templi pauimentum rotam versabant. Pergit: *Rectè factum est ab artifice Verbo, & sapientia, vt nos rebus his, quæ mutationi obnoxia, priusquàm manu teneantur, fuga se proripiunt, eludamur; vt perspecta eorum varietate, atq; inconstantia, ad futuræ vitæ portum contendamus. quid enim fecissemus, si firma esset, & perpetua prosperitas?* Rectè tribuit artifici diuinæ Sapientiæ consulenti nostræ saluti, vt mundana hæc instabilia crearit. quamobrem concludit: *Beatus quidem ille, qui præsentibus rebus futuras emet; qui hæc Verbi gladio secantē virtutem à vitijs diuidens, ac distinguens ascensiones in corde suo disponet.* Notà primò quàm leui mercede Cœlum constet, nempè temporalibus emimus æterna. Deindè pulchrè ait, bona à malis *Verbi gladio secanda.* Visus est Ioanni in Apocalypsi Christus habens in ore, *gladium vtraque parte acutum.* Huc igitur spectat, quod dixerat per Prophetam: *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.*

Humana versantur vt rota.

Instabilitas rerum humanarum ad æterna nos reuocat.

Temporalibus emuntur æterna.

Ier. 15.

8 Pegit de Mundi contemptu dicere: *Dauid tanquàm vocalissimus præco, excelso, & publico præconio inclamat, graues corde nos appellans, ac mendacium diligentes, monensq; nè terrenis hisce vita beatitudinem metiamur; quos item aliter Propheta animaduertens, ac nobis humi reptātibus inculcans: Appropinquate, inquit, ad montes æternos.* Pulchra interpretatio, vt ab imis ad celsa tendamus, & à caducis ad ęterna: Pergit Micheæ verba interpretari: *Surge, & ambula: nam non est tibi hic requies.* Ijsdem propè verbis vtitur, quibus Saluator: *Pergite, abeamus hinc: à terrenis, rebus ad cœlestes.* Acutè notat, & cōfert eadem penè verba & Prophetæ, & Christi, quibus excitamur ad superna.

Psalm. 30

Æterna istum spectanda.

Ioan. 14.

9 Hortatur ad subueniendum pauperi. *Ex ventre aliquid subtrahe, & spiritui consecra; tyranno eripe, ac Domino committe.* Pulchrè dicit, quod pauperi datur, quodammodò consecrari; & elegantèr ventrem tyrannum appellat, quod & supra fecit, qui bis in die tributa exigat.

Venter tyrannus exigens quotidiana tributa.

10 Elegantèr ostendit Dei ergà nos beneficentiam, cuius imitatione & nos beneficos esse deceat: *Hoc quoque accipere est Deo donare; & quemadmodum nemo vmbram suam prægredi potest, vt quæ quātum progrediatur, tantum se subducat, parique semper interuallo nos antecedat: ità nec Deus muneribus nostris vinci potest, neque quisquam extra illius dona damus.* Nota similitudinem vmbræ, & corporis, quam sibi quodammodò Petrus constituerat, cū beneficus erat in miseros; quāobrem, vt arbitror, meruit conferre beneficia, etiam vmbra sui corporis.

Deus non sinit se vinci beneficentia.

11 Aggreditur Dei in nos beneficia numerare: *Agnosce vndè habeas, quod sis, quod spires; quodq; maximum est, quod Deū cognoscas, Cœlorum regnum speres, honoris æqualitatem cum Angelis, gloriæ contemplationem, quod Christi cohæres, & vt audacter loquar; quod Deus etiam sis effectus.* Nota præclaros beneficiorum gradus, inter quos non paruus est, licuisse Deum cognoscere.

Ingens Dei beneficētia ergà nos.

12 Pergit ad alia vniuersaliora Dei beneficia, quæ nos quoquè ad beneficentiam in alios hortantur: *Vt illa minora taceam, quod eius munere, ac beneficio Cœli pulchritudinem cernas; Solis cursum, Lunæ orbem, siderum multitudinem, eamq; quæ in his omnibus velut in lyra elucet, concinnitatem, & ordinem*. significantius græcè ἁρμονίαν, hoc est musicam chordarum adaptationem. pulchrè hunc Mundum lyræ comparat, Dei digito, hoc est, sancto Spiritu temperatæ, & ipsius Dei gloriam resonanti. Refert Dion, Seuero, paulò antè quàm Imperium capesseret, obiectum quendam per speciem, qui ipsi lyram offerret: adeò Mundi gubernatio consona est; atquè vtinam Regibus Deum imitantibus, sceptrum pro plectro sit; ac potiùs suauitate delectentur, quàm tubæ clāgore, pace scilicet, & quiete, quàm bello; ac subditos suos demulceant potiùs, quàm deterreant. Concludit hoc de beneficijs: *An non pudebit nos, cum tot, ac tanta partim acceperimus, partim etiam speremus, nè hoc quidem vnum ipsi conferre, nimirùm benignitatem?* græcè est philanthropian, hoc est, ergà homines amorem: *An cum ille nos à feris disiunxerit, ipsi nos efferabimus? An nos, vt poetæ fabulantur, genus quoddam gigantum sublimes, & humana conditione maiores existimabimus?* Gigantes, seù Titanes immania mōstra cæteros opprimebant: Polyphemus ille Homericus hominum cæde pascitur, &c.

Mundus quasi lyra à Deo temperata.

Ferinū est insultare pauperi.

13 Hoc

13 Hoc item ad beneficentiam inducere ait: *Supremam illam, ac primam Dei legem, qui Solem omnibus æquè oriri facit; ac terram liberam, & fontes, & siluas omnibus animātibus expādit, etc.* Deus, inquit, palam cunctis exponit præcipua bona. contra auari faciunt: *Aurum, argentum, gemmasq; pellucidas, cæteraq; id genus belli, ac dissidij, primæq; tyrannidis argumenta, potius abstrudunt, atque in terram abdunt*. Rectè arguit auarus, vt res carissimas sibi soli reseruat, quæ nonnisi malorum origo sunt; nàm ex cupiditate auri, opum, &c. bella, strages, tyrannides ortæ; quid ergò auaro amentius?

Auarus sibi propria facit, quæ sunt communia.

14 Ex pari cōditione naturæ ad pauperi subueniendum hortatur: *Libertas, ac diuitiæ in sola mandati obseruatione sitæ erant; sicuti contra in violatione seruitus, & paupertas. hinc subdoli serpentis tyrannis, & voluptatis illecebras semper attrahens.* quod de serpentis tyrannide ait, nimirùm hic ille serpens insidians mulieri, de quo dicitur in Apocal. *Et ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & in capitibus eius diademata septem.* Vide quā immanitèr hic tyrānus agat in eos, quos sibi subiecit. quòd autem fluuium immisit in mulierem, agnoscis quasi hydram multorum capitum in palude Lernæa.

Diabolus serpēs diadematus

15 Et hæc pulchra parænesis est de subueniendo pauperi: *Deo gratitudinis aliquid tribue, quod non tu in alienas manus oculos conijcias, sed alij in tuas.* idest Deo debes, quod non accipias & tu more pauperum stipem. Addit: *Fac, calamitoso sis Deus; nihil enim tàm diuinum homo habet, quàm de alijs benemereri. Ille hominem condidit, ac solutum colligit; tu lapsum ne despice; ille eum maximis rebus affecit, tribuens sancti Spiritus dona, ac noua salutis mysterium, &c. tu & illa potes, quibus anima beneficio afficitur. Hæc ei potissimū, qui abs te petit, antequàm petat sermone, commoda. sin hæc largiri nequis, at certè hæc minora præsta, pannum detritum porrige, vulnus alliga, de calamitate aliquid percunctare, ac patientia orationem habe, accede, nec morbum cōtrahes, hoc tibi & medici persuadent.* qui s. assidētes ęgris non tamē inficiūtur. Vides ex his quàm præclarum sit institutum Camilli, virtute præstantis, qui suos ad hoc genus officij administrādum adegit: *Nè accesseris tanquàm ad scelus, & piaculum; membrum tuū est, licet calamitosū.* grecè est μίασμα, quod nefas est attingere, vt impurū, & inquinatū.

Nihil tàm diuinum, quàm de alijs benemereri.

Quæ ratione cum paupere agendum, etiam si nō habeas quo succurras

16 Pergit item in misericordia ergà ægrotos maximè, & vlcerosos inopes: *Egenti paruum aliquid tribue; neque enim paruum est omnium egenti; imò ni ipsi quidem Deo, si das, quod potes: summi muneris loco, animi promptitudinem dona. si nihil habes, illacryma. Magnum pharmacum calamitoso est misereri ex animo.* Pulchrè dictum, neminem excipi à commiserando; nō habes opes quas tribuas, lacrymæ pro gemmis sint. Item commiseratio ipsa est inopi, & ægro pro pharmaco, quia leuatur eius angor animi cū solantem habet.

Pauperi præsentim vlceroso saltem cōpatiendum, & collacrymandum.

17 In eandem sententiam sic. Lex pręcipit: Si iumenta ipsa ceciderint, erige: *Quanta, quæso, his, qui eiusdem generis sūt, exigitur largitas?* præstereà, *etiam Sapientes præstabilius putant beneficium dare, quàm accipere*. Ethnicorum autē est pluris lucrum facere, quàm misericordiam: *Qui vitijs suis patronos excogitarunt, & Lucrio primas tribuerunt.* Acutè Ethnicos perstringit, qui, nè vitia sibi dedecori essent, ea transtulerunt ad Deos, ac singulis numina fecerunt. Lucrium præsidem lucro, Mercurium furto, &c.

Leuit.

Præstat beneficium dare, quàm accipere.

18 Auari obiectum dissoluit: *Sunt, qui eò audaciæ progrediuntur, vt dicāt: Cur ego Dei decretum rescindam, ac Deo benigniorē me præbeam? ægrotent, affligantur, in calamitate versentur, ità Deo visum est.* Vide auari vafritiam, vt vitium tegat. sed respondet, in hac vita incognitum nobis esse, cur alij vexentur, alij prosperentur, iuxtà illud Apostoli: *O profundum sapientiæ, & scientiæ Dei, &c.* Addit: *Etiamsi aliquando ob aliquam vtilitatem hoc contingat, vt vel per improborum calamitatem vitij cursus reprimatur, vel per bonorum felicitatem virtuti via muniatur. sed quia non semper, nec omninò, verùm hoc futuri temporis sit; rerum autem huius æui alta ratio est, tametsi omnia eò ferant; atque apud Deum æquabile quiddā habeat, quod nobis inæquabile videtur: sicut in terra tàm ea, quæ altè se efferunt, quàm quæ subsidūt, ex quibus pulchritudo mutua inter se habituaine conflatur.* Rectè ait, sicut æquè ad pulchritudinem Vniuersi pertinent colles, & valles nemerosæ, atq; amœnæ; ità quod alter sit in altiore gradu, alter in demissiore. Affert aliam similitudinem pulchrè ab arte statuaria, seù sculptoria. Nàm si quis imperitus eius artis in eorū officina videret rude marmor, vel lignū, putaret inutile, quod tamen vtilissimum fuisse constabit, cum viderit statuam indè perfectam: ità in Dei operibus, cum quo fine fiā', ignoremus, &c. *Opificis quoque materia, quæ prius inæquabilis, & incondita erat, valdè tamen artificiosa esset, si ad operis cuiusdam structuram accommodaretur; id, quod tùm demùm intelligimus, ac fatemur, cum operis elegantiam vndique perfectam, & absolutam intuemur. at nec ille artis inscius, vt nos sumus, nec res huius vitæ temerè gubernantur, quia earum rationes non habemus exploratas.* Vides vt hic Mundus officinæ sculptoriæ instar sit, multa

Inanis excusatio de non danda eleemosyna.

Cur Deus, alios prosperari, alios vexari permittat.

Deus quasi statuarius in Mundo

multa videntur nobis rudia, nescimus ad quem finem Deus vsurus sit; id patebit tandem, licet serò, in fine Mundi.

19 Eos arguit, qui cum vident quædam in Mundo, quæ videntur absurda, derogant prouidentiæ: *Nos ijs, qui vertigine ipsi laborant, non dissimiles sumus, qui omnia sursum deorsumq; verti putant, cum potiùs ipsi vertantur*. Acutè perstringit, quò refero illud Esaiæ: *Vbi sunt sapientes tui, &c.? Dominus miscuit in medio eius spiritū vertiginis, et errare fecerunt Aegyptum*. quod ad eos philosophos pertinet, qui negarunt Dei prouidentiam.

Dei prouidentiam negare est vertiginem pati.

Esa. 19

20 Varias affert ineptas sententias nonnullorum, prouidentiam denegantium: *Alij fatum, atque fortunam temerè confictа induxerunt; alij siderum principatum, ac dynastian quandam rationis expertem, atque indissolubilem contexentium, atque errantium quarundam stellarū congressus, recessus, & motum, qua Mundo dominentur. nec defuerunt, qui magnam quoque paupertatem prouidentiæ condemnarent, dùm ea quidem, quæ supra nos sunt, ab ipsa regi, & gubernari iudicant; etenim ad nos quoque, qui ea vel maximè indigemus, demittere grauati sunt; perinde ac vererentur, quasi benefactorem plurium non esse meliorem, aut Deum de pluribus benemerendo defatigari*. Vide quot hostes habuerit prouidentia opposuerunt ei durum fatum, cæcā fortunam, siderum, seù planetarum errores. Rectè item arguit eos, qui solùm circà supera Deum occupatū putabant, non circà humana: quasi verò beneficentiam extēdere ad omnia sit minoris laudis, aut Deus tantarum non sit virium, tantiq; consilij. vide Aristotelem, si is auctor est, in libello de Mundo hæc effutientem. Tùm sententiam affert: *Nos & Deum rerum omnium effectorem, et architectum credimus, & prouidentiam, quæ vniuersam hanc rerum machinam contineat, ac veluti vinculis adstringat, simul inducamus; quandoquidem quarum rerum conditor est, earum quoque gubernator sit necesse est; alioqui si Mundus casu feratur, primo quoque tempore velut nauis à venti turbine propter materiæ dissolutionem soluetur, ac distrahetur, atque ad veterem cōfusionem, & congeriem deducetur indigestam*. Pulchrè hunc Mundum naui comparat, quæ egeat gubernatore, vt tutò cursum teneat: Prouidentia igitur vigil clauum tenet. pro Cynosura est beneplacitum Dei. Deindè communem hāc prouidentiam ad hominum curam peculiaritèr refert: *Nostris præsertim rebus factorem præesse credimus, etiam si vita nostra per contraria gubernetur, ob id fortassè nobis ignota, vt quia eorum cognitionem omninò assequi non possumus, rationem omnia superātem admiremur*. Pulchra ratio, cur Deus permittat quædam fieri, quæ vidētur contraria prouidentiæ, vt cum iustus affligitur, &c. vt scilicet cū nos impares, & rudiores videamus, quàm vt eorum causam sciamus, arcanum Dei consilium tanquàm aliquid superiùs vereamur; vndè illud: *O altitudo, siuè profundum sapientiæ, & scientiæ Dei*: quod scilicet metiri nostro ingenio nequeamus.

Famam, & fortunam ponentes taxantur

Prouidētia etiam circà hæc inferiora se extendit

Mundus quasi nauis à Dei prouidētia gubernatur

Cur Deus permittat quę [illegible] quasi contra prouidentiam, vt iustum affligi, &c.

21 Redit ad beneficentiam ergà pauperes, ęgrotos maximè: *Cogitemus, nè fortè Iob quispiam inter ægrotātes lateat multò præstantior sanis, etiam si saniem radat*. idest, quis scit, an Deo carissimus sit, qui tibi tā abiectus videtur? Addo ego, quis scit, an ipse Christus sub illius habitu lateat, vt accidit Gregorio, & alijs. Tùm in pauperum honorem exponit locum illū psalmi: *Oculi eius in pauperem respiciunt; palpebræ eius interrogant filios hominum. Oculi, inquit, Dei in pauperes respiciunt, quod quidem palpebris melius est ac præstātius; palpebræ autem interrogant filios hominum*. Vide quantò amicius tractetur pauper à Deo: in hunc ipsos oculos figit, cæteros palpebris interrogat. græcè est ἐξετάζει. hoc est, excutit, explorat, scrutatur, ꝓpriè est interrogare cū examine, vt prætor rem quærit in iudicio; quasi pauperes aliquo modo subtrahantur examini, & huic ij subijciantur, qui non succurrerunt. certè in Euangelio de iudicio, mētio fit de examine potiùs eorum, qui pauperi non succurrerunt. & rectè palpebris, non oculis dicitur hoc examen fieri, quia non respicit Deus personam hominis, sed iustissimè iudicat, sicut Areopagitæ in caligine iudicabant, nec personam rei respiciebant.

In paupere Iob aliquis agnoscēdus

Deus blandiore oculo pauperem respicit.

Psalm. 10

22 Promptitudinem in benefaciendo suadet, iuxtà illud psalmi: *Tota die miseretur, & commodat. nè dixeris egeno: Redi crastina die, dabo tibi, nè quid inter propositum tuum, & beneficium intercedat. sola enim beneficentia moram nō admittit*. Pulchrè adnotat illud: *Tota die*.

Psalm. 36

Ex Oratione XVI.
Ad Ciues trepidos.

1 EXponit Hieremiæ locum: *Ventrem meum doleo*. Hoc nomine ait sæpè in scripturis animam intelligi, *vel quod abdita sit, & oculorum obtutum effugiat; vel quod sermonis alimenta capiat, & quasi deglutiat*. Acutè interpretatur. hinc igitur refero illud Cant. *Venter eius eburneus, distinctus sapphiris*; hoc est anima Christi candidissima, & præclarissimis donis, quasi gemmis ornata, quod aliquo mo-

Hier. 4.

Animæ alimentū sermo diuinus

modo, & ad cuiuslibet iusti animā pertinet.

Psalm. 30.

2 Interpretatur illud psalmi: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Columba pennas expetit, vel quod leuiores, ac perniciores sint; vel quod Spiritum adumbrent, cuius vnius auxilio pericula fugiamus, vt quam longissimè se à præsentibus malis remoueat. Vide, vt in periculis salutis vitandis, & celeritate opus sit, & gratia Spiritus sancti. quod ad eos præsertim pertinet, qui è sæculo ad religionem confugiunt, non sine sancti Spiritus instinctu.

Columbæ pennas sugerit psalmista optat quia leniores & perniciores.

Psalm. 30.

3 Transit ad illud psalmi: *Renuit consolari anima mea, &c. Quid negas solatij spem? hæc magnus Dauid, qui alioquin in tribulatione dilatatur. Dauid æstuat, quis saluus esse poterit? Audi eundem medicum, & melos etiā Spiritus per Spiritum in ipso habitantem, incantantem. non instructa aciæ opus est, non armis, non sagittarijs, auxiliares copias in te ipso habes. velle tantū opus est, in propinquo est consolatio: in ore, in corde tuo: Memor, inquit, fui Dei, & delectatus sum. Quid memoria paratius? ò facilem medicinam, ò celerem curandi rationē, ò beneficij magnitudinem: non solùm mœrorem sedat Dei recordatio, sed etiam delectationem parit.* Pulchrè & acutè. videbatur Dauid omnem spem, & solatiū abiecisse dicens: *Renuit consolari anima mea.* adeò ærumnis pressus, & obrutus erat; sed statim in mentem venit remedij, recordationis scilicet Dei, quod pharmaco illo, quod Homerus Nepenthes vocat, multò præstantius est: quia nō modò omnē abolet mœrorē, sed suauitatis plurimū affert.

Dei recordatio non solum salubris, sed iucunda est.

Esa.

4 Benignitatem Dei ergà peccatorē ostendit ex illis Prophetæ verbis: *Si conuersus ad Dominū ingemueris, saluus eris. & adhuc te loquente, dicet: ecce adsū. Nihil inter petitionem, & rei petitæ obtentionem intercedit, non aurum, non argentum, non eximiæ gemmæ, &c. quibus hominum mentes inflectūtur.* & gratis dat, & statim, nec petitionem absolui sinit. huc refero illud Esaiæ: *Sanitas in pennis eius.*

Celeritas Dei ad nostrā salutē.

Esa.

5 De instabilitate rerum humanarum sic eleganter: *Res humanæ velut quodam orbe voluuntur; ac Deus per contraria nos erudit. Mouetur, vt sic dicam, ac fluctuat vniuersitas rerum circa immobilem: haud quantum ad rationē, quæ inter omnia firma, & immobilis stat; sed quantum ad ea, quæ quotidie nobis eueniunt.* Præclarè versatilem hunc rerum orbem ostendit, & quasi fluctuum æstum, ac reciprocationē velut Euripi cuiusdam. omnia mutationibus sunt obnoxia, susq; deq; feruntur. prosperis succedunt aduersa, & contra; horum autem causam, cur à nobis Deus ignorari voluerit, sic acutè docet: *Est autem hoc Dei decretum, vt permulta in eius gubernatione nisi in obscuris ænigmatibus, ac spectris perspici nequeant: siuè hac ratione fastum nostrum, & arrogantiā coercere velit, vt intelligamus nihil nos esse, cū prima illa, & vera sapientia collatos, atque ità eum quæramus, vt promanantibus illinc radijs collustremur; siuè per harum rerum conuersionem, & inconstantiam ad ea, quæ stabilia sunt, & æterna reuocare nos velit.* Vtraque ratio præclara; ac vide, vt Deus omnia, etiam quæ præpostera nobis imperitis videntur, ad nostram vtilitatem dirigat. Et nota. dùm deprimit, attollit; mentem humiliat, & subleuat; in obscuro causas ponit, vt ad eū recurramus. Rursus eādem instabilitatem rerum sic egregiè describit: *Omnia in orbem feruntur, atque in diuersum migrant, sibique aduersantur: vt ventis tutius, ac literis in aqua scriptis fides haberi posse videatur, quàm bonum felicitati.* Præclarè dictū, quod ijs maximè conuenit, qui celebrari volūt nomen suum titulis, & inscriptionibus; at .n. in colūnis inscripsisti marmoreis; falleris, nàm instabilius, quàm in aquis.

Instabilitas rerum humanarum sub stabili Dei decreto.

Cur Deus quarundam rerum causas nobis ignotas esse velit.

6 De afflictionis bono sic: *Aegra anima Deo propinqua est, ac penuria ipsa efficit, vt ad Deum nos conferamus.* Vides afflictionis bonum: cum à te longè Deum abesse putas, propè habes, vt tres illi pueri in igne.

Afflictio ad Deum nos impellit.

7 Est hoc præclarum de subiectione, & obedientia, vt Deo primùm subditi simus, tum Prælatis; neque eorum benignitate abutētes, eam in acerbitatem vertamus: *Graue, ac periculosum est ignoscendi assiduitate clemētiam exhaurire; nè si acerbi fuerimus, à nobis expetantur pœnæ, vt qui ventis inuectis, tranquillitatem sustulerimus, & luci caliginem induxerimus, mellique absynthium admiscuerimus.* Vide quid sit malis moribus irritare Prælatū, vt se ad seueritatem accingat pœnæ; mari tranquillitatem, Cœlo serenitatem auferre: in virtute quippè omnia pacata, mitia sunt; & gubernatio ipsa quietem habet, & suauitatem quandā. Inobediens aūt facit, vt melli absynthiū admisceatur.

Inobedientia absynthio comparata & caligini.

8 Ecclesiasticum regimen temporali præfert. Sic enim Præfectum alloquitur: *Imperium nos quoque gerimus; addo etiam præstantius, & perfectius; nisi verò æquum est spiritum carni cedere, & cœlestia terrenis.* Præclara vox, & Episcopo digna; ac nè acerba videatur Præfecto, subiungit: *Non dubito, quin hanc dicendi libertatem in optimam partem sis accepturus, vtpotè mei gregis ouis sacra, magnaque; pastoris columna.* pulchrè dictum. Vide, vt cum laude demulceat, quasi magistratus Episcopo pro columna esse debeat, sustentans potiùs eius auctoritatem vbi oportet, quàm labefactans; & pietatem ostendere,

Regimen Ecclesiasticū in Episcopo nobilius, quā sæculare in magistratu.

vt

vt ouis sacra ergà suum Pastorem.

Prælatus potestate abuti non debet ad seuerius imperium

9 Præfectum monet officij: *Cum Christo imperium geris. cum Christo munus hoc administras; ab illo gladium accepisti, non tàm vt eo vtaris, quàm vt mineris, ac terreas. quarè tibi videndum est, vt illud tanquàm donarium quoddam purum, & integrum ei, qui dedit, serues*. Egregiè dictum, vt munus, quod Magistratus, & Princeps habet vnà cum Christo exercere se putet, qui iustus, sed mitis est. rex apum aculeũ habet, sed non vtitur. potestas, & ius pro gladio sit, sed ad continendum magis, quàm ad puniendum; sitq; Deo sacratus, vt tantùm pro eius gloria adhibeatur; vt gladius ille Dauid templo dicatus, nec nisi in necessitate districtus, quod græca vox ostendit ἀνάθημα. Pertinet nihilominus hoc monitum ad Superiores religiosorum. Addit de mansuetudine: *Imago Dei es, veram imaginem quoquè Dei regis. flectat te naturæ cognatio*. Prælatus imago Dei est, quia vt ille præest huic vniuersitati; ità hic suis subditis; sed horum quisquè etiam in hoc imago Dei est; nàm cum dixisset Deus: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: subiungit vniuersè. *Vt præsit, &c.*

Præsens vita ludus est puerilis.

10 Alterius vitæ recordationem insinuat: *Ad aliam vitam migrandum postquã in hoc vita, vel stadio, vel præsignatione, vel adumbratione puerorum more lusimus*. in græco pro præsignatione est προχαράγματι. quasi hæc vita præludium, ac primum delineamentum sit, præformatio alterius, imago futuri, nàm προχαράττω est prima lineamenta ducere, primam sculpturam facere ante polituram. Vide igitur quid in hac vita agendum sit; instituẽda est iuxtà formam futuræ, idest cœlestis. Pro adumbratione autẽ est σκιάσμα, idest adumbratio, siuè vt quædã inchoatio picturæ, siuè vt vmbra corporis index est. Itàque hic quasi pictores quandam pulchram imaginẽ cœlestis vitę adũbramus, vel eã quasi vmbra referimus. Nihil enim hìc propriè solidæ perfectionis est; quin etiam rudes quasi pueri lusitamus in virtute; ac Dominus Apostolos ipsos pueros appellare solitus, hac de causa, vt quidam interpretantur. Est igitur pręsens vita delineamentum, stadium, præludium, & vmbra futuræ.

Præsens vita adũbratio, & delineatio sit futuræ.

Per beneficentiã quasi dij euadimus.

11 Hortatur ad beneficentiam: *Nihil tàm diuinum homo habet, quàm beneficentiam. licet tibi nullo labore Deum fieri. noli diuinitatis consequendæ occasionem abycere*. Rectè, nàm Dei proprium est dona largiri. Idem sic amplificat: *Alÿ propter Christum emoriuntur. Abraham filiũ vnigenitum Deo libentius obtulit, quàm acceperat: tu tantùm offer benignitatem, qua Deus magis, quàm cunctis rebus in vnum collectis delectatur.* hoc est Martyres vitã, & sanguinem offerunt, tu parum pecuniæ denegas? Et nota, Deum magis hoc tuo paruo munere delectari, quàm tota vniuersitate, quã condidit. illud. n. egit nutu, hoc à te instantèr exposcit. maius reputat, quod tu reficias paruum Mundum, hoc est hominem, quàm quod ipse fecerit magnum. Concludit hoc de beneficentia sic: *Adhuc paululùm & Mundus transibit, scæna dissoluetur. Temporis commoditate ad quæstum vtamur, caducis æterna comamus*. Vides, te donando pecuniam non deperdere, sed quæstum facere. Pulchrè autem hanc quasi fabulam vitæ ostendit, vbi tanquàm in scæna histrionicam agimus mox terminandam; hanc, quam geris personam diuitis, Principis, &c. mox depones. Subiungit. *Vnusquisque nostrùm in lutea hac massa plurimum æris alieni secum circumfert: veniam ergò alienis peccatis demus, vt eam impetremus nostris*. hoc nempè per beneficentiam fit.

Deus maius putat refici paruũ Mũdũ per nostrã beneficentiã, quã se hũc magnũ fecisse.

Præsens vita fabula, est, & scæna histrionica.

12 Elegantèr admodum, ac piè Præfectum, vt beneficum se prębeat, obtestatur: *Supplicis libelli loco sit labis expers hoc Sacerdotium, quod ipsi quoque Angeli puri cultores purissimi Dei, tanquàm ipsorum cultui fortasse minimè impar venerantur. an maius aliquid audiendum est? Christum tibi offero, crucem, & clauos, & sanguinem, atque adeò mensam hanc, ad quam communitèr accedimus; salutis typos, quos eodem ore perago, quo hanc ad te deprecationem obeo. hoc, inquam, sacrosanctum mysterium, atque in Cœlum nos extollens*. Præclara obtestatio; ac vide, quomodò à Magistratibus, & Principibus petendum sit, non adulando, non politicè agẽdo, vt plerũque fit; sed proponendo diuina, atq; cœlestia: fauores, eloquẽtiæ, & libelli supplices præ his parum agũt. Offert igitur primò Sacerdotium suum, quod Angelis ipsis verendum dicit. vt pro huius muneris sanctitate, ac dignitate potiùs, quàm pro ratione aliqua politica moueatur Præfectus ad concedẽdum. tùm efficacius proponit passionem Christi, & præstantissimum beneficium Eucharistiæ: *Christum tibi offero, crucem, & clauos, & sanguinem, atq; adeò mensam hanc, &c.* nihil his efficacius ad impetrandum. Sed addit item pulchrè, & piè: *Da certè hanc gratiam Ecclesiæ, atq; huic pulchro Christi cœtui, en tibi coram Deo, & Angelis, & regno cœlorum, illiusq; vitæ præmÿs supplices meos offero*. Vide sollicitudinem Episcopi ergà suum gregem. Vide quàm sanctè pro subditis apud magistratũ agat. cui demũ sic benè precatur: *Habes & ipse in Cœlo Dominum; hunc tibi talem ergà te iudicem experiri contingat, qualem te his, qui Imperio tuo subsunt, præstiteris*. Habet hoc

Sacerdotiũ ipsis Angelis venerandum.

Christi sãguis, & passio efficax in impetrãdo apud Principes.

Cum Principibus nõ politice, sed spiritualiter agẽdũ.

ma-

magnam vim, vt Iudex cum alios iudicat, proponat sibi ante oculos suos & iudicem suum Deum.

Ex Oratione XVII. De S. Cypriano Martyre.

Nihil ad amorem, super sanctitate.

1 OStendit suum pietatis affectum ergà hunc Martyrem: *Cyprianum, etiam si in alijs obliuiosi essemus, meminisse necesse est, magnus memoriæ fomes est, vel breuis familiaritas, & consuetudo*. græcè est pro fomite ὑπέκκαυμα, quod propriè significat prunas cinere obrutas ad seruandum ignem, vt iterùm excitetur. Vide ergò quid sit versari cum Sanctis, accendi pietate; nihil tàm valet ad conciliandum amorem, quàm sanctitas. Hinc Paulus de suis alumnis dicebat: *Si fieri potest, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi*. Addit: *Conuenimus, vt quemadmodum pictores tabulas explorare possimus*. nempè virtutes, colores sunt; & vita Sanctorum tanquam pulchra imago ad imitandum proposita.

Cõuersatio cum viris sanctis fomes est pietatis.

Gal. 4.

2 Eundem ergà Martyres affectum sic declarat: *Ex omnibus rebus, quæ alijs iucundæ, & expectandæ sunt, minimè teneor, non opibus, non splendore gemmarum, non auditu præstigias effundente, non aspectu, &c. huius verò rei inexplebili quadam auiditate teneor: Martyrum honoribus oblector, pugilum cruoribus exulto: atq; aliorum quidem certamina, & victoria sunt, coronæ autem meæ*. Rectè postponit omnes mundanas opes, & omnem corporis voluptatem memoriæ Martyrum, quos ità diligit, vt ipsorũ coronas putet suas, licet ipsi pugnarint. quod autem ait: *Pugilum cruoribus exulto*. quid si hic Neapoli fortissimi illius pugilis Ianuarij vidisset cruorem in ampulla vitrea liquẽtem, imò ebullientem, & quasi exultantẽ? quãta ipse lætitia exultasset? pulchrè autem vocat *præstigias auditus*, dũ curiosa percipit, & quæ alitèr sunt, vnde decipitur.

Gregorij mirus affectus ergà Martyres.

3 Non modò iucunditatem, sed vtilitatem ostendit ex memoria Martyrum: *Cum multa nos ad virtutem ducant: ratio, lex, prophetæ, Apostoli, Christi ipsius primi Martyris cruciatus, qui crucem conscendit, meq; simul secum duxit, vt peccatum meum affigeret, ac de serpente triumpharet; non minus tamen vtilitatis afferunt Martyres, victimæ perfecta, veritatis præcones, peccati extinctores, Mundi lustratio*. Prçclarum elogium, quo maximè ostenditur, Martyrum cruore quasi Noetico illo diluuio Mundum purgatum. Pro lustratione grçcè est καθάρσιον. Nota etiã, quod ait, Christum ad Caluarium euntem *duxisse nos secum, vt peccatum cruci affigeret, ac de serpente triumpharet*. Crux igitur non in opprobrium, sed in triumphum cessit. Frustrà hic serpens, siue draco in Apocalypsi sibi septem capitibus septem diademata imposuerat: tãtò scilicet pretiosiorẽ fecit Christi triũphũ, qui eius superba colla vel domuit, vel potiùs confregit.

Martyrij elogium.

Christi crucifixio triumphalis.

4 Pergit ostendere affectum suum peculiaritèr in Cyprianũ: *Tu mihi, Cypriane, & re, & nomine charissimè, maximè occurris. Tui memoria recreor, & præ gaudio quasi lymphatus feror, & quodammodò tecum in eodem martyrio versor, dimicationisq; socius, & particeps sum*. Vide fructũ ex contemplatione Martyrum, vt quasi socius eorum fias, offeras te gladio, &c. pro, lymphato, græcè est ἔνθεος; hoc est numinis impetu concitatus, atquè afflatus reddor, & tecum commori cupiens feror in necem. Addit inter cæteras affectus causas: *Siuè me tibi doctrina, & eloquentia conciliet, qua tu tãtò reliquos mortales antecellebas, quantò nos brutis animantibus præstamus*. Nota quàm præclarè de Cypriano sẽtiret, & quã humilitèr ipse de se.

Fructus ex Martyrum consideratione.

Cypriani insignis eloquentia

5 Præclarum est hoc elogium: *Cyprianus magnum quondam Carthaginensium, nunc autem totius Orbis nomen, genere clarus: siquidem maximum nobilitatis argumentum est, Senatorem esse, primariamque in eo ordine sedem obtinere; flos iuuentutis, elaboratum naturæ opus, doctrinæ principatus, tàm philosophiæ, quàm cuiusuis alius disciplinæ, &c*. Pro elaborato naturæ opere græcè est ἄγαλμα, hoc est statua effabrè facta, & pulchrè efformata. quod in Senatu primas tenuisse dicit, dibapham ostendit fecisse purpuram, non modò ex muricis cruore, sed suo per martyrium. Porrò hoc elogium si doctrinam spectes cum nobilitate coniunctam optimè quadrat Thomæ Aquinati Doctori adhuc iuueni: *Flos iuuentutis, elaboratum naturæ opus, siuè statua effabrè facta, &c*.

Doctrina in nobili viro magis conspicua

6 De Cypriani conuersione sic pulchrè: *Et Sol post nubem, qua priùs obducitur, iucundior elucescit; & ver post hyemis tristitiã dulcius; & ridens tranquillitas, atque in modum stagni fusum æquor, littoribusq; alludens post ventorum tumescentes fluctus lætior, & suauior*. Hoc idem pertinet ad resipiscentiã S. Augustini ex Manichæo, & S. Ignatij nostri ex milite liberioreritè Camilli Cruciferorum auctoris ex vitę licentia. nota similitudines singulas, Solis ex nube, veris ex hyeme, tranquillitatis ex tempestate. Addit, non esse probrum narrare contrarium vitæ genus ante conuersionem. & sic monet: *Nec verò quisquam primas vitæ partes eius voluptati se dedat, sed vltimis instigetur, atque ad pudicitiam reuocetur*.

Conuersio Cypriani tanquã Solis ex nube, &c.

7 Iustinam, quam anteà Cyprianus deperibat, à pudore commendat: *Virgo hæc forma erat perquam liberali, & egregia, sincera Christi sponsa, pulchritudo recondita, viua statua, donarium sacrilegas manus non metuens; fanum inaccessum, hortus clausus*. Elegās elogium. Pro viua statua grecè est ἄγαλμα ἔμψυχον, statua pulchrè, artificioseque formata, & benè animata. Pro donario, ἀνάθημα, res Deo cōsecrata in templo. Pro fano inaccesso, ἄσυλον asylum, locus tutus. Vide qualis debeat esse virgo: ac multò magis hæc Deiparæ congruūt. refer etiam ad Teresiam, &c. Tum addit: *Nescio quomodo amore captus virginis omni ex parte tutæ; sed procaces oculi etiam quæ nefas est attingere, attingunt; organum omnium promptissimum, & auidissimum*. Notabile dictum de oculis. Erat Iustina quasi fanū inaccessum, quasi donarium de templi tholo suspensum, hortus clausus. quid tutius? tamen oculos procorum effugere nō potuit. græcè pro auidissimo, est λίχνον. hoc est oculi helluones, voraces. propriè est liguritor, qui cupedijs ità inhiat, vt lingat ēt digitos, vel catinū. nihil igitur sāctius ieiunio oculorū.

Iustinæ virginis elegās elogium.

Oculi organū prōptissimum, & auidissimum ad malum.

8 Diabolum exagitat, Cypriano tentamenta ingerentem: *O impudentiam eius, qui ad ista vrgebat. Ille in paradisum ab initio obrepsit; & medius inter Angelos stat Iob ad cruciatum deposcens; ac postremò Dominum ipsum, qui eum oppressurus erat, adoriri nō dubitauit*. Vide audaciam, vt propterea nemo ab eo se tutum putet. Indicare videtur serpentem extrà paradisum in sepi certè latuisse, ac diabolum indè irrepsisse intrò ad tentandum.

Diaboli audacia in tentando.

9 De magica arte adhibita ad Iustinam capiendam sic: *Pro lenone non muliercula, sed dæmonum quorundam, corporum, ac voluptatum amantium ope vtitur*. græcè est φιλοσωμάτων καὶ φιληδόνων: quo ostēdit esse quoddam dæmoniorum genus, quod lenonum vices obeat ad libidinē, & corporis voluptates incitans. Et quia lenonibus merces datur, vt ad hoc inducant, subiungit: *Huius porrò lenocinij merces, victimæ, & affinitas ea, quæ per sanguinem cum eo contrahitur; talē enim ijs mercedem pendi oportebat, qui talia beneficia contulissent*. Acutè notat, dæmones pro lenonis munere obito repetere in magia, præsertim sanguinem victimarū, & quandoquè proprium eius, qui rem exposcit, quo etiam coniunctionem amicitiæ contrahit, vt fieri solebat in fœderibus. digna, inquit, merces datur, sanguis, nempè ei, qui nostrā facit cædem, & interitū.

Dæmones quidam lenonis officio funguntur.

Diabolus pro mercede magiæ sanguinem exposcit.

10 Narrat, quomodo Iustina virgo & magicas artes eluserit, & se libidinis periculo subtraxerit: *Puella desperatis omnibus, ad Deum confugit, & aduersus detestabilem amorem, sponsum suum, patronū, ac defensorem: qui & Susannam liberat, & Theclam; qui spirituum legionem in profundum mittit; qui sublatum leonibus obiectū eripit è lacu per manuum extensionem desertis victorem; qui pueros inter flammas incolumes seruat*. Nota; comparat periculū libidinis cum legione dæmonum in obsesso, quæ se in porcos misit. magna vel nominis affinitas inter porcos, & procos; sed vnus procus pro duobus millibus porcorum est. vide quàm horrendum, ac fœdū malū. Item nota idē periculum inter lenones esse, ac inter leones, inter Cupidinis faces, & Chaldæorum flammas. Vide etiam quò recurrendum sit in hac maximè tentatione, ad preces nimirùm, agnoscendo Deum liberatorem. Addit præclarè: *Hæc ille, & plura commemorans, Virginem quoq; Mariam supplex obsecrat, vt periclitāti Virgini suppetias ferret. ieiunij, & chamæuniæ pharmaco sese communit, tum vt formæ venustatem tanquàm insidiosam inobscuraret, ac materiam flammæ subtraheret, tùm vt per sui afflictionem sibi Deum exorabilem redderet. Neq; enim vlla re magis Deus, quàm malorum tolerantia conciliatur, lacrymisque misericordia rependitur*. Habes libidinis tria remedia, quæ sunt: recurre ad Deum, vt gratia sua te muniat: recurre ad Virginum matrem, vt id impetret, & præsto sit. recurre ad mortificationem corporis per ieiunium, & alias afflictiones, & quasi adustiones. & per lacrymas. Vide autē quid sit forma muliebris: insidiatrix, inquit, quædam est animæ; Quod autem ait, per hanc macie inobscurasse formam. græcè est μαραίνειν marcidam reddere, corrumpere, tabefacere. Pulchrè item afflictionem corporis vocat pharmacum aduersus libidinis morbum.

Marc. 5.

In periculis libidinis quo recurrendum.

11 Cypriani conuersionem elegantèr aggreditur: *Dùm procus virginis nuptias ambit, ipse à Christo desponditur. Hic iam in iucundissima narratione versor: Virgo superat, dæmon superatur*. Dæmon videlicet fatetur se cessisse victum; contemnitur igitur à Cypriano, ac relicta Iustina virgine, aduersus dæmonem ipsum armatur: *Vt malum malo mederetur, ac furori remedium furor afferret*. Addit. Dæmon precibus fugatus, *cum eo a quo missus fuerat, colluctatur. ò rem miram, ad eum, à quo teli cuiusdam instar tactus fuerat, redit. hic ipsum, velut alterum Saulem præfocat; tùm ad Virginis Deum, quemadmodum Saul ad Dauidis citharam confugit*. Elegāter explicat rerum mutationem; & nota dæmonem in magia, quasi sagittam acutissimam adhiberi ad sauciandum animū eius, quæ libidinosè appetitur. quid horribilius diabolo in iaculum verso? nota etiam

Diabolus ... de ... quasi ... veterius.

Libidinosus et dæmoniaco collatus.

etiam libidine actum quasi dęmoniacum esse, & aliorum oratione quasi citharæ sono indigere, vt cum Saule à Dauid est factum. Tùm de Iustina sic: *A Virgine nō secus, ac bellica quadam machina à firmo, & valido muro repellitur.* non solum in iaculum diabolus se vertit, sed in bellicā machinam, in balistam, arietem, &c. sed cùm sagitta, tùm machina resilit è solido muro lapideo: tàm firma sic oportet virgo, & stabilis in proposito. hinc, cum de sponsa, quasi paruula cęteræ adolescētulæ anxiæ essent, ac dubitarent: *Soror nostra paruula est, & vbera nō habet, quid faciemus sorori nostræ, &c.?* Illa generosè respondit: *Ego murus, & vbera mea sicut turris.* Mira fuit in hoc genere animositas Thomæ Aquinatis adhuc adolescētis, omnes Diaboli machinas superando, occurrendo etiam cum ignito torre in procacem mulierculam.

Tentatio carnis quasi bellica machina diaboli muro opugnatur animæ.

12 Cum Cyprianus resipiscens adijsset Episcopum, & ille non crederet: *Magicos libros publicè proponit, deq; prauis thesauris impotentis triumphum agit: ingentem ex illis flammam excitat, quæ nē vni quidem carnis flammæ opē ferre potuerat.* Acutè norat, magicos libros, quia ad vnicam flammam excitandam in virgine impotentes fuerāt, pluribus flammis addictos à Cypriano fuisse. quamquam & Numæ magicos libros repertos Senatus iussu combustos legimus. pulchrè triumphum appellat victoriam de libidine.

Libri de magia flammis addicti.

Libidinem superare magnum est.

13 Dei consilia admiratur in conuersione peccatoris: *O mirificam gratiæ vim, per improbum amorem, ac spiritum, Deum inuenit, sacra gregis ouis effecta, ac etiam æditus, pastor deindè, ac pastorum optimus, & probatissimus, toto Oriente & Occidente clarissimus, ad Austrum quoque, & Septentriones.* Meritò gratiæ vim exaggerat, & dexteritatem eius miram, & stratagemmata; quippè cum Cyprianus magiam exerceret, & impudico amori seruiret, hanc occasionem sumpsit Gratia, vt præclarissimum, & sanctissimum virum efficeret, qui etiam alijs præesset. Quamobrem elegantèr, ac pulchrè sic concludit. Hæc nimirùm ille effecit Deus prodigiorum, atq; signorum qui Iosephum seruauit ob gentem hebræam, pro qua deindè tot mira operatus est: *Diuina enim sapientia magnarum rerum fundamenta multò ante iacere, ac contraria per contraria procurare nouit, vt maiorem sui admirationem in mortalibus excitet.* Ad hanc Dei sapientiam, & industriam, & stratagēmata in saluādo refero illud psalmi: *Notas facit in populis adinuentiones eius.*

Mira vis gratiæ in conuersione peccatorū

Dei industria in saluando.

Psalm. 30.

14 Cypriani post conuersionem virtutum magnitudinem commendat: *Vt omittā corporis stratationem, & puritatē, exhaumenias, & vigilias, quibus homo aliequi huiusmodi rerum studium serò ingressus, priores longè superaret.* Hæc & alia in Ignatio nostro, mortificationi maximè dedito, certè admiranda fuerunt; cum in militia circà studia longè diuersa antea versatus esset.

Conuersio in alium repente transiens.

15 Persequutionem Decij contra Cyprianum maximè initam narrat. *Incumbebat Decius, vt priores omnes persequutores crudelitate superaret; & vt vel Christianos omnes, vel vnum Cyprianum vinceret: nam quantò illum pietate, & gloria vbiq; præstare videbat, tantò quoq; clariorem, & illustriorem sibi victoriam fore intelligebat, si vicisset: ità enim & Christianos cæteros vincere, & doctrinam extinguere.* Præclara omnino laus tāti faciebat Decius necem vnius Cypriani, quanti innumerabilium Christianorum, æquè in lance vtraq; ponens. tanquàm enim fortissimum Ducem, & Imperatorē exercitus existimabat; quo cadente, dissiparetur totus exercitus Christi. Addit; astutiæ esse censebat Decius, eos elingues facere, qui cæteros erudiebant.

Vnus Cyprianus pro toto populo Christiano erat.

16 Cypriani cōstantiam in persequutione ostendit: *Vt scopulus quidam incursantes fluctus; sic ille impetus omnes magno animo propulsabat.* quin etiam Christianos exules, & martyrio proximos literis solabatur, ac roborabat; quod studium sic commendat: *Admonet hanc negotiationem esse omnium præstantissimam, quæ exigui sanguinis pretio cœleste regnum emitur. Vnam excelsis, ac magnis viris patriam esse, nempè Hierusalem illam, quæ mente percipitur, non eam, quæ his angustis finibus circumscribitur. vnum item generis splendorem in eo consistere, vt diuinam imaginem conseruemus. vnum principatum in hoc positum, vt aduersus improbum hostem palmam obtineamus. ob eam causam & gladios contemnere, & frigidum ignem, & feras mites existimare; & pro delicijs famem, & propinquorum lacrymas, vt diaboli illecebram despicere suadebat.* Pulchra parænesis disponens ad martyrium: Cœlū enim paruo venale sāguine; nobilitatē facere præmiū victoriæ. Et nota, diabolum propinquorum lacrymis vsum contra Martyres, nè funderent sanguinem: appellat eas, *illecebras diaboli*: quod referre potes etiam ad Thomæ Aquinatis impugnationem per maternas lacrymas, sed frustrà fusas, vt reuocaret eū à religionis ingressu, quæ est etiam species quodammodò martyrij.

Martyrum negotiatio præstantissima.

Incitamēta ad martyrium quę sint.

Lacrymæ cognatorū ad martyres retrahēdos illecebræ diaboli

17 Ostendit, in Cypriano magis admirandas fuisse virtutes: *Non enim tàm præclarum, & amplum est boni formam, & simulacrum tueri, quàm mutata vitæ ratione, ad pietatis studium conuerti: illud*

In cōuersis pietas magis admirationi est.

enim consuetudinis est, hoc prudentis, probique consilij; illud frequens, hoc rarum. Refer hoc ad eos, de quibus suprà diximus, & alios qui ex longè diuersa viuendi ratione, hoc est liberiore huius sæculi, plurimum in virtute profecerunt.

18 De Cypriani post mortem corpore reperto sic: *Cum esset Cypriani nomen clarissimum, corpus tamen obscurum, atque hic thesaurus apud mulierem quandam pietate feruidam seruaretur, &c.* Vide studiũ, & pium affectum in Martyres; ac rectè thesaurum vocat. reuelatum fuisse dicit id etiam alteri mulieri: *Vt quemadmodum Christi resurrectionis nuncium mulieres discipulis attulerunt; ita et nunc Cyprianũ, hoc est publicum Orbis bonum indicarunt.* Innuit hoc pietatẽ fœminei sexus, & Cypriani decus eximium. Vide autem quãtæ curæ Deo sint etiam mortua corpora Sanctorũ. vide insuper quid sint viri sancti: *Publicum Orbis terræ bonum.*

Reliquiæ Sanctorum pro thesauris æstimandæ.

Sancti publicum Orbis terræ bonum.

19 Concludit artificiosè panegyricũ. His à me dictis, *quæ restant à vobis adiungite: Dæmonum oppressionem ablatã, morborum depulsionem, quæ vel cineres ipsi Cypriani, modò fides adsit, efficiunt; imò verò his maiora efferte, qualia offerre par est, qui eum verè colunt, vitij fugam, corporis macerationem, animæ ascensum.* Notabile est hoc, dæmones, qui Cyprianum accendere conati erant flamma libidinis, posteà eius cineres metuisse. Tùm vide quibus honorẽtur Martyres, & quæ illis grata offerẽda sint in eorum celebritate: detestatio videlicet vitij, mortificatio passionum, corporis afflictatio, contemplatio cœlestiũ; in his .n. maximè ipsi excelluerunt. sensus inprimis coercendos dicit: *Graue, ac periculosum est per oculos capi, per linguam sauciari, per aures decipi, per gustum deijci, per tactum emolliri, atq; arma salutis in mortis arma conuertere.* Hoc nimirum est illud Pauli: *Sicut exhibuistis membra vestra arma iniquitatis, &c.*

Miracula apud sepulchra Martyrum.

Quæ oblatio sit grata Martyribus.

Sensus nõ custodire periculosum est.

20 Extremo loco Cyprianum sic piè, ac pulchrè compellat: *Habes, vir diuine, ac sacrosancte, tùm doctrinæ præmium, tùm certaminis; non oliuam Olympicam, Delphicas nugas, aut Isthmicam pinum, aut marcescens apium, sed orationem; quæ si tuum meritum est assequuta, Verbo id acceptum refero. Tu è Cœlo nobis Trinitatis, cui nunc adsistis pleniorem, clarioremque splendorem concilia, cui posteà & nos adsistemus.* Iurè Martyres multò digniores facit, quã in Olympicis certaminibus strenuos athletas, atque victores. nàm præter illam immarcescibilem in Cœlis, hic pro coronis, & palmis esse ait eorum gloriã, prædicationem, ac laudationem. Et vide quid ab ipsis maximè petenda dicat: Trinitatis clariorem cognitionem, diuinas illustrationes, & post hãc vitam eiusdem beatitudinis societatem.

Martyres Olympicis athletis nobiliores.

A Martyribus quid petendum.

Ex Oratione XVIII. De obitu patris, & laude matris.

1 Coram Basilio hæc habetur oratio, quem præclaro elogio sic honorificè compellat: *Te, ò mysteriorum Dei dispẽsator, & vir desideriorum spiritus. Te Pharaonis, hoc est aduersariæ potestatis Deum appello, & Ecclesiæ columnã, ac firmamentum, & Domini voluntatem, & luminare in Mundo, verbum Dei sustinens, & fidei adminiculum, & spiritus habitaculum.* Quòd Pharaonis Deum appellat, videtur cum Mose comparare. quòd luminare in Mundo, cum Simone illo Pontifice, de quo in Ecclesiast. *Sicut Sol refulsit ille in templo Dei.* idem Ecclesiæ columna, in qua cœlata, & inscripta egregia ipsius facta; quã columnam Arianus Imperator Valens concutere non valuit, nedùm euertere. Addit: *Dic, vndè ades? quãdoquidem omnibus in rebus te cum Deo, & à Deo ad aliorum vtilitatem moueri scio.* Vide quem scopum omnis actio habere debeat: habes perfectam Episcopi formã.

De Basilio elegans elogium.

Intentio Episcopi recta quò spectare debeat.

2 Tum de patris morte, qui Ecclesiam rexerat, sic pulchrè ad eundem Basilium: *Venis ne, vt nos inuisas, non iam superstites, sed maxima ex parte vita cum eo functos? amisimus scitum gubernatorem, ac vitæ nostræ facem, in quam salutis lumen nobis è sublimi ostentantem, dirigebamus; illi prudentia plenum, & gloriæ senectute coronatum.* Vide qualis debeat esse Præsul, tanquã fax scilicèt è sublimi turri, vel quasi Cynosura de Cœlo, ad cuius lumẽ cursus vitæ dirigatur. pulchrè item senectam, qua nihil æstimatur abiectius, gloriæ coronam appellat in iusto. certè Dauid ait: *Senectus mea in misericordia vberi.*

Episcopi boni mors quàm deflenda.

Psal. 90.

3 Artificiosè consolatoriam orationẽ tanquàm Basilij ore depromit, vt ei modestè, ac pudentèr deferre videatur. Tu, inquit, medere, ac sermonem iudicio tuo dispone: certè *illius vitæ rationem tanquam pietatis formam propones; deindè de duobus Mundis cum disserueris, alterius inconstantiam, alterius firmitatem, non mœrore nos, sed potiùs lætitia afficies; hinc abductos sursum collocans.* Nota quo artificio vtendum sit in funebri oratione iusti. primò eius vitæ ratio sanctè, ac præclarè gesta narratur, quæ narratio exhilerat animos audientium. deindè proponitur huius vitæ instabilitas, ac miseriæ, quas reliquerit, & alterius felicitas, quam sit adeptus: *Cum ad alteram vitam migratio ijs, qui huius vitæ procellis*

Consolatio de Episcopi morte quomodo instituenda sit.

Artificium funebris orationis quale sit.

agi-

agitantur, tranquillus portus sit. Deinùm non defuturos dicemus, qui eam iacturam hæreditaria virtute resarciant, vt mox subiungit.

Episcopus ... suos pullos fouet.

4 Pergit in ore Basilij ponere, quæ in huiusmodi oratione funebri dici debeãt. Gregem, inquit, itá solaberis: *Si curam tuam, & ductum tuum promittas, eius scilicet, sub cuius pennis requiescere pulchrum, & præclarum est; & cuius vocẽ magis sitimus, quã purissimos fontes quis sitit*; pulchrè dictũ Vide quid sit Prælatus, instar generosæ videlicèt aquilæ fouẽtis suos pullos; instar limpidissimi fõtis sedãtis sitim.

Sancti post mortẽ plus nobis prosunt.

5 Ad intercessionem Sanctorum hoc spectat: *Non dubito quin nunc magis deprecetur, quàm anteà cum in terris esset, vt qui abiecto limo mundus cum mundo Principe illo, ac purissima mente versetur; Angelici ordinis dignitatem, nisi hoc dicta audax est, consecutus.* Vide quàm cautè loquatur; cauenda est enim omnis nimia amplificatio, præsertim in comparatione.

Basilium laudatorẽ peritissimo pictori se rudiorẽ assimilat.

6 Proponit dicenda: *Quasdam ego encomij partes delineabo, atque adumbrabo; sed tibi pulchro huiusmodi rerum pictori virtutis illius pulchritudinem accuratius expoliendam dabo.* Vide quãtum deferat Basilio præsenti. orationem encomiasticam quasi picturam dicit; sibi vt imperitiori tantùm adumbrationem, ac prima lineamenta deposcit, perficiendam dat Basilio tanquàm Apelli cuidam peritissimo.

Quidã gẽtiles in moralibus meliores quibusdam Christianis.

7 Aggreditur laudationẽ patris. Antequàm, inquit, Christianus esset, noster erat; & sicut sunt aliqui Christiani nomine tantùm, non re, itá ipse paganus. Inprimis commendat in gerẽdo magistratu abstinentiam à pecunia: *In magnis Reipublicæ muneribus versatus, nè teruncio quidem facultates suas auxit, cum alios cerneret publicis bonis Briarei manus, vt dici solet, inycientes* pulchrè dictum. Centimanus dictus est gigas Briareus; tales plerumque magistratus sunt, inexplebiliter vndiq; opes congerentes, & per vim rapientes; sed quod valdè mirum est, hic nullum prorsus incremẽtum fecit opum in gerendo publico munere. Nota etiam inter Gentiles esse, quod nobis erubescẽdum sit, nonnullos ex ijs esse, qui quodãmodò Christianè viuãt, hoc est innocentèr; & nonnullos inter Christianos, qui more Gentilium.

Auari centimani in rapiendo instar Briarei.

8 Ait, patrem ob illas morales virtutes meruisse, vt sortiretur bonam coniugem, quod non parui momenti est. nàm *externorum quoque sententia est, nullam rem proba vxore meliorem obuenire posse, nec improba peiorem. donum istud diuinitùs esse scriptura declarat: Mulierem, inquit, fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius; & si quis ab vltimis finibus coniugium præsentium quæsisset, non inuenisset hoc melius, in quo contigit, vt non minus virtutum, quàm corporum nexus esset.* Trãsferri hæc possunt ad laudationem Elisabethæ, Birgittæ, Franciscæ Romanæ, sed maximè ad castissimũ cõiugiũ Iosephi cũ Deipara. Addit: Eua, quę Adamo obuenit pro socia, potiùs hostis fuit; hæc autem verè adiutrix, quia coniugem ad fidem traduxit. huc refer illud Eccl. *Mulieris bona beatus vir.*

Bonum cõiugiũ magnum Dei donum.

9 Pergit de matris virtutibus dicere. Veram pulchritudinem in imagine Dei ponebat, non in mundo muliebri, & fuco, &c. *Res domesticas itá auxit, vt mulier illa fortis, quasi pietatem nesciret colere; rursùs ita Deo, ac diuinis rebus se addixit, quasi à rei domesticæ procuratione plurimum abesset.* Magnæ omninò prudentiæ hoc est, quasi mulier illa fortis, quæ *spolijs non indigebat*; diues scilicèt opum, lanificio intenta, & familiæ cibandæ &c. vt vix videretur posse Deo vacare; attamẽ itá in diuina incũbens, quasi nihil aliud ageret.

Matrisfamilias laus itá rem domesticam curare, vt sit diuinis simul intenta.

10 Commendat cæteras eiusdem mulieris virtutes, præsertim sermonem benè libratum, & silentiũ, maximè in templo: *Nunquàm in sacris conuentibus, ac locis vox eius audita præter mysticas. quod si olim magnum, atq; amplum altari fuit, quod super ipsum nec securis, nec ascia audita esset; cur non illi quoque ad laudem magnam sit, quod silentio sacra honorarit, nec in diuinũ pauimentum expuerit?* Magnum profectò indicium pietatis in veneratione tẽplorum, vt nè in pauimentum quidem expueret. & nota quid in Salomonis templo significatum sit, cum in eius ædificatione nullus prorsus strepitus ferri audiretur sed materia foris affabrè formata, & aptata inferretur, quæ statim congrueret: nimirùm significabat quanta quies silentij deberetur habitaculo Dei. Ad sermonem vero pertinet hoc, quod subiungit: Licet calamitatibus commoueretur, *non tamen luctuosa vox ei potius, quàm gratiarum actio erumpebat, aut ex palpebris mysticè signatis lacryma flueret, vel tristis habitus permaneret splendido die.* Vide quid agendum sit in ærumnis, aut luctu; compatiẽdum quidem afflictis, sed ante Deo agendæ grates de beneficijs, nã & ærumna beneficij loco accipienda.

Silentiũ in templo, & veneratio mira.

In aduersis non modo querela nulla, sed potius actio gratiarum.

11 Eiusde in orando studium cõmendat: *Nos Deo etiam ante ortum promisit, futurum nihil reformidans. Dei autem beneficium illud fuit, quod voto non excideret; nec victima, quam obtulerat repudiata.* nempè imitata est in hoc Samuelis matrem. Vide igitur in quo verus matris affectus consistat. ac sæpè accidit, vt huiusmodi liberi Deo à parentibus oblati ante ortum, sanctitate præcellant. pulchrè autem

Liberi à matre ante ortum Deo deuoueri soliti.

tem victimam appellat Deo deuotam, quam parentes ei vouent sobolem.

12 De eius in virtute progressu sic pulchrè: *Has virtutum genera partim iàm aderant, partim aduentabant, tacitis incrementis paulatim crescentia. & quemadmodùm Sol matutinis radijs in oculos suauissimè incidens, meridianis feruidior est, ac splendidior: ità cum haud parua pietatis officia primùm illa ostendisset, postremo lumine magis explenduit.* huc spectat illud Ecclesiastæ: *Iustitiam quasi lumen accendent*; & illud Prou. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsquè ad perfectum diem.* quod maximè religiosorum est, qui perfectionem profitentur, quorum quasi quidam Solis est progressus, & cursus.

Progressus in virtute, ac feruore commendatur.

13 Mariti conuersionem ad fidem ipsi tribuit, nàm post multas eius lacrymas, ille per quietem, *putabat se, quod ante nunquam fecerat, ex Dauidis psalmis eam partem canere: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi; in domum Domini ibimus.* experrectus & visum recogitans statuit baptizari. Vide quantam vim habeant lacrymæ hæ ab vxore fusæ aquã baptismi in marito sunt operatæ. similitèr etiam Monicæ Augustini matri accidit; adeò in côuersione animarum plus agitur lacrymis, quàm facundia verborum. porrò in hoc psalmi loco, græcè pro, *dicta sunt mihi*, est εἰρηκόσι; dixerunt mihi; hoc est, vt Scholiastes interpretatur, Angeli salutis hominum studiosissimi, qui ad Dei domum inuitêt, siuè gentiles ad Ecclesiam, siuè baptizatos ad Cœlum.

Ad côuersionê animarũ maior vis in lacrymis, quàm in verbis.

Angeli ad salutem inuitant nos.

14 Duplex prodigium narrat, alterũ antè eius côuersionem, alterum post. primum est: *Spiritale quoddam erratum exactæ disciplinæ magistri committunt; ac sacerdotij forma cum Christiana institutione miscetur; etenim in genu flexus fidei elementis imbuitur, non sponte*; hoc est. cum Cathecumeni non genuflecterent, sed aures tantùm oleo vngendas præberent, ipse prętcr catechesis legem, dum initiaretur, genuflexit, quia is, qui catechistam agebat, errore lapsus, non institutionis Christianæ, sed Sacerdotij, atq; antistitij orationem protulit. post baptismum autem, cum se tùm animo, tùm corpore multò magis quàm qui olim à Mose tabulas accepturi erant, purificasset, *ipsum ex aqua egressum lumen circumfudit, & gloria digna ea affectione, cum qua ad fidei gratiam accessit, nonnullis quidem conspicua, ei verò, qui initiabat, adeò clara, vt sibi eum in Episcopatu successurum palam, ac publicè clamauerit.* Vide vt Deus præparanti se respondeat abundanti gratia; & quanta sit in baptizato pulchritudo animæ, per circumfusum illud lumen exterius indicata.

Per baptismum quãta in animã pulchritudo, & splêdor redundet.

Tùm sic: *Non erit incredibile ei, qui norit Mosen a rubo, seù potiùs ab eo, qui erat in rubo flagrãte quidem, sed vim ignis minimè sentiente vocatum eum, cui postleà manuum extensio crucem adumbrans, profligatis multis hostium millibus, trophæum statuit, cui mare scinditur, petra scaturijt, panis depluit, &c. Esaias quoque priusquàm vaticinandi prouinciam obeat, carbone purgatur. quin Paulus etiam, egregius ille veritatis præco gentium in fide magister, cum infesto adhuc animo Ecclesiam vexaret, lumine collustratur.* Vide vt Deus præclaris Sanctis indicia quædam futuræ sãctitatis præferre solitus sit. Ità Dominicus instar catuli lucidam facem gestãtis præuisus est. sed quod magni interest, addit: *Eum rebus gestis respondisse vaticinio.* & præclaris, & illustribus factis id côprobasse, quod per lumen illud diuinitus significabatur: ideò subiungit: *Nequè verò dicere cuiquam licet, principia quidem tàm admiranda extitisse, cæterum quæ postlea secuta sunt, aliquam notam inussisse; verùm & sibi, & vitæ superioris vestigijs admodũ institit, vt inter se vtraquè bellissimè congruerent.* græcè est συνᾳμοζεῖν, adaptarêtur, consonarent: vt omnes chordæ in lyra: sic harmonicè omnes iusti actiones in tota vita modulationem quandã instituũt.

Diuina illustratio nibus respôsa per facta præclara

Idê tenor bene viuendi in iusto quasi consona lyræ modulatio.

15 Quàm piè se ad Sacerdotiũ disposuerit, ostendit: *Sacerdotium suscepit, non ea facultate, quæ nunc viget, leuiter, ac temerè, sed nonnullo interiecto temporis spatio ad sui purificationem.* Nota quàm rectè institutum sit, vt Sacerdotium seorsum ab alijs ordinibus accipiatur post certũ tempus; hoc scilicet huc, vt præparatio præcedat congrua. quò spectant & exercitia spiritualia Ignatij apud nos præcedere solita Sacerdotium.

Præparatio ad Sacerdotium.

16 Episcopi munus quàm sanctè gesserit, narrat: *Cum siluosam, & agrestem Ecclesiam suscepisset, non ita pridem gubernari solitam, sed quæ ab vno tantùm ex antecessoribus exornata fuisset, viro vt admirandis, atquè Angelicis moribus prædito, ità simpliciore, ac celerrimè in Cœlum assumpto, primùm quidem feros homines mitigauit, tùm sermonibus; tùm etiam, quod veluti spiritalem quandam statuam ad optimæ cuiusquam actionis pulchritudinem expolitam, ad imitãdum proponerit.* Vides Episcopi officium. pulchrè vocat: *Spiritalem veluti quandã statuam.* græcè τύπον, quàm scilicèt affabrè efformare debet in se, quam intuentes alij imitentur. Talis fuit Ludouicus Tolosanus, & Carolus Borromæus Mediolanensis, Antistites. & nota quàm prudentèr agat, nè prædecessori iniuriam faciat. quod enim ille Ecclesiam quasi siluam cum feris reliquisset, non ait ex defectu sanctitatis id accidisse,

Episcopus admirãdis moribus, & Angelicis.

disse, *cum admirandis moribus, & Angelicis praeditus esset*, sed partim ex simplicitate partim ex celeri obitu. vbi vides nō sufficere ad Episcopatum vitę probitatē, sed requiri quoq; prudētiā, industriā, &c.

Nō sufficit in Episcopo probitas, nisi sit & prudentia.

17 Addit sacrae scripturae cognitionē Episcopo necessariam: *Deinde in literarum diuinarum meditatione summa animi contentione versatus, quamuis serius se ad ea studia contulisset, & tantum eruditionis colligit, vt ijs, qui Theologiae causa plurimum laboris exhauserant, inferior non esset; & eruditos pietate, & pia eruditione superaret; aut potius ita secundas doctrinae ferret, vt tamen pietatis primas obtineret*. Referri hoc potest ad Ignatium nostrū, & Franciscum Borgiam, qui sero se diuinae gloriae causa literis, prēsertim Theologicis dediderunt. & Ignatius quidem miras praesertim sāctae Trinitatis illustrationes habuit. sed illud maximè notandum, quod etiam iis praecipit, vt secundas tantum partes doctrina; pietas verò primas obtineat. quod indicant illa verba psalmi: *Benitatem, & disciplinam, & scientiam doce me*. Ad eundem aliquo modo pertinet, quod sequitur.

In Episcopo & pietas eruditio & eruditio p... requiritur

18 Quantum in Episcopatu subditis profuerit, ostendit: *Effecit, vt haec Ecclesia noua Hierusalem, atque altera quedam arca vndis eminens, vt illa Noetica, vexaretur. quippe quae illud animarum diluuium, quod tūm per haereticos grassabatur, planè superaret*. id iām verè de Ecclesia dixeris per Ambrosiū, & caeteros Doctores factū, & nostra ętate per Robertum Bellarminum Cardinalem haereium domitorē: ad hoc enim titulus ille, quem postea consecuti sunt, Eminentissimi, sibi tributum putēt, *vt Ecclesia tanquam altera arca Noetica vndis emineat*. item vt quasi Hierusalem alteram reddant nouam, vt est in Apocal. omnibus ornamentis affluentem. Addit: *Bethleem imitatus, paruam scilicet, & totius Orbis terrae metropolim, quippe Christi nutricem, ac matrem*. Praeclara Bethleē laus quae ad Romanam vrbem quasi religionis nutricem meritò referri potest, vt iure dicatur: *Totius Orbis terrae metropolis*. ad quam scilicet ex vltimis regionibus Reges properent cum muneribus, vt factum est superiore saeculo sub Gregorio XIII a regijs legatis è Iaponia missis. Itaq; Episcopus suam Ecclesiam reddat sic erga Christum affectam, vt in ea nasci & nutriri Christus videatur.

Ecclesia per Episcopi regimē vt arca Noe immunis à naufragio

Ecclesia per Episcopum velut Hierusalem altera, aut Bethleem reddita.

19 Eleganti similitudine eius virtutū multitudinem indicat: *Quod in tranquillis vndis euenire cernimus, vt cum iniectus lapillus centrum effecerit, alius post alium circulus excitetur; id mihi planè hic quoquè accidit; aliud in mentem venit, aliud superuenit*. Rectè iustum instar limpidi fontis dicit, in quem coniecta laudatio innumeros quasi circulos praeclararum actionum ostendat.

Vna laus iusti alteri ... sicut in ... fonte fit.

20 De eius in pauperes beneficentia sic: *Non solum superflua, sed necessaria in pauperes impendit, partes dans non solum septem, sed etsi octauus accederet*. Nota interpretationem difficilem loci Eccl. *Da partem septem, necnon & octo*. huc etiam refert locum Esaiae, quem sic legit: *Si sustuleris vinculum, & electionem, hoc est tenuitatem, & explorationem pauperis, sit ne dignus, nec nè; satius enim est ob eos, qui digni sunt, & indignis largiri, quam, dum veremur, nè indignis demus, dignos etiam beneficio fraudemus*. pulchrè, & acutè; graecè est, ..., nodum simul colligatum, ..., propriè suffragationem, quae in eligendo magistratu fiebat manu porrecta. vulgata habet: *Si sustuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum*. Tum notat praemium, quod subsequitur: *Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitates tuae citò orientur. Quis est, qui lucem, & sanitatem non expetat?* Vide, vt respondeat merces operi. quia enim per beneficentiam effecit, vt pauper non solum huius lucis vsura fruetur viuendo, sed iucundè viuendo; idem ipsi obtingere par est; per sanitates, sic .n. legit in plurali; perfectam valetudinem puto intelligi corporis, vel etiam animae. & nota promptitudinem Dei in remunerādo eo, qui promptè benefecit: *mane, citò*. Addit de eadem beneficentia in pauperes: *Huc pertinere videtur, quod scriptura indicat, panem in aquam quoque mittendum esse, non enim fore, vt pereat; sed eò deuenturum, vbi omnia nostra posita sunt*. locus est: *mitte panem tuum super transeuntes aquas*. puto de lacrymantibus egenis intelligi; in morte autem, qui portus est iusti, lacrymis eum panem delatum inueniet in coelestem patriam.

Eccl.

Esa. 58.

Beneficentia in pauperes largiter, & nō suspecta

Eccl. 11

21 Pergit in eadem virtute. Non solū ipse egenis subueniebat, sed vxor, quam eorū studiosam sciebat, & facultatem ei concesserat bona distribuendi: *Quam autem, aut qualem mulierem dico? cui nè Atlanticum quidē pelagus, aut si quid aliud maximum est, ad exhauriendum sufficere potuisset, tanto largiendi amore flagrabat, vt se ipsam quoque, & liberos, si fieri posset, vt saepe audiui dicentem, vendidisset in pauperum vsum. huic tamen vir totas largitionis habenas commiserat*. Mira virtus, haereo, vtrius cōiugis maior sit laus: plerumquè contra accidit, vt in hoc discordes sint vir, & vxor. pulchrè autem amplificat: etiam si opes inundassent Oceani modo, effunderet tamen omnes, & nōdùm fecisse pro aetati satis sibi videretur. Gregorium ipsum, quem ante ortū Deo de-

Mira in coniugibus beneficētia erga pauperes.

deuouerat cum cæteris liberis, si fas fuisset, vendidisset, vt pauperibus consuleret, quos pluris quàm liberos æstimaret. Videre est & nostra ętate in quibusdam primarijs matronis huiusmodi beneficentiā in pauperes, vel in sacros vsus. Sed quid de Paulino dicemus Senatore nobilissimo, & Episcopo, qui seipsum pro paupere captiuo redimendo Barbaris vēdidit?

22 Soliditatem eius virtutis ostendit: *Non enim fictam humilitatem amauit, vt Philosophi gentiles, instar mulicercularum fuco pulchritudinem affectantium: quæ scilicet natiua pulchritudine destituta ad colores confugiunt, & ornata tanquàm in theatris se ostentant, ob ipsam venustatem inuenustiæ.* Vide quid sit hyprocrisis: *Fucus ille facilè abstergitur, remanet deformitas. ità nihil simulatum constans, & diuturnum est.* ac rectè discrimen ponit inter politicum, & Christianum: ille omnia ad propriam gloriam refert, hic ad Dei gloriam, animiq; salutē: Huc pertinent quæ de indumento addit: *Vulgari vestitus genere, ratione tamen interni splendoris suprà multos eminebat.* notent hoc, qui Romana purpura fulgent, & Eminentissimi titulo insignes sunt: intelligāt, se nō tā hoc, quā *ratione interni splēdoris super alios eminere* debere. id constitit in Carolo Borromæo, Bellarmino, & alijs, qui hoc posteà inditum nomen virtutis præstantia præuenerūt; & hoc tēpore cōstat.

Hyprocrisis fucatæ mulierculæ comparata.

Interna virtus à prisco philosopho Christianum distinguit.

Eminentia vera in virtutis præstantia posita est.

23 Mansuetudinem, & iniuriarum obliuionem maximè commendat: *Nulla res perindè nobiles, & insignes reddit Stephanum, ac patrem, quam placiditas. ille dum lapidatur, maius aliquid morte offerēs, nempè longanimitatem; hic &c.* Est hoc cōtra eos, qui iniuriā condonando potiùs nobilitati probrum inferri putant. & nota, quid pretiosius morte iusti, & ipso martyrio? tamē nescio quid maius agnoscit in dilectione inimici, ac venia. huc pertinent sequentia.

Condonatio iniuriæ ad decus facit, non ad probrū.

Stephani ignoscētis mira laus.

24 Qua ratione iram cum lenitate temperarit, ostendit: *Erat quidem ob zelum in rebus spiritalibus paulò propensior ad iracundiam, nisi paratus, & armatus esset, & tanquàm aduersus hostem è longinquo instructus. quanquam illius furor non vt serpentis erat, sed apis aculeo similis. vestitu, & calceamenta detrahebantur, atque humi stratus iacebat, qui facinus aliquod perpetrarat. sæpè statim excusabat, ob illius peccata, non secus atque ob sua erubescens.* Nota de apis aculeo, quem rex apū non ad vulnus, sed ad terrorem, & quasi auctoritatem ferre dicitur. Nota etiam habitum rei. vt depositis vestibus, & calceamentis humi iaceret. sic Moses expoliari populum iussit ob idololatriam; sed mira virtus, vt erubesceret de alienis delictis, tanquàm proprijs. huc etiam pertinent quæ sequuntur.

Prælatus regi apum cōparatus.

Mira [illegible] in reis puniendis.

25 Pergit de animi lenitate dicere: *Nos potiùs sustinuisset Solem radios diffundētem, quā vt vllæ iracūdiæ reliquiæ in ipsius animo residerent; ità nullum signum corpori imprimebat, sed constabat in ipsa animi incitatione serenitas. Quibus succensebat, & amori, & admirationi erat, benignitate superante feruorem.* Præclara laus in Prælato, præsertim si præsit religiosis, vt tàm temperatè subditos perstringat, vt illi amorem non deponant, imò admirentur eius prudentiam. Addit: *Quanquā animo ità comparatus erat, improbis tamen ob ipsā pietatē terrori erat.* & hoc magnū est, quod accidit ex opinione sanctitatis.

Benignitas [illegible] subditos [illegible] zelo.

26 Licet aduersarios ipse patienter ferret, tamen à Deo punitos ait: *Multi ex ijs, à quibus offensus fuerat, nè sera quidem, ac pœnis qua, vt Poetæ loquuntur, vis illa scelerum vltrix occurrit, sed statim percussi resipuerunt, ad eius genua acciderunt.* græcè vocatur Δίκη, Dice, siuè Nemesis, quæ improborum inspectare putabatur scelera, & pœnas repetere. nobis Iustitia diuina est. Addit, ex ijs, qui non resipuerunt, alios à bobus, alios ab equis liberè mansuetis obtritos; alios alio genere mortis oppressos. De nostro Ignatio constat, vt alia omittam exempla multa, quendam, qui ei ignem imprecatus fuerat, mox igne consumptum.

Diuina vltio in obtrectatores Dei [illegible].

27 Morbū eius hoc est patris narrat. Ac primò docet, iustis morbos, & ærumnas immitti, vel ad purgationem, vel ad virtutis explorationem, vel ad aliorum eruditionem. Tùm sic: *Morbi tempus erat sanctum, ac celebre, Pascha, dies dierū Rex, ac splendida illa nox peccati tenebras soluens, in qua nos cum magna luminis copia salutis festum celebramus, & cum luce propter nos mortua morte simul affecti, eadem simul extincta excitamur.* pulchrè, & elegantèr dicitur dies Paschæ: *dies dierum Rex;* quo scilicèt Christus ipse coronatur Rex gloriæ per resurrectionem. itàque omnes dies dominici illi quasi tributum referunt. dies hic Rex pro diademate accipit illas ipsas fascias, siuè instita, quæ reliquit in sepulchro Christus: pro sceptro crux est triumphalis. pulchrè item dictum de nocte, qua surrexit: *Splendida illa nox peccati tenebras soluens, in qua nos cum magna luminis copia &c.* Sicut n. nox, qua natus est, illustris fuit, ita & hęc, qua renatus; quam vterus Virginis, & sepulchrum magnam habent cognationē, vt ostendit Augustinus. Tum narrat sanitatem Patris diuinitus acceptam: *Nos in templo eramus mystæ simul, & supplices ad magnum Medicum, & ad noctis illius potentiam, tanquam ad vltimum auxilium con-*

Paschatis dies Rex dierum.

Nox [illegible] Paschalis.

confugientes. O lacrymas illas, quæ ab vniuersa plebe tunc fusæ sunt. à sacrario Sacerdotem, à mysterio mystagogum, à Deo antistitem requirebant. Vide quàm piè nox illa resurrectionis Christi celebraretur in templo. deniquè meruerunt, vt & pater, siuè Episcopus quodammodo resurgeret; qui enim erat morti proximus, miro modo surgit, sacrū celebrat, grates Deo agit. Simile hoc Ezechiæ miraculo dicit: *Quem, cum preces adhibuisset, Deus vitæ incremento donauit per retroactam gradiuum vmbram, indicans, vt postularat, regem scilicet gratia simul. & signo honorās, ac per diei augmentum dierum incrementum confirmans.* Nota, nàm de Ezechia dicitur, *Vidi lacrymas tuas.* hic item: *O lacrymas illas, quæ tunc ab vniuersa plebe sunt fusæ.* Vide igitur vim lacrymarum ibi in Sole signum fuit, qui diem amplificauit vberiore luce; hic die Paschatis, quo Christus iustitiæ Sol ampliore luce refulsit. Est etiam notandus mirus affectus, ac studiū totius populi amarissimè flentis pro salute sui Prælati.

> Nox præcedens pascha quam piè traducta.

> Mira vis lacrymarū in Solone etiam corporis impetranda.

> Mirum populi studiū erga Prælatū agit.

28 Matris quoquè ex morbo liberationem diuinitùs factam narrat; Cum enim multorum dierum inedia lāgueret: *Quonam modo Deus eam aluit? non manna pluens, aut petram frangens, vt Israelem; aut per coruos pascens vt Heliam; aut per prophetam in sublime raptam pascens, vt Danielem: quonam igitur modo? visum est ipsi, me noctu repentè superuenisse cum panibus in primis candidis, & cruce consignatis eam aluisse; ab eo tempore spem meliorem concepit.* Vide arcanos Dei modos, & quā vtile sit bonos habere liberos. Aloysius quoquè Gonsaga ægræ matri post mortem sanitatem restituit, auspicatus miracula à pietate materna. fuit autem panis ille cruce signatus, imago quædam Eucharistiæ. ad Deiparam igitur communem veluti matrem in vitæ periculis recurrendum multò magis, quæ eum protulit, qui de se ait: *Ego sū panis viuus.*

> Gregorius matri ægrę per visum miré restituit sanitatem.

> Quam prosit parentibus bonos habere liberos.

29 Vicissim parentum pietate Gregorius cognoscit se à naufragio liberatum. Cum enim, inquit, nōdùm baptismo initiatus in maris tēpestate iactatus anxius essem: *Parentes mei interim compatiebantur, per nocturnum visum de periculo participantes, atque è terra opem ferebant, vim fluctuum precibus velut incātantes, quemadmodum posteà reuersi cognouimus.* græcè est καταπάδοντες, incantantes, cantionibus mulcentes, vt fit in serpentibus: vide igitur vim precum in maris fluctu, tanquàm draco veneno tumescit, ideoquè quasi serpens mulcetur voce precātium, ac sapientèr incantatur. fecerunt hoc sæpè sancti, inter quos Xauerius noster cum Oceanum horribilitèr fluctibus intumescentem prætereuehetur. imò mare ità demulsit, vt salsas eius aquas aliquando attactu redderet dulces. Tum suum in eo periculo mirum somnium narrat: *Quod etiam nobis salutaris somnus indicauit. Furiam enim mihi apprehendere, & constringere videbar, horrendum vultum præferētem, ac periculum minitantem. alius autem ex vectoribus puer matrem meam sibi videre videbatur, quæ mare ingressa prehensam nauim haud magno labore ad terram pertraheret; fidemquè habuit visio, nàm remittente tempestate statim Rhodum appulimus: Huius nos ipsi periculi donum extitimus; vt enim tunc Deo voueramus, nos ei dono dedimus.* pro Furia, græcè est, Erinnys, nomen vnius ex Furijs, quæ vipereis crinibus exprimebatur, tędam ardentem intentans, &c. Vide quam formam Dæmones induant, persequentes etiam iustos terra, mariquè. nota etiam vt se inuicem parentes, & liberi iuuent orando; ac nonnunquàm ijs nescientibus, sed ob eorum merita tribuit beneficia. deniquè sicut à naufragio liberi suspendebant dona in templo; ità Gregorius liber se Deo totum obtulit iuxtà votum maternum. vbi etiam nota quantò magis recurrendum sit in vitæ periculis ad communem matrem Deiparam.

> Gregorius per visum liberatur à naufragio ad preces parentum.

> Oratione velut incātante mare tumescens placatur.

> Gregorius in periculo naufragij furiam apprehensam constringere sibi visus.

30 Patris Episcopi ardentem zelum, atquè constantiam ostendit, Iuliani Imperatoris minis contemptis, qui sagittarios miserat ad diripenda tēpla: at quanā alia ratione, quibus armis obstitit? *Præterquam coniunctis totius populi votis, ac precibus, impurum illum, ac sacrilegum impetum; priuatim autem nocturnam aduersus eum aciem opponens, humi cubando, senile corpus conficiens, & lacrymis pauimentum perfundens per annum ferè integrum; idquè nos ipsos celare studens ob pietatem ab omni ostentatione alienam.* Vide quid agere debeat Episcopus in publicis calamitatibus, totum populum publicis precibus intentum facere, ac prætereà se ipsum clàm vario genere mortificationis vexare. pulchrè autem appellat nocturnas preces, & vigilias, & lacrymas, ac cæteras vexationes, *nocturnam aciem*, quā scilicèt instruat aduersus vim hostilem calamitatis vtrumq; Carolus Borromæus egit Mediolani pestis tempore: Vide etiā, quā longè abhorreret pater Gregorij ab hypocrisi, & ostētatione, vt mortificationes noctu ageret, nè filij ipsi cōscij essent.

> Episcopus in communibus ærūmnis & precibus, & pœnitentia se, suosq; obarmet.

> Hypocrisis vitanda etiam cum domesticis.

31 Prudentiam Patris in sedanda seditione ostendit. Cum enim Cæsareæ ciues quendam elegissent Episcopum eximijs moribus præditum, inuitò cum honorem accipientem, Iulianus fremere cœpit; scribit ad patrem Gregorij, vt antiquet, & rescindat electionem; respondit hic

> Episcopi cum egregia circa Ecclesiasticam libertatem.

hic per literas mira constantia. inter cætera, inquit: *Nos rerum omnium, quæ geruntur, censorem vnum, ac Regem habemus*, quo videlicèt Deum summum Imperatorem, non Iulianum de suis actis Iudicem agnoscere significauit; ille adeò libertatem admiratus est, vt deinceps huic se opponere ausus non sit.

In eligẽdus in Episcopum, qui tanquã Sol inter astra præcellat.

32 In alterius quoquè Episcopi electione, quàm prudentèr, & constantèr se pater præstiterit, narrat: *Non erat obscurum, quis praecelleret, quemadmodùm nec Sol inter sidera, sed valdè clarum, & conspicuum, selectissima, ac purissima Ciuitatis parte, hoc est, & ijs, qui altare circumstant, & nostri temporis Nazaræis, quibus electiones huiusmodi committi oportebat*. Vide præclarum præiudicium; is eligebatur in Episcopum, qui tanquàm Sol inter cætera sidera splendore virtutum antecelleret: quò spectat illud Simonis Pontificis: *Sicut Sol refulsit in templo Domini*. Is, inquam, eligebatur, qui tàm præclarã opinionem apud optimates Vrbis haberet, idest apud Clericos, siuè Ecclesiæ ministros, & religiosos, quos Nazaræos appellat. vbi nota, quàm eximio titulo ambos appellet: *Selectissimam, ac purissimam Ciuitatis partem, hoc est, & eos, qui altare circumstant & Nazaræos*. Vides etiam, quanti olim facerent religiosos viros, quos in rebus tanti momenti consulebãt; de his Hieremias: *Pulchriores Nazarei eius vino, candidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo*: quod alibi ad tria religiosorum vota retulimus; eorum autem leges, ac ritus extant in libro Numer.

Clerus. & religiosi pars purissima Ciuitatis.

Eccl. 50.

Numer 6.

Electio Prælati qui integrè fieri debeat.

33 Cum dixisset, Episcopos eligi solitos optimos ab Optimatibus, dolet id iã inconsultò, ac temerè fieri: *Nunc parum abest, quin popularia imperia meliore ordine, ac disciplina constare existimem, quam nostra, quibus diuina gratia attribuitur*. Est hoc contra eos religiosos, qui in Prælatis eligendis aliud spectant, quàm merita, vt propterea quandoquè melior sit electio temporalium magistratuum. Tùm Basilium ipsum commendat eo munere dignissimum: *Id nisi esset, quis sana mentis, te relicto, ò sacrum, ac diuinum caput, te, inquã, relicto, qui in manibus Dei depictus es, qui connubij iugum nescis, qui nihil possides, qui carne propemodum, & sanguine cares, qui in verbis post Verbum es: inter amicos sapientes sapiens, inter mundanos Mundo sublimior, sodalis meus, & vt audacter dicam, anima mea dimidium*. Præclarum sanè Basilij elogium; vbi nota in primis illud ex propheta: *In manibus meis descripsi te*, hic depictum dicit in Dei manibus, virtutum scilicèt coloribus: græcè ἐζωγραφήμενον: nàm γράφω significat etiam exculpere, & pingere; ἐξω verò extra; ità vt pictura eminens sit, & apparẽs, quod periti artificis est. Et illa egregia laus est: *carne propemodum, & sanguine cares*. quasi totus cœlestis, & spiritalis. Et illa, *inter mundanos Mundo sublimior*; quod imitari debent, præsertim religiosi cum sæcularibus versantes. sed sciens Gregorius modestiam Basilij, statim subiungit: *Vellem libertatem oratio haberet, apud alios te pingeni, non te præsentem, vbi laudes imminuere cogor*. pulchrè laudationem picturæ comparat, vbi varia adhibentur pigmenta virtutum, &c.

Elogiũ elegans de Basilio.

Episcopus depictus in Dei manibus.

Elogij picturæ quædam est.

34 Redit ad Patris Episcopi virtutes, præsertim constantiam; nàm cum ferendum esset suffragium, licet morbo confectus, ac semimortuus esset, tamen pro Ecclesiæ bono consurgit, & robur sibi facit; Tùm re perfecta, nihil aliorum maledicta curat: *Nequè enim graue esse iudicabat, si cum rebus vicisset, lingua se vinci pateretur*. acutè ait, nihili faciẽda calumniatorum verba, modò rem teneas. Addit, ità patientia vicisse, vt calumniatores victi se ad eius genua prouoluerint.

Ferẽdæ calumniæ calumniatores cómodè reijiciuntur.

35 Commendat eius zelum aduersus hæreticos. Opposuit, inquit, se hæreticis ab Imperatore missis; quin etiam, *nos quoque velut non ignauos, ac degeneres catulos in illos veluti in immanissimas feras immittebat, ad pietatẽ nimirùm ità nos exercens*. Præclarus hic locus est de Dominicanis, quorum fundator in materno vtero specie generosi molossi, aut Laconis, facem ore gestantis est visus; quo indicabatur, cum quasi latratu aduersus hæreticos, Ecclesiæ exteros, insurrecturum. idemquè à suis religiosis, sapientia, ac virtute clarissimis agi voluit: *quos velut non ignauos, ac degeneres catulos in illos velut in immanissimas feras immisit*. ad quod idem posteà Ignatius nos instituit: an non luculentus aper deuastans Ecclesiam Lutherus? an non immanis bellua Caluinus, Oecolampadius, &c.?

Zelus contra hæreticos veluti venatici canis cõtra feras in Dominico, & Ignatio.

36 Cum & patrem, & Basilium laudasset, tantùm dolet, eorum consilio, atque opera se Episcopum factum, inuitum: *Vnum habeo, quod vtrique succenseam, pace dixerim vestra. quod me solitudinem adamantem, communemque hanc tempestatem, & puluerem vitare cupientem, in hoc graue, & insidiosum animarum forum, per speciosum Sacerdotis nomen intulistis; qua ex re multa mihi mala partim iam contigerunt, partim expectantur*. Vide quã alienus esset ab ambitione. & vt Episcopatus nõ vt honos, sed vt graue onus existimandũ sit: quippè ei, qui verè Episcopum agere velit, subeundi sunt non modo ingentes labores, sed inimicitiæ, & pericula, quæ elegantèr vocat, *tempestatem, & puluerem, & graue, & insidiosum animarum*

Episcopatus vt onus potius, quã honos [illegible] tandus.

animarum forum. græcè ἀγορὰν: siuè quasi mercatum intelligas cum lucro animarum, siuè iudiciarium forum, in quo animæ spiritales causæ aguntur.

37 De morte Patris sic: *Cum nūquàm non dolore premeretur, ex sola lithurgia robur concipiebat; atque eo tempore morbus velut ex edicto, & imperio fugatus se subducebat.* Eleganter ostendit pietatem patris, & affectum ergà res spiritales, qui non modò non elanguit in fine vitæ, sed languorē ægro tollebat, & vires dabat. & nota more morbi tēpore lithurgias canendi, hoc est sacras preces apud eum, qui animam agebat. meruit autem, qui Dei legem, atquè edicta tàm sanctè seruasset, vt morbus quasi edicto diuinitùs prohiberetur interim vexare precātem. Deniquè obijt, inquit, centum ferè annos natus in senectute bona: *Quonam modo? in orationis verbis, ac gestibus; nullo vitij vestigio. plurimis virtutum monumentis relictis.* pro gestibus, græcè est σχήματα, quæ vox figuram, formam, habitum oris, & compositionem designat: vt non modò mortuus sit inter preces, sed ipse exterior habitus, & gestus feliciter eam obtingere demōstraret; v.g. conformatis in crucē manibus, oculis in Cœlum intentis, vel in Christum cruci affixum, eius vulnera osculis lambendo, lacrymis rigando, &c.

Vt morbi precatione mitescit.

In morte preces, & exterior ipsa compositio seruanda.

38 Extantè adhùc mortui patris memoriam ostendit: *Et quoniam magni illius animi monimentum posteris relinqui oportebat, quodnam magis conueniebat, quàm vt hoc templum? populi quidem largitione non nihil adiutus, maiore tamen in parte à suo impendens: opus magnitudine supra multa, pulchritudine autem penè super omnia: nàm & octo æquilateris rectis in se occurrit; & columnarum, & porticuum elegantia per laquearia in altum assurgit, & c.* Vide fusius pulchrè. ac nota, in quo Episcopi debeant annuos reditus impendere, nùm in ædes magnificas proprias, in hortorum delicias, in cognatorū patrimonia amplificanda, an potius in extruēda, atquè ornanda templa? Addit egregiè: *Quoniam verò in templo victima requirebantur. has etiam adiungit, filij nempè calamitates, atquè in rebus acerbis tolerantiam.* eximiam certè victimam, & holocaustū. egit. n. instar Abrahami, sed spiritalitèr. & ille quidem tantùm aram, hic templum ipsum extruxit.

Episcopi reditus in sacros vsus impensi, nō in proprios vsus, vel suorum.

Templo victimas offerre est tolerare aduersa.

39 Vita functum patrem sic piè alloquitur: *Pac sciamus quanam in gloria sis; quos lumen te circumstet; ac me quoque ijsdem tabernaculis excipe, sed prius hoc dules lapsus:* affectu plenum hoc est; iungi vult patri eodem sepulchro quoad corpus, quoad animum verò beatitudinis æternæ consors fieri.

Solatium de morte spes beatitudinis.

40 Tùm ad Basilium conuersus concludit: *Si dicta probas, calculo tuo confirma me im. profectò tuus calculus Dei est; sin autem infrà illius gloriam, & tuam spem, vocem tuam matura pluuia instar expectatam immitte. quid verò mirandum sit, si qui terrarum Orbi per te intonuit, idem quoquè nunc fructum aliquem ex tua voce capiat?* Se enim ille tibi, vt pastori, ac patri dicebat obstrictum. Vide quàm modestè, ac pudentèr de oratione à se habita loquatur, Basilij iudicio eam tradens. vide etiā qualis esse debeat Episcopi zelus, impios terrēdo instar tonitrui, & anathematis, cum opus est, fulmen iaculādo.

Episcopi anathema fulmen est.

41 De matris quoque morte sic pulchrè: *Vna vita est, ad vitam respicere; vna mors, peccati. alia, ob quæ nonnulli efferuntur, insomniorum visio sunt, veris rebus illudens, & fallacia animi spectra.* græcè φάσματα, quasi inanes, siuè portētosæ imagines: ità sanè, nàm Mundi illecebræ, & vanæ sunt, & portendunt exitium sempiternum ijs, qui ea sequuntur. quod autem etiā insomnia sint, pulchrè ostendit Ecclesiasticus dicens: *Cor tuum phantasias patitur; nè dederis in illis cor tuum: multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.* Deniquè sic de Parentū obitu se solatur: *Magnis rebus priuati sumus, at aliquādò frui cōtigit. priuari omnibus est. frui paucorū.* magnū solatiū, aliquandò viri iusti degustasse pios mores, &c.

Mundanę res vmbratiles, & portentosę & mera somnia.

Eccl. 34.

Ex Oratione XX.
De Basilij obitu.

1 OStendit primò ob præstantiam sanctitatis, Basilium dignè laudari nō posse: *Scilicet hoc restabat, vt qui multa nobis orationum argumenta proposuisset, seipsum nunc proponeret certaminum omnium maximum. sed si quis facultatem suam dicendi experiri vellet, materiam vnam sibi proponens, vt pictores eas tabulas, vndè exempla petant, is hac sola subnota, velut oratoriam vim omnem superante, cæterarum primam quamque delecturus.* Vides encomiasten, quasi pictorē esse, excellens aliquod exemplar imitantem, colores verborum inducentem, &c. sed Basilium quasi diuina manu virtutū eximiarum coloribus pictū nemo æquet, superat omnem artem vel Apellęam. Addit præclarè: *Omnes, qui eum laudabunt, ab ipso pari interuallo distabunt, non secus ac à Cœlo, Solisquè radijs, qui eo continentur.* Rectè cum solaribus radijs confert, qui oculorum aciem splendore perstringunt. huc facit illud de Simone pontifice: *Sicut Sol effulsit in templo Domini.* Recte

Basilij sola imago oratione depingi nō potest.

Iusti virtutes quasi solares radij hebetāt aciem minorem laudantium.

Eccl. 50.

hoc, & q; sequitur ad Carolũ Borromæũ.

2 De generis eius nobilitate, ac maiorum gloria sic elegantèr per præteritionem: *Hæc si commemorare liceret, nihil essent Pelopidæ, nec Cecropidæ, nec Aeacidæ, nec Heraclidæ, qui cum nihil haberent, quod apertè prædicent, ad obscura quædam, ad Deos, fabulasq; confugiunt.* Vide antiquorum vanitatem, qui fingebant ab Heroibus, ac Dijs se descendere, à Pelope, Hercule, &c. Tùm decus veræ nobilitatis ostendit. *Aliarum quidem familiarum, vel singillatim cuiusquè hominis alia sunt insignia, quæ instar hæreditatis ad posteros deuoluuntur; huic autem vtriusq; generis decus pietas fuit.* pro insignibus græcè est, γνωρίσματα, hoc est id, per quod distinguitur vna familia, vel gens, & dignoscitur ab alia, iuxtà illud Maronianum: Danaûmquè insignia nobis aptemus: quę ferè erãt in scutis alicuius Dei proprij imagines; ità per singularẽ quãdã pietatis magnitudinẽ discernebatur familia Basilij ab alijs.

Nobilitas generis quæ laudabilis.

3 De persequutione tempore Maximini, & nostrorum constantia hęc habet: *Multi athletarum superarunt, vel ad mortem vsq; certantes, vel penè vsq; ad mortẽ: hactenus scilicet relicti, vt victoriæ suæ superstites essent, & alijs virtutis aliptæ, viui Martyres, spirantes columnæ, tacitaq; præconia.* pulchrè, & elegantèr dictum de ijs, qui multa in persequutione passi, vitæ tamen reseruati sunt; vt scilicèt alios animarent ad martyrium, *virtutis aliptæ*. dicebatur ἀλείπτης, qui vngebat athletam in gymnasio, & excitabat ad pugnam. pulchrè etiam per antithesin dicuntur, *viui Martyres*: parati scilicèt ad martyrium, & voluntate Martyres. item *spirantes columnæ*. hoc est animatæ, sustinentes Ecclesiam, protegentes, confirmantes. *tacitaquè præconia*; tacebant in publico, nec tamen desinebant esse pręcones veritatis, clàm instituentes, cohortantes, &c. huiusmodi sunt hoc tempore, qui vel inter hæreticos, vel inter barbaros religiosi, inprimis ex Augustini, Dominici, Francisci, Ignatij familijs degunt, persequutionẽ grassante latentes *in speluncis, & cauernis terræ*. huc pertinet, quod addit: *Lex martyrij hæc est, vt nec nos vltrò ad certamen accedamus, ità tùm persecutoribus, tùm imbecillioribus athletis consulentes; nec cum præsentes simus, certamen detrectemus: illud quippè temerarij, ac præcipitis animi est, hoc timidi, atque ignaui.* Cogita Paulum deuotũ morti pro Christo, & tamen demissum in sporta, vt effugeret manus hostis; & Athanasium vel in cisterna, vel in patrio sepulchro Arianorũ ferro se subtrahentẽ in Ecclesiæ bonũ.

Martyres voto sunt viui Martyres.

Martyres voto in bonum aliorũ se reseruãtes, spirãtes columnæ sunt.

Lex martyrij quę sit.

4 Narrat eximium, & notabile diuinæ prouidentiæ miraculũ ergà eos, qui persequutionis tempore se in speluncas abdiderant, inter quos erant Basilij parentes. ibi cum multis incommodis afficerentur, inedia maximè, non tamen conquerebantur, vt Israelitæ in deserto, sed memorabant potiùs diuina beneficia in se collata, cum spe, sic Deum precantes: *Multæ feræ diuitum mensis fuga elapsæ in his montibus delitescunt; multæ aues super nos volitant, quid ni vel te solùm annuente, capi possint? Hæc eorum verba, ac præda verborum comes erat. Instructum repentè conuiuium, cerui è saltibus repentè apparẽtes, qua magnitudine, quàm ad sui cædem prompti? diceres eos molestè ferre, quod non citius vocati. illi capitum nutu trahebantur, hi sequebantur; quo impellente, & cogente? nemine. quibus canibus? quibus equis? quo latratu, & clamore? quo venantium studio viarum exitus occupantium? orationis tantùm, ac petitionis vinculo constricti. Quis vnquàm ex Heroum memoria talem venationem, ac prædam cognouit? O miraculum. Ipsi prædæ suæ arbitri erant: quantum voluntas ferebat, detentum est; quod supererat ad syluas in secundas mensas reseruatum: ac præsens miraculum, tanquam præludium rerum in spe positarum habebant. Hic tu mihi Dianas tuas, & Oriones, & Actæones infelices illos venatores mihi narra, tu, qui fabulas admiraris, ac ceruam virgini substitutam.* Alludit hoc ad Iphigeniæ sacrificium. Admiranda res certè, sed narratio quoquè ipsa admirationem habet ex elegantia, & amplificatione facti. Ecquod maius, & præclarius diuinæ Prouidentiæ testimonium? an non tanquam venatrix illa fuit? ac meritò Dianæ venatricis vanum numen eluditur. meritò præ his infelices venatores dicuntur Orion, & Actęon, quorum alter gloriabatur nullam esse feram, quam non conficeret, sed Dijs verbũ arrogans vlciscentibus à scorpione ictus, & interfectus dicitur; alter à canibus proprijs laceratus. hic aũt venatio obtigit sine labore indaginis, sine iaculis, sine canibus, sine cursu equorũ, & quod maximè mirum est, sine reti: sed rete oratio fuit: hoc enim vox græca significat, cum dicuntur cerui oratione δέσμιοι, innodati, irretiti. Et nota, ceruos maximè se obtulisse, qui certè natura timidissimi sunt, vt magis appareret miraculum: quamquam si cerui pastorali fistula demulcentur, multò magis potuerunt oratione mulceri. confer hanc venationem cum illa coturnium in deserto. ibi quia murmurauerant, ex eorũ esu mortui sunt, ac locus vocatus sepulchra concupiscentiæ; hic quia Deum laudabant, ceruis pasti, hoc est vitalem pastum meruerunt; nã cerui ipsi ob vitæ longitudinẽ, viuaces dicũtur. Pulchrè autem ait,

Insigne miraculum diuinę prouidentiæ in persecutione Christianos alentis.

Diuina prouidẽtia fit venatrix vt palest Martyres in speluncis abditos.

cos

eos ex præda accepisse quātum satis erat, reliquas feras dimisisse interim ad alterū pastum, hoc est *in secundas mensas reseruatas*. Habes igitur opiparum conuiuiū instructum à Gratia, ex venatricis Prouidentiæ præda exhibitum ijs, qui Martyres voto erant. quid admirabilius quam ipsas feras se obtulisse ad pastum? enim vero hic rectè, ac pulchrè dicitur: *Creatura omniū nutrici Gratiæ tuæ deseruiebat.*

Sap. 16.

5 Redit ad Basilium, cuius nobilitatē ex pietate maiorum repetebat; tùm sic: *Si magnum est aliquod, gloriam à maioribus accepisse, maius est maioribus aliquod ex se adiecisse, veluti fluctu reciprocante.* scilicèt vt in mari fluctus fluctum consequitur; ità maiorum virtutem virtus posterorum, præsertim liberorum. Addit: *Maximum, & clarissimum est felicitas in liberis: nàm qui simul, & multos, & probos habuerit, in fabulis fortasse reperies; hos autem res ipsa non exhibuit.* at exhibita est huiusmodi *felicitas in liberis* in ipsa Felicitate septem Martyrum matre.

Laudabilis nobilitas, quæ augetur virtute posterorum.

Magna, & rara felicitas habere liberos multos, & omnes probos.

6 Basilij matrem, vel ex nomine commendat: *Basilij mater Emmelia, illa, inquam, meritò ἐμμελείας; id est concinnitatis nomen refert, quæ, vt vno verbo dicam, hoc inter mulieres fuit, quòd ille inter viros.* Acutè breui complectitur laudes multas. Sicut, inquit, Basilius Magnus est appellatus, eadē appellatio deberetur matri. quod ad Virginē Christi matrē suo modo egregiè pertinet, nàm ei dictū est ab Angelo: *Hic erit Magnus, & filius Altissimi vocabitur.* pulchrè autem ab etymologia nominis laudem ducit, quæ græcè significat concinnitatem: ac vide vbi mulierū concinnitas consistat, nō in crinibus, ac pretiosis vestibus, sed in compositione morum. similitèr de Agnete ait Ambrosius: Quid dignum de ea loqui possumus, cuius nè nomen quidem vacuum est luce laudis? vt mihi oraculum habuisse videatur, quod indicauit quid esset futura.

Basilij mater Emmelia idest concinnitas ob decoros mores.

7 Pergit item in matris laude: *Non commemoro de corporis pulchritudine, & similibus, ne faciam, vt athletæ imprudentes qui profusis in leuibus, in vana, ac minime necessaria concertatione, viribus; in serijs postea, quibus corona, ac victoria comparatur, inferiores reperiuntur.* Elegans similitudo. vide igitur quid in laudatione spectandum sit, non immorandum in bonis externis, quæ fortunæ dicuntur, non in corporis; sed animi amplificanda sunt bona, quæ verè sunt bona. Est item hoc contra vanos concionatores, qui plurimam concionis partem impendunt in descriptionibus, ac verborum illecebris; tandèm propè finem, cum dicendo lassati fuerint, auditorem mouere conantur. Inepti profectò athletæ, & Christianæ palęstræ rudes; luctādum potiùs acritèr statim, & pugnandum cum vitijs est seriò. Quoad etymon verò matris, propriè ἐμμέλεια est apta modulatio harmonica; vndè & genus quoddam saltationis, qua se miro artificio concinnè, & modulatè librabant, sic dicitur apud Platonem. Talis harmonia morum erat in matre Basilij, quid de Dei matre dicendum?

Laudatio etiam bona animi potius versari debet, quā in cæteris.

Harmonia morum in matre Basilij iuxta nomen.

8 Laudat Basilium ex sapientia: *Illud certè constare arbitror, eruditionem inter humana bona principem locum obtinere, non solùm de hac nostra, quæ contempto lepore sermonis, vni saluti, & rerum intelligibilium pulchritudini adhæret; sed etiam de externa, quam plerique prauo quodam iudicio vt insidiosam, & periculosam aspernantur. Neque enim contemnendum cœlū, aer, terra, quia nonnulli impiè pro Deo venerati sunt, sed ex ijs potiùs Conditorem agnouimus.* Vide vt vir Ecclesiasticus, pręsertim Episcopus, licet instructus sit, & eruditus prophanis disciplinis, & elegātia dicendi clarus, tamen ea tātùm apud alios eruditione, & doctrina vti debeat, *quæ, contempto lepore sermonis, vni saluti, & rerum intelligibilium pulchritudini adhæret:* animarum, videlicèt, salus spectanda, & Dei gloria. rectè tamen eos arguit, qui externam doctrinam, licet ex libris Gentilium haustā, reijciunt, atq; contemnāt: *prauo iudicio* id dicunt, cū possint ista ad bonum vsum æquè conuerti, & Religionis bono, & ornamento seruire, vt patet in Hieronymo, Clemente Alexandrino, & alijs, quibus eruditio laudi fuit. rectè igitur Ignatius instituit gymnasia, & academias de liberalibus quoquè literis, atq; exteris, non modò de grauioribus, & sacris.

Eruditio inter humana bona primatum habet.

Eruditio, & exteræ disciplinę non contemnendę.

9 Vitę probitatem cum doctrina coniunctam esse demonstrat in Ecclesiastico viro. Nàm *qui solos mores, vel solam doctrinam consequuti sunt, ab altera autem deseruntur, ij mihi nihil à luscis differre videntur, qui altero priuati sunt oculo: quibus cum magnum detrimentum sit, tùm verò maior turpitudo, siuè alios cernant, siuè ab alijs cernantur: at quibus vtraque laude excellere, ac veluti ambidextro esse contingit, hi nimirùm perfecti sunt, & cum alterius vita beatitudine vitam agunt.* Notabilis hic locus est, & egregius pro ijs Religionibus, quæ vtramque laudem coniungūt, & probitatis, & doctrinæ. Vtrumquè decus familiæ suæ commendauit in primis Dominicus, & Ignatius. pulchrè hæc duo, tanquàm duos corporis oculos dicit, vel ad vtilitatem, vel ad pulchritudinē cōparatos. græcè est ἑτερόφθαλμοι, qui alterum tantùm habet oculum. nec tamē lusci, aut monoculi dicēdi sūt, qui iuxtà proprium institutum diuinis tantùm intenti,

Docti, sed casti virtute monoculi sunt.

tenti,

tenti, humanam doctrinam posthabent; nàm illa sic luce præcellunt, vt istam non admodùm desiderent.

10 Basilij indolem à pueritia ostendit elegātèr: *Quemadmodùm equorum pullos, ac vitulos, simul ac in lucem prodierint, parentibus suis assultare videmus: sic ille patrem cum generoso quodam impetu affectabatur; nec à summis virtutis illius agitationibus longè distabat.* Nempè hùc facit illud Venusini poetæ: Est in iuuencis, est in equis patrum virtus, &c. Hoc idem tyrones religiosi facere debent, Patriarchā suum imitando; ad quos etiam spectat, quod item pulchrè addit: *In ipsa virtutis adumbratione futuræ virtutis pulchritudinem subindicabat, characteres præferens ante tempus accuratioris vitæ.* Tyrocinium quasi adumbratio est futuræ virtutis, quę ad perfectionem semper tendens, suo tēpore se ostētet, oportet. & sicut in pictura, in qua prius adumbratio quędā fit, ac deindè colores inducuntur, & lineaméta ad viuū exprimentia. sic in prima ætate, &c.

Indoles generosa, virtutis in puetia, vt in equorum pullis.

In pueritia virtutis adumbratio deindè perfectio.

11 Cæsarea Palęstinæ vrbs celeberrima egregiè laudatur: *Studiorum dux, & magistra, metropolis non minus literarum, atquè doctrinæ, quàm Vrbium, in quas dominatur.* Vide in quo Vrbis alicuius gloria posita sit; præcipuè in studio literarū; qualis vrbs Cariath sepher, hoc est Ciuitas literarum, quæ Othonieli strenuo Duci cessit in nobilem, ac triumphalem prædā. porrò Romanæ vrbi hæc laus maximè competit, quę ob Vaticanum Oraculum, veræ sapientiæ dux est, & magistra, & Vrbium metropolis. Addit in eandem sententiam: *Cum aliæ Ciuitates alia, atque alia ornamenta, hanc vt arma, vel dramata, nota quadam, atque insignia; sic literarum gloria, nobilitat.* Scuta videlicèt militaria, ac poetarum tragediæ, &c. habebāt suas peculiares notas, aut titulos, quibus dignóscebantur; græcè est γνωρίσματα: sic velut insignia eius Vrbis, & peculiare ornamentum distinguens ab alijs Vrbibus, erat sapientia; ob multa gymnasia, & eximiū studiū literarum, quæ ibi florebant.

Vrbis gloria præcipua studium literarum.

Iud. 5.

12 Basilij adhùc adolescentis ingenij indolem ostendit: *Maiorem quàm illa ætas ferebat, eruditionem ostendens, rhetor inter rhetores ante exhedram, philosophus inter philosophos ante philosophica dogmata; & quod maximum est, Sacerdos ante initum Sacerdotium.* Præclara laus, quæ & ad S. Thomam Aquinatem pulchrè pertinet, qui adhùc adolescens magisterio philosophiæ, ac theologiæ dignus erat. quoad pietatem verò, Sacerdotis vitam iàm tùm agebat antequàm eo munere fungi posset.

Egregia Basilij indoles ab adolescētia

13 Ostendit quo apud Basilium loco esset humana scientia: *Eloquentiæ studiū, accessionis dumtaxat, ac veluti corollary cuiusdam rationem habebat; tātùm vt eius ope ad nostram philosophiam vteretur ad explicanda animi sensa; serió verò, ac præcipuum studium, vt se à Mundi contagione reuocaret, Deoq; coniungeret, & quæ æterna sunt, compararet.* Notabile, & præclarum monitum, vt literarum studium tantùm accessio quædam sit, & veluti corollarium; & benè loquendi ars tantùm deseruiat, vt exprimere rectè possimus diuina. cæterùm id, quod per se comparandū est, pietas est, & vnio cum Deo. id seriò Ignatius noster monet, vt probitatem doctrinæ præferamus.

Humanæ scientię accessio tantùm, & corollarium sunt, sed primarium studium vnio cum Deo.

14 Gaudet de familiaritate inita cum Basilio: *Athenas literarum sedem, ac domū se confert: Athenas, inquam, mihi verè aureas, quæ mihi cum plenius noscendum præbuerunt. Idemquè mihi in re diuersa, quod Sauli accidit, qui patris asinas quærens, regnum inuenit; ità ego beatitudinem, dùm quæro doctrinam.* acutè, ac lepidè. Ac vide quàm præferat pietatem ex consuetudine cum viris sanctis, doctrinæ: vt inter se hæc tanto distent interuallo, quanto à vili iumento, regni honor, fasces, purpura, sceptrum. Dices. Per doctrinam multa præclara fiunt: quid eloquentiæ flumine liquidius? quid profligatis erroribus pręclarius? at & Samson maxilla eiusdem iumenti, & aquas protulit, & strages edidit victor. quid interim pietas? debellat Erebum, cœlo potitur, &c. quantò hæc præstantiora? ideò autem *Athenas aureas* appellat, non quia Athenienses in capite cicadas aureas pro insignibus ferrēt, sed ob inuentum Basilium quasi thesaurum. quippè Athenàs tanquàm ad sapientiæ mercatum confluerent ex prima nobilitate totius Græciæ.

Athenæ aureæ ob studiū sapientiæ, & Basilij contubernium.

15 Affectum Atheniensium discipulorum ergà magistros ostendit. Athenis, inquit, ergà Sophistas discipuli affecti occupant vias, &c. vt de nouo accedentes suis Sophistis tradant erudendos, ijsquè lucra concilient: *Sicut in equestribus certaminibus, qui equis, & spectaculis delectātur: exiliunt enim, clamant, habenas moderātur, &c.* Hinc collige quātò maius studium esse debeat, vt vel exteros, vel rudes rerum spiritaliū ad viros doctrina, & sanctitate præstātes, & cōfessarios pertrahamus. Vide quantum illi adhibebant diligentiæ, atquè industriæ: vias ipsas, & aditus vrbiū occupabant, in quas peregrini se inferebant, vt eos erudiendos ducerēt ad moralis philosophiæ magistros. mirus planè zelus, & laude dignissimus, nisi lucrū magis spectarēt suorū magistrorū. Pulchrè autem similitudinem accipit ab equestribus certaminibus, dùm qui adsūt spectatores, animant aurigas, acuūt, hortan-

Zelus Atheniēsiū vt peregrinos erudiendos adducerent ad suos magistros.

tando, plaudẽdo, iuuant etiã quo possũt.

16 Notabilem morem narrat Sophistarum in probandis nouis discipulis: *Primum hospitio accipitur ab amicis, vel peritis eius artis; deindè à quolibet cauillis lacessitur; quod agunt, vt nouitiorum animos contrahant, atque à principio ipsos in potestatem redigant, tùm per forum ad balneum cum pompa deducitur: qui autem eum deducunt, cum ad balneum accesserint, quasi fanatico furore correpti clamorem ingẽtem cum saltu tollunt, vt insistant, tanquã eos balneum minimè admittat. ac posteaquam pulsatis ianuis per strepitum rudi iuueni metum incusserint, posteà concesso ingressu, eum in libertatem asserunt, ac deinceps vt aequalem, & sodalem accipiunt.* Pręclarus hic locus est de nouitijs Religionum. nàm si humanae doctrinae magistri ineptos putabant discipulos, nisi antè per mortificationis actus eos domuissét, ac sibi subiecissent: quantò magis vitae spiritalis magister id agat oportet, cum nihil ab hoc statu magis alienum sit, quã superbia, & arrogantia? ideoq; rectè institutum in nostra Societate, vt tyrones in domo probationis (sic nouitiorum sedem vocamus) varijs mortificationum generibus exerceantur, vt sit illud veluti sapientiae tyrocinium. Similis est mos ille, de quo alibi loquitur idem Gregorius, qui solitus adhiberi in Mitriacis sacris, planetae Soli dicatis, quibus initiari nemo poterat, nisi per octoginta contumeliarum, & poenarum gradus anteà pertransisset; quamobrem nonnullos in ipsa acri, ac saeua exercitatione confectos interire contingebat.

Mira probatio in nouis discipulis à magistris Athenis fieri solita.

17 Qua ratione cum Basilio familiaritatem contraxerit, ostendit. cum enim Armenij inuidi simulata amicitia eum argutis statim quaestionibus vrgerent, à Gregorio defensus est, & horum mores ignarum edocuit: *Hac altera amicitia nõ tàm scintilla, sed fax clara, & sublimis accenditur.* Anteà solùm ob literas amabat, deindè etiã ob beneficiũ, velut recti itineris face praelata nè aberraret; hic. n. verae amicitiae fomes. Vide quãtum debeas ei, qui ducem se praebet, nè in pericula incidas salutis.

Amicitiam obsiliat zelus de amici salute.

18 Quae sit vera amicitia, docet: *Corporum amores, quia rerum fluxarum sunt, fluunt quoquè ipsa non secus ac veris flores. At pudici, & Deo grati amores, quia rei stabilis, & firmae sunt, propterea diuturniores etiam sunt. quãtò maior pulchritudinis species ipsis obijcitur, tanto arctius earũ amatores inter se deuinciuntur. hac quoque superni amoris lex est.* Rectè adnotat, cur amor ob corporis formam firmus esse non possit, ac proindè verus non sit; quia forma ipsa mox perit, & euanescit: at animi decor diuturnitate fit maior.

Cur amor ex virtute stabilior sit, quam ex forma.

19 Pergit pulchrè de familiaritate cũ Basilio dicere: *Necesse est hic narrando insistere, vt polypi petris inhaerentes distrahi nequeunt, nisi partem petrae trahant.* Affectum indicat similitudo. subiungit: *Cũ hoc animo essemus inuicem, talesq; pulchris parietibus praedito thalamo, vt est apud Pindarum, aureas columnas subiecissemus, ità progrediebamur, Deo, & studio simul operantibus vtentes.* Elegantèr amicitiam quasi thalami cuiusdam substructionem esse dicit, aureis columnis fultam. Talis erat dilectio Christi in Ioannem, in quẽ, vt iuniorem inter Apostolos cadunt verba illa: *Beniamin habitabit confidentèr, in eo quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet*, quod de ipso quoquè dicendum, dùm in pectore Christi aureis columnis charitatis fulto moratur, & requiescit in illa quasi nuptiali coena Eucharistica. Tùm vide verae amicitiae fructum, progressum scilicèt in virtutibus, & doctrina; & hoc Dei gratia, & nostro studio cooperantibus.

Thalamus sapientiae aureis columnis fultus.

Doctrina cum virtute iuncta cõciliatrix amicitię.

Deut. 33.

20 Qualis debeat esse vera amicitia, indicat: *Par spes doctrinae, hoc est rei omnium inuidissimae nos ducebat, & tamen aberat inuidia: hoc vtriq; certamen, non vter primas ferret, sed vter alteri eas concederet: vterq; enim alterius gloriam pro sua ducebat.* Notent hoc Religiosi, qui in eadem familia in literas incumbunt. De praeclarissimo quodã Lacedęmonũ Duce narrant, cui cum ob merita primae deferri deberent, & hęc esset omnium expectatio; cumq; in suffragijs post quinquagesimum nominatus esset, exijt foras exultabundus, clamauitq; felicem esse Spartã, quod quinquaginta se praestantiores haberet. Nota etiam illud, appellat certamen de ingenio, *rem omnium inuidiosissimam*: hòc tamen erit maior laus, si cedas.

Verus amicus honorẽ alteri exhibitum pro suo ducit.

21 De conuersatione sic: *Cum castissimis erat consuetudo, cum exploratum sit, facilius esse vitium contrahere, quàm virtutem impertire: sicut facilius est morbo alieno infici, quàm sanitatem largiri.* Magnam vim habet haec similitudo rectè cõsiderata. vide quàm facilè prona sit ad lapsum corrupta natura rectè igitur monet: *Cum castissimis conuersandum.*

Facilius contrahitur vitium, quã virtus.

22 Christiani nomen omni titulo quãtumuis insigni, & omni generi felicitatis humanae praeponendum dicit: *Cum alia, atque alia cognomenta sint, vel à parentibus accepta, vel à seipsis, nobis magnum erat Christianos esse, & dici: qua re magis efferebamur, quàm Gyges pala annuli conuersione, per quam Lydorum tyrannidem occupasse dicitur; aut Midas auro, quod ipsi interitum accersiuit, nihil, praeter aurum habentis. nàm quid Hyperborei Abaridis sagittam,*

Christiani nomen nobilius omni alio ordine.

gittam, aut Arginorum Pegasum dicam? quibus non tantum erat per aerem ferri, quantum nobis ad Deum attolli. Acutè hoc vltimum; non tàm, inquit, Pegaso alato equo gloriamur, quo per aera Bellerophon ferebatur, quàm Christiani nomine, quo charitatis pennis euecti euolamus in Cœlum. Abaris autem ab Apolline sagittam accepisse dictus est, quam vbiquè circumferens peragrabat Orbem terrarum nulla re indigens. quod potiùs de Verbo Dei, siuè Christo, qui de se ait: *Posuit me quasi sagittam electam*: dici cōuenit: quā sagittam Apostolici viri, præsertim Indiarum Apostolus Xauerius per Orbem terræ circūtulit, iuxtà illud Pauli: *Vt portet nomen meum coràm gentibus.* nulla alia re indigens, hac munitus. Ad hæc felicior item, & castior Christiana religio, ac fides, quàm Gygis inuisibilis, quò Reginæ coniuncta est, annulus; nàm cum fides sit rerum inuisibilium, eo quasi fidei annulo desponsi, regno nō Lydiæ, vt ille, sed cœlesti potimur, iuxtà illud: *Spōsabo te mihi in fide.* Deniquè ditior multò Christianus virtutibus, ac cœlestibus donis, quàm Midas auro, quod illi læthale fuit, cum illud pro cibo ineptum esset. Illud quoquè pulchrè dictum, Christianum nomen præferendum omnibus titulis, & cognomentis, *quæ vel à parentibus accepta, vel à seipsis.* Itàque præ hoc vana sunt illa cognomenta quantumuis triumphalia, Africani, Numidici, Getici, &c. nam per hoc, vt ait Paulus, *Christus triumphat in nobis.* Hęc Gregorius de Christiani nominis gloria, quæ ad minimam Societatem nostram, cui Iesu nomen peculiari ratione proprium est, referri possunt, nā de ea dixeris illud psalmi: *Speciesdomus diuidere spolia.*

Christianus fide fretus, nec Pegasi indigens, nec Gygis annulo, nec Midæ auro, nec Abaridis sagitta.

Osee. 2.

Psalm. 23.

23 Ostendit, quàm præclarum sit malorū consortio non infici: *Pestifera Athenæ sunt, vt ipsæ idolis supra omnem Græciam affluunt: nobis autem nihil attulere detrimenti, animo communitis, & obseptis; imò magis ad fidem confortati sumus, fraudem, & impostaram agnoscentes. Quod si quis est, aut esse creditur fluuius per mare dulcis fluens, aut animal in igne viuens, hoc ipsi inter æqualium greges eramus.* De Alphèo fluuio intelligit, qui subtus mare decurrens nihil salsedinis contrahit. Referri potest ad Petrum Martyrem è Dominicano Ordine ex hæreticis parentibus ortum; & ad religiosos cum sæcularibus, integrè, castèq; versantes.

Inter malos esse, nec infici rarū est.

24 De condiscipulis, ac Doctoribus sic: *Illud autem præclarissimum, quod circa nos non ignobile sodalitium erat, præceptorem illum habens, ac ducem sequens, ijsdemquè rebus gaudens: quamuis alioqui pedites, vt aiunt, ad Lydium currum, hoc est, ad illius cursum, & mores curreremus.* Vide quàm humilitèr sequi debeamus doctrinā præclari alicuius Doctoris, vt hic tanquàm curru vehatur; discipuli verò quasi pedites sequantur. Similitèr Helisæus discipulus ad Heliam ad Cœlum raptum clamabat ipse quasi pedes in terra: *Pater mi, currus Israel, & auriga eius.* Ità nos sāctos Patres, & Thomam Aquin. sequi par est. Porrò Lydorum currus velocitate insignes erant; vel alludit ad Pelopis currū, quo Oenomaum Regem vicit in equestri certamine. Pergit: *Præceptores nostri apud nos celebres erant, proindè nos ipsi. Nec verò quicquam apud eos erant, vt Orestes, & Pylades, aut Molionidæ illi ab Homero celebrati, quos calamitatis societas, atque ars egregia nobilitauit, eodem tempore habenas, & flagra inter se partientes.* Orestis & Pyladæ amicitia nota est, qua ad Inferos vnà contendere voluerunt: at quanto meliùs hi, qui in Cœlum? De peritissimis aurigis Molionidis, sic à materno nomine nuncupatis, inter se coniunctissimis Homerus loquitur; sed quantò hi nobiliores in animæ quadriga ex quatuor affectionibus æquè per tè regenda? vel in Episcopatu iisdem institutis præclaris gubernādo? tales aurigas, theologicæ doctrinæ scilicèt duces, & magistros inter se sapiētia, & virtute cōiunctissimos dixeris Thomā Aquin. & Bonauenturā, synchronos.

Doctrina SS. Patrum, ac Doctorū humiliter sequenda.

25 De Basilij doctrina, & ingenio sic: *Quod disciplinarum genus est, in quo versatus non sit, atque ità eximiè, quasi in eo solo elaborasset? Sic omnia complexus, vt nè vnum quisquam; sic singula summè, quasi nihil aliud.* Præclara laus, præstantiorem eum fuisse in cunctis scientijs, quàm aliquem in vna tantùm; & singulas tàm scitè tenuisse, quasi in ea solùm incubuisset. His addit: *Ad ingenij acrimoniam studium adhibuit; ac licet propter ingenij magnitudinem labore minus egeret, sic tamen vtrūquè coniunxit, vt non satis liqueret, vtro nomine admirabilior.* Rectè monet, ingenio soli confidendum nō esse, sed laborē addendum, vt doctrina sit tutior, & solidior. Tùm excurrit per omnes scientias. Quis in philosophia acrior? &c. *in astronomia quicquid supererat, vt infrugiferū contempsit.* huc refero iuxtà interpretationem Origenis, quod mulieri exteræ cōiungendus Hebræus, eius vngues præsecare iubebatur, hoc est abijcere quicquid in extera, & prophana sapientia est superfluum, siuè quod lædere animum possit, qualis est iudiciaria astrologia merito interdicta.

Ad ingenij acumen studij labor addendus.

Astrologia iudiciaria meritò vetita.

26 Quantò præclarior esset Basilius priscis, quos admirata est antiquitas, ostendit: *Qui virtutem illius experti sunt, Minoem illum, & Rhadamantum pro nugis*

Magistratus Ecclesiasticus præstantior quàm Minois, &c. iudicium.

gis habent, quos in pratis asphodelo refertis, & cominus Elysijs Græci donandos dixerunt: paradisi videlicet nostri, specie ex nostrorum scriptorum libris. Hos viros ob integritatem morum, & perfectam iustitiam Iudices animarum fecerunt, sed rectè vocat nugas. porro asphodelus frutex est rhamno similis, sed sine spinis flore apibus grato: vt Iudicem ad speciem quidem seuerũ, sed moribus minimè natura asperis, & crucientis esse oportere designarent.

Basilius nauis doctrinæ mercibus onusta.

27 Item de Basilij doctrina sic: *Erat doctrina mercibus onusta nauis, quantum quidem humana natura assequi datur; non enim vltra Gades cuiquam transmeare cõcessum est.* Rectè hoc addit. limitata quippe est cuiusque vel magni ingenij cognitio. Oceanus quidam immensus diuinæ sapientiæ interponitur. erat tũc hoc prouerbium, vltrà enim Gaditanum fretum nemo adhuc ausus fuerat peruadere; sed ausi nostra ętate sũt vlterius multò. Thomæ item Aquinati licuit quasi vltra Gades prætercurrere, hoc est, multa, quæ veteres in theologia iacebant, explorare, & inuenire. nec tamen terminum quisquam in diuinis reperire poterit. Pulchrè autẽ vocat Basilium *Nauem doctrinæ mercibus onustam* huic naui pro Cynosura est diuina gloria.

Doctores boues Ecclesiæ agrũ exarantes. Item generosi equi excurrẽtes in campum.

28 Affectum ergà Basilium ostendit: *Fit quasi boum, qui simul traxere iugum, disiunctio, lugubre quiddam vtriusque causa mugientium.* Pulchrè quasi iugales boues in Ecclesiæ agro excolendo, & sapiẽtiæ campo vocat, & verè. Addit item pulchrè. *Sed non multò post præ animi desiderio equum illum Homericum imitor, præfractisque eorum, a quibus retinebar, vinculis, campos pedibus pulso, atque ad sodalem meum impetu feror.* Meritò se, & Basilium generosis equis comparat, in campum latum excurrentibus, in eandem quatuor Ecclesiæ Doctorum quasi quadrigam conspirantibus. Idem de Thoma, & Bonauentura quasi iugalibus equis eodem tempore in campum Ecclesiæ generosè prosilientibus dixeris.

Basilius ad quam ex alta specula fax alijs prælucebat.

29 De beneficio acceptũ refert, quod Basilius in Episcopatum sit assumptus: *Basilium multiplex Dei benignitas, & ergà humanum genus dispensatio in multis anteà muneribus exploratum, & quotidiè clariorem, illustrioremq; compertum, in sacrum presbyterorum ordinem asscribit; ac splendidam, & celebrem Ecclesiæ facem proponit, quæ per vnam Cæsariensem ciuitatem toti terrarum Orbi prælucent.* Vide quantum requiratur ad presbyteratum, & Episcopatum; vt alijs videlicet anteà muneribus probatus sit, ac semper virtute, ac prudentia profecisse visus sit. Pulchrè autem dicit, Basilium in sua Vrbe tanquàm è specula facem præpositam, vt longè, latèq; omnibus viæ dux sit. Talem Carolum Borromæũ fuisse rectè dixeris.

30 Eleganter varijs similitudinibus ostendit, ad Episcopatum neminem promoueri debere, nisi diu, ac benè probatũ; doletq; vicem suorum temporum. Sic igitur de Basilio: *Non subitò ad eum gradum subuectus est, quemadmodum plerique, qui nunc antistitum munus appetunt. nauticam legem laudo. quæ gubernatori futuro primum remos tradit, deindè ad proram eum collocat; sicq; prioribus muneribus ipsis commissis, tandem eum post diuturnam remigationem, ac ventorum obseruationem ad gubernacula cõstituit.* Rectè monet nauis gubernatoris exemplo, per gradus ad superius Ecclesiæ regendæ munus ascendi. Pergit alia similitudine: *Eadem rei militaris est ratio. miles primùm, deindè centurio, sic Imperator; hic optimus ordo est. Quam præclarè nobiscum ageretur, si idem rerum nostrarum status esset? nunc autem periculum est, nè ordo omnium sanctissimus ludibrio sit. non dignorum sed potentiorum throni sunt. Samuel inter prophetas ille resectitius. Roboam inter Reges, imò Ieroboam seruus, & impius.* Nota, vocat Episcopatum *ordinem omnium sanctissimum,* sed, quod mirum est, cum per ambitionẽ eum occupant viri potentes, non in honorem, ac decus cedit, sed potius in opprobrium; idéq; est, ac quẽpiam è vulgi fæce diuinorum rudem in prophetam, vel cupiditatum suarum vile mancipium in Regem vngere. Vide igitur quàm sanctus, & nobilis status hic sit, quod cum prophetia, & regno confertur. Transit ad alias similitudines: *Cum nec medici, nec pictoris quisquam facilè nomen obtineat, nisi priùs morborum naturam consideraris, aut varias formas expresserit; Antistites contra facilè inueniuntur, non elaboratus, simul satus, & editus, quemadmodum poeta gigantes finxerũt. vno die sanctos fingimus, eosq; sapientes, & eruditos esse iubemus qui nihil didicerunt, nec ad Sacerdotium quicquam priùs cõtulerunt, præter velle. Hic qui sublimem promerentur locum, in inferiori sũt, hic arrogans præsidet. Nec thronum intremiscis, nec ex aspectu horrorem concipis?* Rectè ambitionem taxat, quamquã nunc non modò in Episcopis eligendis cautio adhibetur per serium examen, sed in ipso primatu Ecclesię per secreta suffragia, & iuramentum de digno ad supremum id munus euehendo; cuiusmodi hierarcham nunc Ecclesia se habere gestit Alexandrum VII. diuino planè munere concessum. Contra lepidè eos, qui quasi vno die sapientes, & sancti sint effecti, gigantibus comparat, quos è terra vno partu statim progenitos finxerũt, quamobrem

Episcopatus ordo omnium sanctissimus

Nõnisi digni adsciscendi in Episcopatum.

Indigni ad Episcopatũ obrepentes taxantur.

Thronus Episcopalis non ambiendus, sed formidãdus

& Terrigenæ dicti; sed non minus hi, quã illi monstrosi. Iàm illa verba magni certè ponderis sunt: *Nec thronum intremiscis, nec ex aspectu horrorem concipis?* Delectãt te, & alliciunt illæ infulæ pontificiæ, tiara, lituus, trabea, denique thronus ille sublimis? imò potiùs metum, & horrorẽ incutere debent; nempè scriptum est: *Potentes potentèr tormenta patientur*, si muneri desint suo.

31 Mirum non esse ait, quod Basilium Eusebius Episcopus haberet infensum: *Neque enim vulgares tantùm homines, sed etiam præstantissimos quosque viros Momus attingit, vt solius Dei sit omninò esse immunem à peccato.* græcè est ἀπταιστον, quę vox apud Xenophontem significat equũ, qui nunquàm offendit in cursu. notabilis sententia: etiam iustos obnoxios esse aliorum dictis, siue falsis, siuè ex parte veris; equi sumus in stadio vitæ currẽtes, quantumuis generosus sit equus, præpes, si in salebris currat, & lapidosis locis, fieri non potest, vt nunquàm vel leuitèr offendat. vbi nota illud Iob: *Nunquid currere possunt in petris equi?* De Momo nota fabula est, rem nullam reprehẽsionis immunem faciente.

Quisque vel iustus obnoxius est alicui calumniæ saltem leui.

32 Basilij ergà aduersarios vel lenitatem, & prudentiam, vel zelũ demonstrat: *Alios retinet, alios propulsat; alijs murus firmus, & vallum efficitur; alijs securis petram scindens; aut ignis sarmentitios homines, & in diuinitatem contumeliosos absumens.* Sarmentitij homines dicti rei igni damnati, circumpositis sarmẽtis pro fomite. rectè hæreticos sic appellat; quasi palmites abscissos ab Ecclesiæ vinea. hæc .n. illis indicitur pœna, ignis. Sed vide Basilij zelũ; ipsemet in hæreticos exardescit, ignescit. fit valida securis excindens. Ecclesię verò cõtra hostiles incursus fit murus adamãtinus, & munissimum vallum.

Episcopi lenitas pariter & zelus, fit ignis, fit securis, fit murus, & vallum.

33 Quid acciderit Eusebio Basilij aduersario, narrat: *Pars Ecclesiæ selectior, ac sapientior concitatur; si modò ij sapientiores habendi sunt, quàm plerique, qui seipsos à Mundo seiunxerunt, ac vitam suam Deo cõsecrarunt, Nazaræos nostrates dico.* Notabilis, & prȩclara laus de religiosis, quorum consilium videtur pluris facere, quã cęterorum vrbis optimatium. nempè illi vt Deo coniunctiores, faciliùs supernè illustrantur, quid sit agendum.

Religiosi Nazaræi dicti, & in consilijs adhibiti.

34 Quid egerit Basilius in hoc tumultu, docet. Secedit in Pontum, *atque cum Helia, & Ioanne summis philosophis solitudinem amplectitur.* Vide quid sit verè philosophari; solitudo pro Lycęo est. Eo autem abscedente, *ingruit subitò nubes grandinis plena, & exitiosè striaens, quæ Ecclesias omnes obtriuit.* Item in Ioannis Chrysostomi exilio grando immanis depluisse legitur. digna pœna eorum, qui rorem, & salubrem pluuiam aureæ eloquentiæ, atq; doctrinæ repudiarant.

Diuina vltio ob contẽptum exvrbe excedentẽ Episcopum.

35 Cappadoces, quorum Basilius erat Præsul, laudat à fide vera: *Horum nihil tã proprium est, quàm fidei firmitas, atque erga Trinitatem fides; cuius etiam beneficio hoc habent, quod animis coniuncti sint, atq; concordes: eadem videlicet auxilia, quæ diuinitati ferunt, accipientes.* Acutè dictum. Nulla maior concordia, quàm trium diuinarum personarum in vnitate naturæ; hanc Cæsarienses, Basilio Duce, acriter tuebantur contra Arium; ideò meruerũt, vt ipsa Trinitas faceret omnes ipsos inter sese cõcordes, & vnanimes. Vides igitur, ad Trinitatem recurrendum, vt concordiæ, ac pacis bono fruamur: nàm, vt suprà dixit; Illã & prima, & summa pax est, de qua deindè participant Angeli, & vniuersitas rerum.

Vrbs Cæsarea ad concordiam seruandam Trinitati se deuouet.

36 Quàm prudẽtèr se gereret Basilius in Episcopatu cum sęculari magistratu, ostendit: *Pro beneuolentia, quam afferebat, auctoritatem recipiebat, ac mirus quidam erat nexus, & symphonia potestatis. ille plebem ducebat, hic ductorem ipsum, ac veluti quidam leonum curator erat. eum, qui principatum tenebat, arte demulcens: quippè vt nuper in cathedra collocatus, ac mundanæ materiæ aliquid adhuc spirans, nondũ satis instructus in ea Ecclesiæ tempestate.* Pro curatore leonum, gr. è est λεοντοκόμος. Pulchrè leoni comparat nouum principem, quasi nondùm mansuefactum, quem Basilius lenitate demulcens mitigabat & rectè non solùm pulchrè, ait, de hac concordia inter sacrum, & sæcularem magistratum: *Mirus quidem erat nexus, & symphonia potestatis.* quid enim tàm mirum, quàm hos inter se esse concordes, & vnanimes sine vllo iurisdictionis dissidio? Id cũ accidit, symphonia est, qua nihil gratius. requiritur circa hoc præsertim magna prudentia in Episcopo.

Concordia inter Ecclesiasticum, & sęcularẽ magistratũ laudatur.

37 Est hoc contra diuites auaros: *Obseruant omnes temporum difficultates, & famem negotiantur, atque ex aliorum calamitatibus messem faciunt; cum dicatur in Prouerbijs: Maledictus, qui abscondit frumentum.* est pondus in illis verbis: ex penuria communi *famem negotiantur.* ipsorum negotium, & lucrum totum est circà populorum inopiam, & miseriam; ex macie aliorum ipsi pinguescunt. pende item illud: Sterilitas, inquit, terræ ipsis fœcunditas est quia his peruersius?

Auari famẽ cõmunem negotiãtur.

38 Ostendit quàm præclaram de Basilio opinionem alij haberent: *Spiritus sanctus ad eum vngendum viros pietate claros, zeloq; feruentes ab exteris regionibus excitauit.* Vide, vt non humano vllo impulsu ad eum Episcopum eligendum du-

ducerentur, sed instinctu Spiritus sancti. Maius hoc, quàm quod ab exteris regionibus Romam nonnulli venerint, non Romæ ipsius visendæ causa, sed Titi Liuij ob historiæ famam.

Ab Ecclesiæ cultu ad sanctitatis famam perducti.

39 Quid egerit peculiare Pater ipsius Gregorij, narrat, qui vnus fuit ex Episcopis, qui Basilium consecrarunt: *Is cum grauissimè morbo vexaretur, ac prope animam ageret, vehiculo non secus ac pheretro impositus, iuuenis redit, firmus, ac valens, oculos erectos habens à manuum impositione, & vnctione. addo etiam ab illius, qui vngebatur capite roboratus. Hoc idem historijs veterum accedat, quod labor suauitatem afferat. exilit senectus spiritu delibuta.* Pulchrè dictum: itineris labore, dùm ad Basilium vngendum properat, robur accepit; sed nimirū, dū illū ad Episcopatū vngit, ipse eodē Spiritu vngitur ad medelā.

Infirmus Episcopus consecrans Basilium sanatur.

40 Quàm benè seruarit Basilius in Episcopatu decorum, ostendit: *Primariæ sedis honore affectus, minimè commisit, vt vna in re, aut philosophiæ suæ, aut aliorum spei, & expectationi dedecori esset. existimabat priuati quidem hominis esse, vt vitio careat, aut quoquo modo probitatem colere: Principem autem, & Antistitem improbitatis notā effugere non posse, nisi multis antecellat; paremq; dignitati, ac throno virtutem afferat.* Vide quàm præclarè, & sublimitèr de Episcopatu sentiret. Alijs sufficit non esse improbum: Episcopus si tantùm non sit improbus, improbitati tribuitur: quia muneris excellentiæ nonnisi excellenti virtute respondetur.

In Episcopo extraordinaria virtus requiritur.

41 Cęteras Basilij virtutes persequitur: *Non callido artificio homines subigens, sed beneuolentia concilians; nec imperij potestate vtens; sed per indulgentiam alliciens.* Rectè ait de potestate, quæ potiùs ad auctoritatem, quàm ad punitionem tenenda est; sicut & rex apum aculeum habet, sed non vtitur. Addit, eius virtutē, & prudentiam admirantes: *Omnes ei vltro cesserunt, & quasi ad tonitrui sonitum se submiserunt.* Vides lenitatem non derogare auctoritati vox Episcopi non sine fulgetro, & coruscatione est, & quasi è Cœlo veniens pro tonitruo habetur, quam omnes verentur. & rectè tonitruo Episcopi sententia comparatur, ob anathematis fulmen in contumaces.

Lenitas in Episcopo cum auctoritate coniuncta.

Vox Episcopi pro tonitruo est.

42 Basilij non modò curam erga subditos, sed zelū ostendit in hæresibus profligandis: *Cum alij solùm quæ ante se habent, curent, nec vltrà progrediantur, nec magnum aliquid, ac strennum vel cogitatione complecti, vel efficere queant: ipse tamen quamquam cæteris in rebus moderatus, hic tamen modum haudquaquam tenet; verùm sublato in altum capite, mentisque oculis quoquò versum iactis, omnes eas Orbis partes, quas salutaris Christi doctrina peruagata est, compreh ndit. vnque magnam illam Dei hæreditatem maiè se habere, atque in sexcentas opiniones, & errores distractam cerneret; & vineam Ecclesiæ à prauo & agresti apro, idest diabolo, vastatam: haudquaquam satis esse iudicauit, si eam calamitatem solum secum tacitè deploraret, opem à se ferendam putauit.* Insignis hic locus est, pertinens non modò ad alios etiam Ecclesiæ Doctores, sed ad SS. Dominicū in primis, itemq, ad Ignatium nostrum, qui quasi ex alta specula oculos in Orbem terræ circumferens, cū & Septentrionis plagam ab hæreticis inquinatam, & nouas vltra Oceanum regiones anteà incognitas idololatria fœdatas videret, nō contentus fuit hæc mala secum ipse deplorare, sed minimam hanc Societatem Iesu instituit, per quam vtrique damno mederetur: Lutherum quippè hæresiarcam impurum, & lutulētum quid nisi aprum dicas, Ecclesiæ agrū vastantē? cui ille se per suos acritèr opposuit. Porrò de hoc Basilij zelo aduersus hæreticos sic pulchrè addit: *Præsentes hæreticos armis linguæ eminùs contundens, absentes sagittis ex atramento feriens.* Rectè, comminùs prædicatione, eminùs scriptis; Quod nihilominus conuenit in primis Dominicano Prædicatorum Ordini, ac nostro, vt in Bellarmini patet controuersijs, aliorumque scriptis.

Zelus in hæreticos per prædicationem, & scripta.

43 Basilij curam, & industriam in gubernando egregiè commendat: *Omne salutis genus excogitans, Beseleel alter ille: ille, inquam, vitæ diuinæ fabricator materiem omnem, & artem ad opificium accommodans, atque omnia contexens ad eximiā quandam operis pulchritudinem, & harmoniam.* Egregius hic locus est de Fundatoribus Religionum, qui Beseleeli cōparētur, tabernaculi extructori peritissimo; de quo extat notabile illud elogium in Exodo: *Ecce vocaui ex nomine Beseleel, & impleui eum Spiritu Dei, & intelligentia, & scientia in omni opere, &c.* An non tibi talis videtur inter alios Ignatius? *omne salutis genus excogitans;* quod enim genus hominum prætermisit? quod genus industriæ, laboris, operæ ad iuuandū proximum? occupauit omnia, carceres, triremes, plateas, vicos, oppida, instruendo, docendo, prædicando. deniq; Societatem hanc *quasi contexens ad eximiam quandam operis pulchritudinem, & harmoniam.* Quod autem ibi additur in Exodo: *Dedique ei socium Ooliab,* ad Franciscum Xauerium refero, qui maximè omnium sociorum in salute animarum elaborauit quod quidem nomē Ooliab, pulchrè, & aptè interpretatur, *splēdor patris,* idest, sui parentis Ignatij, cuius familiam illustra-

Basilius cū Beseleel perito tabernaculi extructore collatus.

Exod. 31

strauit tot, ac tàm egregijs factis, ac miraculis; sicut & Beseleel Ignatij typus interpretatur, *In umbra Dei*; hoc est, sub protectione Dei, quã, scilicet, protectionem Christus crucẽ ferens promisit Ignatio dicens: *Ego vobis Romæ propitius ero.* Vides etiam nomen Societatis expressũ, cum dicitur: *Dediq; ei socium Ooliab*, hoc est, Xauerium inter socios præcipuum. De reliquis verò pergit scriptura sic: *Et in corde omnis eruditi posui sapiẽtiam, &c.* cuius, scilicet, testes sunt tot Academiæ, Lycêa, atquè gymnasia vbiquè terrarum ab Ignatio instituta. Hæc pro pietate in amantissimum parentem cum omni humilitate sint dicta.

Valens Imper. persequens catholicos audacior Xerxe.

44 Valentis Imperatoris persequutionem in Catholicos, in Basilium in primis commemorat. Valentem audaciorem Xerxe dicit: nàm *Xerxem Persarum Regem cum infinitam multitudinem duceret, vt maiorem Græcis terrorem incuteret, per ea etiãm, quæ aduersus elementa tentabat, formidabilẽse reddidisse fertũt: noua quædã terra, & nouum mare audiebatur: exercitus in cõtinenti nauigans, pedibus verò mare peragrans, mare verberibus cæsum.* At Valens sine exercitu, solo nutu, ac iussu, exilia, insidias intentabat bonis. Notum de Xerxe, qui Athon montem perforauit, atquè deiecit, vt nauibus iter daret; & Hellesponto, vbi classis tempestate perierat, verbera infligi iussit. Sed addo maior audacia Iudæorum, qui tot beneficijs affecti illud diuinæ bonitatis immensum pelagus, Christum, inquam, flagellis cęciderunt. Tùm ostendit Basilij in persequutione constantiam: *Valens, vt sagitta in durius, ac solidius corpus incidens, repulsus est, ac rudentis instar effractus in talem Ecclesiæ Antistitem incidit, in tantum scopulum impactus sese infregit.* Vides vt persequutores Sanctorum, quantumuis potentes, debiles inueniantur, ac sibi potiùs noceant. Elegans similitudo, vel sagittæ in saxum, vel fluctus in scopulum incidentis frustrà.

Persecutio in Basilium quasi sagitta in saxũ, vel fluctus in scopulũ incidens

45 Libertatem Basilij ostendit, quem cum Præfecto Ariano à Valente misso colloquentem per dialogismum sic inducit: *Nos tandem, inquit ille, quid tibi videmur? Nihil sanè respondit Basilius, dùm hæc iubetis: non personarum dignitate, sed fide Christi animus insignitur.* græcè est χαρακτηρίζεται: quasi character; ac nota, vt id, quo quis verẽdus, & honore dignus efficitur, non sit titulus ille põpaticus dignitatis, sed potius fides Christi. Porrò aduertendum, in tantum pro nihilo æstimari Præfectum, in quantum praua iubet. Addit Basilius item constantèr, sibi nihil superesse timendum: *Nam tormenta quiã accipere queant, cum corpus desit? nisi fortè primam plagam dixeris; mors beneficij loco erit, quæ me transmittet ad Deum, cui maxima iàm ex parte obij, & ad quem propero. Quo sermone obstupefactus Præfectus: Nemo, inquit, me, nomenq; suum adiunxit, ità liberè est alloquutus. Atqui, respondit Basilius, Nondum in Episcopum incidisti.* Præclara omninò vox, quasi alij Episcopi, qui apud Præfectum liberè loqui ausi non erant, non essent veri Episcopi, quia suo munere non fungebantur. Sed vide curnàm Basilius libertatem ostenderet; quia videlicet nihil, quod amitteret, habebat; vix ipsam vitam, cum ob maciem ieiuniorum vix corpore extaret gracillimo, ac tenuissimo. Pergit Basilius, ostenditquè eam loquendi cum Præside libertatem nõ ex arrogantia, sed ex zelo prouenire: *Cæteris quidem rebus, ò Præfecte, mansueti sumus, & omnium abiectissimi: verùm vbi Deus nobis periclitatur, tùm demùm alia omnia pro nihilo putantes, ipsum solum intuemur.* Vides quàm prudentèr loquatur; ostẽdit se humilitatis amãtissimũ, itemq; Dei gloriæ studiosissimũ.

Mira Basilij libertas cum impio præfecto

Libertas Basilij, quia nihil habebat, quod timeret, amittere.

Libertas in Episcopo non ex arrogãtia, sed ex zelo.

46 Quid posteà consequutum sit sanè admodùm notabile subiungitur. Præfectus scilicet Basilij libertate perstrictus, rediens ad Valentẽ ait: *Victi sumus, ò Imperator, ab huius Ecclesiæ Antistite; minis superior est, blanditijs fortior. ignauior alius quispiam tentandus est.* Vide quid agat constantia veri Episcopi, & vt inexpugnabilis sit; nil metuit, qui nihil habet, in quo iacturam faciat. Præfecti dicto cõmotum ait Valentem, ac tantisper cessisse; *Sed ei accidit, quod ferro solet, quod quãuis igni emolliatur, ferri tamen naturam retinet.* Itàque vt Basilium terreret, Epiphaniæ die magno cum fastu ingreditur Templum. Ibi notabile quiddam ei accidit, quod fregit eius audaciã: *Postquàm intus fuit, atque ipsius aures psalmorum cantum non secus ac tonitru quodam personuerunt; populiquè pelagus vidit, omnemq; sacrarij ordinem, & concinnitatem Angelicam potiùs, quàm humanam; ac Basilium quidem ante populum recto corpore stantem, qualem Samuelem scriptura describit, nec corpore, nec oculis, nec animo, perindè ac si nihil noui contigisset, vllam in partem se mouentem, sed Deo, & altari, vt ità dicam, affixum; eos autem, à quibus cingebatur, cũ timore quodam, & veneratione stãtes: hæc, inquã, vt Valẽs vidit, vertigine, ac tenebris totus impletur. Porrò cum dona, quæ ipse diuinæ mensæ offerebat, nemo capere vellet, quod nesciret, an Basilius accepturus esset; tũ verò apertè se vertigo ostendit; ità enim vacillare cœpit, vt nisi eum titubantem sacrarij ministri, supposita manu retinuissẽt, miserè prolapsurus fuisset.* Quid hoc facto admirabilius? propone tibi Imperatorẽ

Valens Imper. templũ irrumpens Basilij aspectu terretur

Psalmodię cantus pro tonitru est Imperatoris audaciã frangens

Cleri ordo concinnitas Angelica est.

cum

cum tota cohorte prætoria magno cum fastu Templum subeuntem. nonnè omnium oculi in ipsum intenti essent? Basilius orans, & stans nunquàm ab altari amouit oculos: immò nec ministri, ac si nemo intrasset, ac solitudo esset: quæ res ità attonitum reddidit Imperatorem, qui putabat se metum iniecturum Basilio, vt in vertiginem inciderit. Vide quid agat opinio sanctitatis, vt formidabilem reddat, & verendũ Imperatoribus ipsis quid suauius psalmodiæ cantu? & tamen persecutoris aures *non secus ac tonitru personuerant*. & pulchrè Chorum psallentẽ, & adstantem Episcopo vocat: *Sacrarij ordinem, & concinnitatem Angelicam.*

47 Pergit in narratione: *Intrà velum Imperator admissus colloquium cum Basilio init. quiddnàm aliud dicendum, nisi Dei voces eas fuisse? hinc Imperatoria elementia principium natum; hæc occasio impressionem illam, non secus ac fluctus fregit*: nēpè de Valente illud dixeris circà Basiliũ; quod apud Iob de mari in littore, & arena: *Hic confringes tumentes fluctus tuos.* Quod autem ait, Basilium inuentum *Deo, & altari affixum*: pulchrius græcè ἐστηλωμένον: instar cippi, vel colũnæ immobilitèr stantis. Tanta pietas, & modestia, & compositio etiam exterior in Episcopo celebrante; & hæc in tanto tumultu persecutorum, vt nec oculos verteret.

Mira Basilij modestia dum celebraret

Iob 38.

48 Quæ Basilij exilium, indictũ à Valente Arianorum instinctu, consequuta sunt, narrat: *Nox aderat; in plausu hostes, in luctu pij. nos viatoris latus cingebamus; sed qui Aegypti aduersus Israelitas fauientis primogenitos percussit, idem Imperatoris filium morbi plaga afficit; illinc exilij tabula, hinc statim morbi decretum.* quamquam is ad preces Basilij liberatur. Sed iterum in morbũ incidente, accersiri Basilium Valens per alios iubet, quod puderet per se, ob iniuriam illatam exilij: *Ille nihil cunctatus, nec, quod alius fortasse fecisset aduersus tempus insultans, confestim adfuit, atque ad eius aduentum statim leuior fit morbus.* Sed hæreticis accersitis, moritur. Vide hìc prudentiam Basilij & ergà Imperatores, licet Arianos, respectũ, & obsequium. accersitus ad nutum adest; nè, si repugnaret, ac venire renueret, Imperator eum sub hoc prætextu odisse videretur, velut maiestatis contemptorem, & arrogantem; cum contra dicat Paulus: *Reges honorificate.*

Basilij obsequium erga Imperatorem licet Arianũ, & hostem

49 Narrat de puella quadam virgine, quæ à viro potenti stimulata, vt nuberet, cum resistere alio modo non posset, confugit ad sacram mẽsam tanquàm ad asylum. Basilius eam tuetur. Præfectus mittit armatos, qui eam repertam rapiant; illi scrutantur omnia loca, etiam cubiculum Basilij, an ibi lateret. Hanc audaciam sic perstringit: *Tu nè domum illius, qui ab omni libidinis motu liber, quem Angeli complectantur, quem vel solùm intueri fœminæ reformidant, scrutari iubes, &c.?* Vide in quãta veneratione esset Basilius, & in quanta opinione castimoniæ, vt mulieres non auderent oculos in eum attollere, licet Episcopum suum. hoc est communem parentem. Vides etiam sacram mensam, & altare asylum, ac perfugium esse pudicitiæ. Illa verò laus, quæ sanè præclarissima est ad Aloysium Gonzagam mirificè pertinet, quem omni motu carnali caruisse ferunt, & qui ob id Angelici nomen sortitus est: *Qui ab omni libidinis motu liber, quem Angeli complectãtur, &c.*

Mira Basilij castimonia.

50 Cum Præfectus Arianus iussisset Basilium coràm se causam agere; stabat ille Christo similis coràm Pilato: *Cunctabantur porrò fulmina, Deiq; gladius adbuc exacuebatur. verbera se inflicturum minabatur, corpus submittebat; ungulis laceraturum: at ille, Ità, inquit, medicinam epati meo afferes magnoperè me vexanti.* De Christi flagellatione multò magis id dici posset, suspensã scilicet de Iudæis interim fuisse Dei vindictam: *Cunctabantur porrò fulmina, Deiq; gladius adbuc exacuebatur*: posteà verò Vespasiani tempore distringendus in stragem. Est autem notabilis, & mira vel in hoc Basilij constantia: quod cum ei minaretur Præfectus, se, & ipsius viscera exenteraturum, & iecur extracturum, Basilius, vt qui iecinore, ob abstinẽtiam, & maciem, admodùm laboraret, lepidè rem excepit: *Nihil, inquit, mihi gratius feceris, quàm si meum aduersarium mihi abstuleris.*

Basilij vox ad Præfidis minas plena constantia.

51 Motum Ciuitatis narrat ex Præfecti minis, & opprobrijs in Basilium: *Ciuitas, vt id quasi commune periculum resciuit, tota furore corripitur, inceditur, ac velut fumo apum examen mouente. certatim omnes insurgũt. nè mulieres quidem tunc inertes fuerunt; radij ipsi hastarum loco erant, nec iàm mulieres, sed virili fortitudine arripiunt Præfectum, &c. quoad in conspectũ prodiens ille Martyr, ac sine plagis victor, populum retinens, illum à periculo liberauit.* Vide affectum omnium ergà Basiliũ, & ipsius lenitatem, & pietatem, dùm populum pro se concitatum placat, & mitigat. rectè item Martyrem vocat paratum mori. Eleganter autem illud de zelo mulierum, qui pro hastis radios textorios acceperunt, iuxtà illud Maronianum: Telum ira facit.

Affectus ciuium in Basilio defendendo.

52 Basilium ostendit ab omni cupiditate, vel opum, vel gloriæ alienum: *Diuitiæ illi erant nihil habere, & Crux, quam maiori pretio habebat, quàm aceruos opum.* Adnotent hoc, qui Episcopatum magni

Basilij paupertatis amor.

reditus affectãt, & ambiunt. facit hoc itẽ ad votum paupertatis religiosorum. Addit acutè *Qui cupit omnia, accipisci non potest; qui autem contemnit omnia, præstat omnibus rebus.* De iactantia verò sic: *Hac mente præditus non opus habuit inani gloria, nec publico illo præconio: Crates Cratetem Thebanum libertate donat: non enim optimus videri, sed esse studebat.* Ideò nec in Diogenis dolio esse cuperet. Crates totam pecuniam in cumulum cõgestam vulgo per præconem accito donauit: cõtra quàm præcipit Christus de faciente eleemosynã. *Noli tuba canere ante te.* De Diogene intrà doliũ cõmorante nota res est, ebrio videlicet superbiæ mareotico.

Abstinẽtia comes castitatis.

53 Progreditur ad cęteras Basilij virtutes. de abstinentia sic: *Qui tanta inedia fuit, penè enim dixerim, carnis expers.* Tùm de castitate huic virtuti cognata: *Magna res est virginitas, & cœlibatus, atque in Angelorum ordine censeri; vereor etiam dicere, Christi, qui ex Virgine gignitur, legislatoris virginitatis: utpotè qua hinc abducit, Mundum hunc præsentem transmittit ad futurum.* Præclarum est hoc elogiũ; quasi enim parum dixisset: *Castimoniam esse in Angelorum ordine.* subiungit: *Vereor etiã dicere, Christi.* quasi aliquo modo casti in superiore quodam ordine supra Angelos sint, & in simili sublimitate, qua Christus Dei, ac Virginis filius. quãtò igitur magis id de ipsa Deipara dixeris? nàm de hac nullum dubium est, quin seorsùm suum ordinem proprium instituat supra ordines Angelicos.

Insigne castitatis elogium.

54 Laudat Basilium, quod cõtemplatiuam vitam iunxerit cum actiua: *Pietatis gymnasium, & monasteria extruens, velut muro quodam interiecto ea distinguens; vt quemadmodùm terra, & mare; ità etiam hæ duæ vitæ commoda inter se communicãtes, ad vnicam Dei gloriam concurrerent.* Præclarus hic locus est de S. Ignatio in primis, qui has duas vitas coniunxit, & cui vnicus finis fuit, maior Dei gloria.

Vita contẽplatiua iũcta actiuæ ad Dei gloriã tendens

Nosocomiũ a Basilio extructum pręfertur sumptuosis veterum ædificijs.

55 Commendat admodùm eleganter eundem de nosocomio ægris pauperibus extructo: *Conspice illud pietatis promptuarium, in quo morbus æquo animo toleratur, & calamitas beata censetur, & misericordia exploratur. Quid cum hoc opere Thebas septem portas habentes? quid Aegyptias illas comparem? quid muros Babylonis, & Mausoli sepulchrum, & pyramides, & colossi æs immensum, & delubrum miræ magnitudine, & arte perfectum? iàm euersa, & prostrata, ex quibus præter inanem, & exiguam gloriam nulla vtilitas redijt.* Pulchrè, ac rectè pręfert hoc nosocomiũ, hoc est *pietatis promptuarium* septem Orbis miraculis, Dianæ Ephesiæ templo, ipsi Rhodio Solis colosso, &c. maius enim

Nosocomium pietatis promptuariu est.

hoc miraculum, quod tanta ægrotorum cura haberetur, vt illi ministrantium solertia, & pietate victi, morbi vim patientèr sustinerent; & vt viri primarij, quod hoc tempore quoque fit, in eo opere se exercerent. Itàq; rectè subiungit: *Mihi quidem nulla res adeò admirabilis videtur, & compendiaria ad salutem via, & tàm facilis ad Cœlum ascensus.* Facit hoc maximè pro Camilli laude, qui pręclarum Ordinem suum instituit ad ægrotorum curã. Addit illud sanè notabile de Basilio: *Nè labia quidem vir nobilis, & nobilibus ortus, gloriaquè clarissimus, ægrotis admouere grauabatur; amplectebatur, vt fratres, leprosos deosculabatur.* Insignis hic locus est de Francisco Xauerio, qui ex nobilissimo genere ortus cum esset, non solùm labia admouit ægrotis, sed aliquandò ex ipsis eorum vlceribus fœdam illam saniẽ generoso haustu exsorbere potuit. Deniquè vide quò impendebant Episcopi sumptus, ac reditus Ecclesiæ, in ædificandis nosocomijs, vt hic; vel in templis, vt Pater Gregorij.

Basilij ergà ægrotos affectus.

56 In eos inuehitur, qui taxabant Basilium, quasi à communi familiaritate remotiorem: *Ideò nè tibi non placet, quia non facetus, non circumforaneus? nisi quis leonem etiam accusandum putet, quod non simiæ vultum, sed toruum quendam, & horrificum, ac regium præferat; cuius ipsa quoque saltationes fortes, & generosæ sunt, & cum admiratione iucundæ.* Pulchrè Basiliũ leoni comparat ob generosam indolem, quales Episcopi esse debent; puto autem alludi ad Basilij nomen, quod græcè, regium, significat; sicut & leo *regium quiddam vultu præfert.* Et stella in leonis corde regia dicitur. Sed addit: *Quamquam quis illo in cœtibus iucundior? quis in narrando festiuior, argutior? quis in obiurgando lenior?* Vides vt non repugnet grauitati placiditas, & vrbanitas. Mundani, nisi cum ipsis garrias, & scurrilia proferas, te natura tristem, tetrum, & misanthropõ dicunt; quibus cum Accio respõdeas: Vos nugas affertis, nos seria loquimur.

Basilius cũ leone collatus.

Basilius & seuerus simul, & suauis.

57 Transit pulchrè ad his maiora de Basilio: *Sed adhùc in montis radicibus versamur; adhùc fretũ traijcimus, relicto magno, & profundo Oceano. sic existimo: si qua vnquàm tuba fuit longissimè resonans, aut vox Dei totum Orbem comprehendens, aut totius terræmotus nouo quodam, & inusitato modo exortus, hæc omnia vocem illius, ac mentem fuisse.* Elegãtèr amplificat, quod etiam si hactenus præclara de Basilio dixisset, tãta tamen est eius sublimitas perfectionis, vt adhùc ad radices montis sit positus. Referri hoc meritò potest ad eũdem Xauerium, cuius prædicatio *tuba fuit longissimè resonãs, aut vox Dei totum*

Basilius tuba toto Orbe circumsonans.

Or-

Orbem comprehendens. Item terræmotui ingēti similis, quo tot idolorum templa concussa corruerunt; ad quem etiam pertinent suo modo sequentia.

58 Cum Sole planetarum principe Basilium elegantèr comparat: *Laudatur à Dauid Solis magnitudo, & pulchritudo, & celeritas & vis; quippè qui splendore sponsum, magnitudine gigantem refert, ac longè, latèq; progrediendo, ab extremis extrema collustret, nec feruor locorum spatijs minuatur. Basilio autem pulchritudo, virtus fuit; magnitudo, theologia; cursus, perpetua virtutis agitatio, per quos diuinos ascensus ad Deum fertur, vis, doctrina.* Et sicut Sol vbiquè terrarum notus; ità ille fama, ac nomine. Huc refer illud de Simone Pontifice: *Sicut Sol refulsit in templo Domini.* Pertinent autem hæc etiam ad S. Thomam Aquinatem, quem meritò effingunt cum Sole in pectore: quatuor enim ista, quæ enumerat de Sole, in eo præclarè insunt. pro pulchritudine, virtus; pro magnitudine solaris corporis, theologię amplitudo; pro celerrimo cursu, eius ad Deum per contemplationem velocissimus raptus; deniquè pro vi, & efficacia Solis, efficax argumentatio, & rationum robur; quot articuli, tot ardētes radij. Porrò eadem quatuor si ad Xauerium referas, erit pro pulchritudine virtus eximia; pro magnitudine magnanimitas in periculis, & ampla capacitas etiā noui Orbis; pro celeritate cursus incredibilis, quo tot regiones vltrà Oceanum peragrauit tam breui tempore; vel ecstases intellige, quibus ad Deum celerrimè rapiebatur; deniquè pro vi, & ardore radiorum, vel charitatem eius eximiā, vel efficaciam, & splendorem miraculorum. nihil magis est vitale, quàm Sol; cogita quot ille à mortuis reuocauit, quot ægris vitam prorogauit.

Basilius cū Sole collatus.

Eccl. 50.

59 De Basilij libris sic: *Quæ nūc Principum, & priuatorum deliciæ? quæ eorum, qui vel prophana, vel nostra disciplina studium profitentur, nisi illius volumina, & lucubrationes? silentur vetera ab alijs elaborata, noua prædicātur.* Nota, libros Patrū etiam apud Principes in delicijs habitos, & lectitari solitos; nunc nonnisi libelli de politicè agendo, de rebus equestribus, nè dicam, amatorijs, atquè obscęnis, amantur, ac lectitantur. Porrò hæc laus ad Thomæ Aquinatis Theologiam maximè pertinet, quæ in omnibus Academijs, & gymnasijs personat.

Libri Basilij etiam apud Principes in delicijs.

60 Item de Basilij libris sic: *Hoc tantùm de eo dicam, cum Hexaemeron illius in manus sumo, cum Creatore coniungor, ac magis Conditorem admiror, quàm cum solo aspectu magistro vtebar.* Nota, quod ait: licet in eo libro elegātèr res creatas Basilius commemoret, tamē non inani eloquentia lectorem tenet, sed attollit animum ad Cōditorem earum. pulchrè autem Mundi ipsius aspectum magistrum dicit, quasi doceat, quis, quantusquè sit Conditor; nihilominus maius in eius libello magisteriū cōtineri ait: Addit prçclarè: *In libris calamum, quasi ex Spiritus pyxide mouet.* Refer hoc ad Thomę Aquinatis libros, quibus pro auctoramēto illa Xpi vox est: *Benè scripsisti de me, Thoma.*

Basilij libri de creatione ad Creatoris amorem excitant.

Mūdi aspectus magisterium de conditore continet.

61 Comparat Basilium cum summis viris. Obseruantior fuit, quàm Adam: *Nec dubito, quin flammeam rhompheam prætergressus ad Paradisum peruenit.* græcè φλόγινον splendentem, & ardentem; qui color etiam numeratur inter lapides pretiosos; puto indicari, sine vllo ignis purgatorij cruciatu Basilium beatitatem cōsequutum fuisse, cum nihil purgandum ignis inuenerit, ac rectà in Cœlum euolasse; ac reor ideò rhomphęam illam versatilem dici, quia purgatorij ignis non est æternus. ardere autem instar pyropi, quia pretiosas animas in statu gratiæ tāquàm aurum probat, ac purgat.

Purgatorij ignis per flammeam rhomphæā significatus

Basilius immunis à purgatorij flamma.

62 Pergit Basilium conferre cum priscis heroibus: *Enos primus adductus Dominum inuocauit; at hic etiam alijs prædicauit. translatus Enoch vitæ sequentis effugit periculum: huius verò vitæ cursus nihil aliud, quàm translatio erat; qui in via perfecta probatus & exprobatus fuit.* Præclara Basilij laus, vt tota vita, cū in terra degeret, supra omnia terrena esset, mente videlicèt sublimi euectus ad supera. Illud autem de Enoch notabile certè est, post tot vitæ annos, tàm sanctè traductos, subtractum periculo peccandi, nec tutum fuisse post tàm diuturnum habitum virtutum; quis igitur de se confidat? mirum, inquam, dictum: *Facti sunt omnes dies Enoch trecenti sexaginta quinque anni*; annus fuit pro die, si Solis cursum considerès. subiungit: *Ambulauitq; cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Dominus.* & tamen ad hunc refertur illud: *Raptus est, nè malitia mutaret intellectum eius.*

Gen. 4. & 5.

Eccl.

63 Transit ad cæteros: *Noe arcam fidei sua commissam excepit, & secundi Mūdi semina. Hic autem suam Ciuitatem arcam salutis effecit, hæresum vndis supernatantem.* Vide quid Episcopus agere debeat: Ciuitatem, cui præest, Mundi naufragio eripere. Cogita quàm accuratè arca illa iuxtà Dei præscriptum extructa sit; quàm castè toto illo tempore, nonmodò ipse cum liberis, sed animalia quoquè vixerint; itē quàm pacatè, & quietè, etiā si diuersi generis. denīq; supra montium summitates collocata recubuit.

Episcopus quasi Noe, Ecclesiam velut arcam inter fluctus regens

64 Confert & cum Abraham sic: *Magnus Abraham nouam victimam offerre*

pa-

paratus, & ad filij cædem properans. at hic seipsum Deo obtulit; nec quisquam est substitutus in eius locum, tanquàm ipsi par, quia enim par inueniri poterat? sed plenè, perfectèq; litatum est. Vide in quo sit excellentia sacrificij, cum quis seipsum per mortificationem immolat Deo.

Basilius cũ Abraham collatus.

65 Confert item cum cæteris Patriarchis: *Iacobi scalam, & columnam quam laudo quam Deo vnxit; eius præterea cum Deo colluctationem, & circa ouium greges artificium, & felicitatem at huius non conspectam tantùm, sed per quotidianos virtutum gradus conscensam scalam laudo; & columnam, quam Deo erexit, impiorum dogmata ad eorum probrum inscriptam continentem, eamq; dimicationem, quam non in Deum, sed pro Deo suscepit; ac pastoralem eius artem, ex qua locupletatus est, plures oues insignitas, quàm signi expertes adeptus.* Pulchrè, & acutè pro scala in Cœlum erecta Basilio fuisse ait ascensum mentis in Deum, non aspectu solo, sed cum ascensus labore. Pro columna, sic enim lapidē vocat, quem Iacob ceruicibus suis posuit, ac deindè erexit in titulum, fuerunt scripta Basilij, quibus hæreticorum dogmata persequitur, sicut in columnis inscribi solita facinorosorum hominum crimina, vt habes apud Demosthenem. Pro lucta cum Deo, fuit lucta pro Deo scilicet, cum Valentem Imperatorē Arianum domuit, &c Pro abundanti grege peculiari signo notato, grex Cæsariensis Ecclesiæ virtutibus insignitus.

Basilius cũ Iacob collatus.

Scala Iacob Basilij ascensus mentis in Deum.

Lapis Iacob erectus in titulum instar columnæ scripta Basilij contra hæreticos.

66 Pergit ad alios veteris testamenti viros eximios: *Similis & Mosi fuit, hæreticam nationem plagis spiritualibus excrucians, &c. Similis & Iosue, vt Dux eorum, qui salutem per fidem consequuntur. ac si Samuel ante natiuitatem donatus, & post natiuitatem consecratum sacerdos & Reges, & Sacerdotes vnxit; hic & ab ipsa natiuitate Deo consecratus, & vnctor eorum, qui ex spiritu perficiuntur.* Vide quid sit alios iustos facere, tanquàm Reges, & Sacerdotes inungere. facit hoc pro tyronum magistris, qui veluti spirituales aliptæ sunt.

Basilius collatus cũ Mose, Iosue, & Samuele.

67 De Dauid sic: *Dauid, cuius tũ multa de hostibus victoria, ac triumphi proditi sunt, tùm præcipuum decus, & ornamentum mansuetudo fuit, & vi citharæ malũ spiritum incantans. Basilius Imperatorum quoque, qui dæmonum intemperijs agitabātur, furorem emolliijt.* Nota primò mansuetudinem præferri victorijs, ac triumphis: deindè vide quid sit mundus. qualis Saul fuit. serpens scilicet est quidam venenatissime arreptitius, quem cithara orationis, ac Dei laudū incantare oporteat, nè noceat. huic comparat Valentem hæreticũ Imperatorem. Tùm confert cũ Salomone sic: *Ad Eum nõ vt ad Reginã Austri, quidam tantùm homines sapientiæ fama commoti se contulerunt, sed omnibus Orbis finibus sapientia ipsius innotuit.*

Basilius cũ Dauide, & Salomone collatus.

Mansuetudo vincit triumphales.

Inuidia incantanda et serpēs oratione, & cithara.

68 Pergit conferre cum alijs: *Heliæ libertatem orationis aduersus Tyrannos, eumque per ignem raptum laudas? Huius quoque vitam lauda in igne traductā, idest, tentationum multitudine, ac salutem per ignem partam: ardentem quidem illum, sed non vrentem; quod de admirando illo rubo dicitur.* Ad hunc ardentem zelum refer illud: *Surrexit Helias, quasi ignis ardens, & vox eius tanquàm facula ardebat.* pro stipula hæretici fuerunt. Sed quoniam Gregorius hoc de igne tribulationis intelligit; vide quo curru igneo ascendendum sit in Cœlum: ità Helias ab Achab, & Iezabele vexatus; sed ignis ille persecutionis in currum splendidum triumphalem ei cessit. iuxtà hunc de igne sensum addit: *Mitto rore perfusos in flammis adolescentes, &c.*

Basilius cũ Helia collatus.

Eccl. 48.

69 Transit ad collationem cum Helisæo: *Helisæi pulchram hæreditatem meliorem illam, quam Heliæ spiritus, comitatus est.* Nota, hæreditatem vocat, duplicem spiritū ab Helia relictum Helisæo; Quod certè miratur Ambrosius, vt plus hæres petierit, quàm esset patrimonium, adeò spiritus accipiendi auidus erat Helisæus. præter hos Danieli quoquè in lacu leonum Basilium comparat. vbi vides quid sit inter hæreticos versari. sed illi nihil ausi contra prophetam, hi semper irruguiunt, ac sæuiunt in Catholicos; quamquā Basilius egregius horū domitor fuit, Hercule maior, qui Nemeaū leonē vicit.

Basilius cũ Daniele in leonum domitore collatus.

70 Confert cum Iona: *Mitto in ventre ceti precantem Prophetam fugitiuum, atq; ità ex bestia quasi thalamo prodeuntem.* Pulchrè dictum, Ionam ceti ventrem non exhorruisse, quasi sepulchralem vrnam, cum potius pro thalamo illi fuerit, vt disceret esse in peccatores mitior; ità Basilius in persecutione securus, ac tantùm Deo vacans, iuxtà illud Beniamin elogium: *Amantissimus Domini tanquàm in thalamo morabitur*, & vt de Sole dicitur: *Ipse tanquàm sponsus procedens de thalamo suo.* quòd multò magis ad Christum è sepulchro prodeuntem pertinet: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti, sic erit Filius hominis in corde terræ.* porrò in eo thalamo pro epithalamio Ionæ preces fuerūt; pro sponsi corona iunci marini, vt patet ex hebræo, quibus circundatus, & quasi coronatus est. Deniquè notandum est, Ionā è portis oppidi Ioppen soluisse, vbi Andromede Æthiopum Regis filia belluæ marinæ, fictè ceto exposita, & Persei thalamo iuncta, qui eam liberauit. sed puto fabulā à vera historia Ionæ ortū habuisse, vt veteres in alijs quoq; imitati sūt nostra.

Ionas ex ventre ceti quasi ex thalamo prodijt.

Deut. 33.

Psal. 18.

71 Con-

71 Confert Basilium etiam cum Ioanne Baptista: *Ioannes Iesu prodromus, ante quem & in vtero exsilijt, & transmissus ad Inferos per Herodis furorem, vt illis mox venturum prædicaret.* Nota, cur permissus sit ante Christum mori, ad solatium scilicet Patrum, vt nunciaret proximam liberationem. prodromus græcè est præcursor. Basilium quoque ait, solitudinis fuisse amicum, vt Ioannes fuit. addit tamen non hoc se dicere, vt Basilium illi adæquet, sed vt imitatorem ostendat. Vbi vides quàm cautè, ac prudentèr comparationes inter Sanctos faciendæ sint.

Basilius cũ Ioanne Baptista collatus.

72 Transit ad Apostolos: *Non vt Paulus ab Hierosolymis tantum vsq; ad Illyricum, sed maiorem circulum Euangelij comprehendit.* Facit hoc pro Indiarum Apostolo Xauerio, Oceanum prætervecto quàm longissimè in nouum Orbem. De Ioanne vero Euangelista sic pulchrè: *Filius tonitrui non nominatur, at efficitur; atquè ad Iesu pectus positus, illinc vim dicendi, & sententiarum profunditatem hausit.* Vide vndè scientia comparanda sit. Addit deniquè: *Stephanus fieri parato erat animo, sed prohibitus reuerentia, compresso lapidantium impetu.*

Confertur & cũ Apostolis, & cũ Stephano.

73 Excellentiam Basilij virtutũ ostendit: *Bonarum rerũ alias inuenit, alias imitatus est, alias etiam superauit. tanta verò illius virtus, & gloria præstantia fuit, vt multa et ex paruis eius virtutibus, atq; adeò ex corporeis defectibus ab alijs ad gloriam, nominisq; claritatem parandum excogitata sint; cuiusmodi sunt pallor, certus incedendi modus, cogitabundum, atque intrò collectũ esse: quod multi non rectè imitantes in odiosam quandam tristitiam inciderũt, quæ ille nihil dedita opera, sed simplicitèr factitabat; ac multos iàm Basilios, specie vnum videre licet, imagines nimirùm in vmbris. multum enim fuerit, si repetitam echus vocem dixeris; nam illa quamuis postremam dumtaxat vocis partem, expressius tamen effingit. hi tamen longius ab eo distant, quã quantum accedere affectant.* Vide primum quantum auctoritatis habeat sanctitas, vt exterior ipsa species affectetur ab ijs, qui iusti videri volunt. sic Alexandrum vultu in Cœlum intuentem, & inflexo in alteram partem collo amici imitabantur; & Aristotelis discipuli eius balbutiem. Sed rectè notat; in ijs, qui intrinsecus perfecti non sunt hæc affectata, & putida videri; nec vt veram effigiem, sed adumbrationem esse; nec vt veram vocem, sed minus quàm echo; nàm hæc licet non totam referat dictionem, tamen vltimam certè partem perfectè refert. Tùm vide quàm seriò ageret Basilius, cuius erat propriũ, *cogitabundum, atq; intrò collectum esse.*

Basilij mores & sensus habitus affectatus à multis, sed ineptè.

Imitatio alienæ virtutis, vt vox in echo.

74 Ostendit quanta apud alios existimatione Basilius esset: *Illud maximi momenti ad gloriam existimabatur, consuetudinem cum eo aliquandò habuisse; aut quippiam ab eo dictum, vel factũ monimenti loco ferre; nàm quæ ab illo obiter fiebant, multò præstantiora erant, quàm ea, in quibus alij elaborant.* Præclara sanè laus, vt ea ipsa, quæ obitèr, nec data opera agebat, tanti fierent, vt multum in eo ponderis, atquè consilij alij reperirent. Ad eius autem consuetudinis decus pertinet illud, quod de Helia dicitur: *Beati sunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt.* Supra eum cum Helia comparauit.

Basilij pręclara existimatio apud alios.

Eccl. 48.

75 Transit ad felicem obitum Basilij: *Cum resolutionis tandem desiderio teneretur, tempusq; coronarum instaret, atque illud quidem, quod Moysi dictum est, non audiuisset: Ascende in montem, & morere; sed potiùs, Morere, atque ad nos ascende; cum prope exanimis esset, circa extremos sermones robustior fit, vt cum pietatis verbis absederet.* Acutè adnotat discrimen: nàm Mosi non intraturo terram promissionis à Deo dicitur: *Ascende in montem, & morere;* at Basilio: *Morere, & ascende ad nos.* Deum scilicet visurus, & Cœlum tibi promissum adeptus. Nota etiam, vt prȩsertim in morte de diuinis tantùm loquẽdum sit; vt ex hac vita ad aliam: *Cum pietatis verbis abscedamus.* ideò noster Aloysius Gonsaga tùm nè indifferentes quidem sermones admittebat.

Basilij mors felicior, quàm Moysi.

Basilius morti proximus diuinis sermonibus intentus.

In fine pręsentis vitæ non nisi de diuinis loquendum.

76 De eius funere sic: *Efferebatur vir sanctus sanctorum manibus; quisque verò contendebat, alius vt fimbriam, alius vt vmbram, aut pheretrum attingeret.* Magnum, & præclarum hoc est, quod de vmbra Basilij dicit; nàm maius quodammodò videtur vmbram emortui salubrem, & vitalem fuisse quàm vmbram Petri viuentis; sed puto id indicasse, vt eum imitando sequerentur, sicut vmbra corpus. Addit de incredibili frequentia ad pheretrũ: *Multi vi compressionis in turba vitam excesserunt, qui felices ob id prædicati sunt, vt discessus ipsius socij, atque vt feruentiorum quispiam dixerit, funebres victimæ.* grecè θύματα ἐπὶ τάφῳ, hoc est hostię immolatæ & incensæ apud sepulchrum. Nota quid in encomio ponat, quod quasi sinistrum potiùs silendum putares; sed nimirùm sinistra, & infausta non sunt, quæ accidunt in aliquo pio opere versantibus. Deus naturalium rerum cursum non impedit, sed dirigit ad finem bonum. Nuper in Vesuuiano incẽdio, & in Calabriæ terræmotu, qui ad templa confugerant, oppressi sunt, sed tanquàm deuotæ Deo victimæ ad aras conciderunt. adeò vel sinistri casus, si pro pietate acciderint, pro dexteris habendi sunt.

Basilij funus quàm piè celebratum.

Sinistri casus, si pro pietate acciderint, dextera sunt.

77 De Basilij post mortem protectio-

ne sic per apostrophen. Non omninò nos destruisti; intercedis apud Deũ pro tuis: *à quo nunc quoque per nocturnas visiones admoneor, & castigor, si quando ab officio recessero*. Præclarus hic locus est de immortalitate animi: sicut de cœnobiarcha illo Theodosio legimus, qui post mortem Successori suo monita dabat circà cœnobij gubernationem. Vides igitur, vt Sãcti pium ergà nos affectum in Cœlis seruent.

Sancti post mortem affectum ergà nos piũ seruant

78 Quid in hoc encomio Basilij spectarit Gregorius, exponit. *Illius vitam oratione depingo, ac salutare omnibus exẽplar propono, in quod velut in viuam quãdam legem intuẽtes, vitam dirigamus. Habent qui Thronis insident, legislatorem; qui Rempublicam gerũt, Principem; literarum studiosi, Præceptorum; Virgines pronubum, seù nymphagogum. habetis solitarij, qui vobis pennas addebat, &c.* Pulchrè ostendit Basilium propositũ esse omni generi hominum, vt exemplar; ac vide quid sit proprium Prælati, quasi pennas accommodare suis subditis, præsertim si religiosi sint, vt se à terrenis abstrahant, & mente ad Deum euolent.

Basilij virtutes omni hominum generi ad imitandum propositæ

79 Deniquè Basilium sic piè compellat. *E Cœlo nos respice, & carnis stimulum ad disciplinam datum, vel sistis precibus, vel fac, forti animo perferamus*. Vide quid maximè à Sanctis petendum sit, castitatis scilicèt donum, præsertim cum supra dixerit, Basilium, dùm viueret, *carnis motu liberum*. Pro stimulo græcè est σκόλοψ, ac propriè σκόλοψ est palus acutus, siuè aculeus corpori impactus. Huic stimulo noster Aloysius Gonsaga, opposuit alterum stimulum, hoc est, equi calcar impactum lateri, nouum cruciamenti genus. Quod autem ait, hunc carnis stimulum datum *ad disciplinam*, græcè est παιδαγωγίαν, quasi pedagogus sit monens, obiurgans. quis se castimoniæ magistrum iactet? quando Christus Paulum ipsum, licet inuitũ, sub huius pędagogi disciplina esse voluit, & præclarum illud caput colaphis subdi siuit? *Datus est mihi stimulus carnis meæ*. sed datur simul tutrix gratia. Habes hìc, Lector, qua ratione contexenda sit oratio panegyrica, vel funebris.

Continẽtia à Sanctis petenda.

Ex Oratione XX. De S. Athanasio.

1 ARgumentum huius laudationis quàm sit eximiũ, ostendit: *Athanasium lauadãs, virtutem laudabo, quoniam virtutes omnes in vnum collectas tenebat, &, vt verius loquar, tenet: Deo enim viuũt, qui secundùm Deum vixerunt*. Præclara sẽtẽtia, ideò dicit se Deũ Abrahã, &c. qui titulus inanis esset, nisi illi verè viuerent.

Deo nunc viuunt, qui secundùm Deum vixerunt.

2 Pulchrè Deum, quasi intelligibilem Solem dicit: *Cum multa, & magna sunt, quæ à Deo dantur, tùm hoc maximum, ad Deum propensio, cum eodemq; coniunctio; nam quod rebus in sensum cadentibus est Sol, hoc in rebus, quæ animo, & ratione intelliguntur, Deus. Sol ità tribuit alia visu percipi, vt ipse interim omnia pulchritudine antecellat; Deus item alia sic dat intelligi, vt ipse intelligibilium omnium summus sit vertex, quo nihil sublimiùs; quò cum peruenerimus, conquiescit omnis speculatio*. Rectè maximum donum Dei dicit, habere animum affectu quodam inenarrabili in ipsum propensum, quia dùm vnitur cum Deo, quasi in Deum transformatur. acutè autem adnotat de Sole, cum ità alia facere visibilia, vt se visibilium pulcherrimum ostenteret: ità Deum, &c.

Deus quasi Sol intelligibilis.

Magnũ Dei donũ, quod excantianimum propensum ad Deum.

3 Athanasij ex morte felicitatem cõmendat. Corpus, siuè nubem, siuè velum quoddam esse ait: *Beatus ille duplici nomine tùm quod hinc sursum ascenderit, tùm quod Dei portionem sit consecutus*, hoc est, euasit è malis nostris, & summum bonum adeptus est.

Felicitas iusti per mortem.

4 De Antonij vita, quam Athanasius scripserat, sic: *Scribens Antonij vitam, monasticæ vitæ præcepta tanquam lata lege promulgat*. Elegantèr quasi præconem facit Athanasium non modò virtutum Antonij, sed legis à Religiosis seruãdæ: quasi enim viua lex horum fuit Antonij vita.

Antonij vita quasi viua lex religiosæ disciplinæ.

5 Pulchrè cum laudat, quod coniunxerit contemplatiuam vitam cum actiua: *Ditatus est contemplatione, ditatus item vitæ splendore; catenam verè auream, quæ à plerisque minimè necti potest, mirifice cõtexuit, vtens ea vita duce ad contemplationem, & contemplatione vitam obsignans*. Rectè vitam actiuam splendidam appellat ob lumen actionum præclarè alijs innotescentium, iuxtà illud: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, &c.* rectè item theoricam, siuè contemplationem quasi sigillum, & signaculũ dicit; græcè σφραγῖδα quasi signatoriũ anulum, vel gemmã, tùm quia quasi Regis imagine vita insignitur Deo intẽta, tum quia contemplatio tacito quodã silentio virtutes quasi signaculo claudit, ac seruat. Sed nõ potuit elegantiùs vtriusquè vitæ nexus explicari, quàm nexu aureorum orbium, & circulorum in catenã. Vides quàm laudabile sit inter cætera, institutum Ignatij, qui vtramquè vitam innexuit, aureamq; catenam istam præclaro contextu perfecit? ità enim suos ad aliorum salutem actuosè incumbere voluit, vt biennium integrum tyrocinij, ac post absoluta literarum studia rursùs annum soli Deo vacarẽt, prẹter annuas spiri-

Nexus vitæ actiuæ, & contemplatiuæ aurea catena est, pulchre contexta

rita-

ritales exercitationes ab omni alia cura seclusas. Hanc porrò verius auream, quã illam Gallici Mercurij, siuè Herculis catenam dixeris, qua ingens hominũ multitudo attrahitur. hanc item veriùs quàm alteram illam Homericam catenam auream, quam Plato Solem omnia comprehendentem interpretatur. adeò, quod cũ omni humilitate dictum sit, hæc aurea Ignatij catena ex vtroq; vitæ genere pulchrè contexta totum, vel ad pietatem, vel ad fidem attraxit Orbem, etiam nouum.

Timor Dei primum incunabulum vitæ spiritalis.

6 De Dei timore sic: *Timor Domini velut primum incunabulum est.* Græcè est σπάργανον, quod propriè significat fasciã, qua infãs inuoluitur. pulchrè igitur huic infantili fasciæ Dei timor cõparatur, qui quasi teneros, & infirmos artus constringit, & quasi modò genitos infantes, simplices sine dolo ad vbera nutricis Gratiæ admouet: sic.n. eam appellat scriptura: *Omnia nutrici Gratiæ tuæ deseruiebant.*

Sap.

Episcopatus rudi cõmitti non debet.

7 Modum ostendit, quem Athanasius in Episcopatu administrando tenebat, & quàm dignè acceperit: *Non vt quidam, qui nihil priùs ad Sacerdotium attulerunt, discipuli simul, magistriq; pietatis effecti; quorum non mores dignitati, sed dignitas moribus fidem astruit.* Rectè ambitiosos taxat, & in rebus diuinis adhuc discipulos rudes, repentè ad magisterium tantæ virtutis euectos. nempè Episcopatus non rudimentũ, sed magisterium est pietatis.

8 Commendat in Athanasio etiam oris ipsius habitum: *Facie Angelicus, animo magis Angelicus* Preclara sanè laus digna Thoma Aquinate adolescente, digna Bernardino Senensi, &c. in quibus pudor, ac modestia quædã virginalis elucebat è facie; qui & intus erãt toti cœlestes: Ambrosius quoq; de Iosepho ait: In eius actibus lucet pudicitia, & quidam splendet castimoniæ comes, nitor Gratiæ.

Increpatio, ac laus quomodo facienda.

9 Prudentiam, & moderationem animi in hoc agnosce: *Increpatio paternam charitatem, & laudatio imperio dignã grauitatẽ obtinebat; in illo placidus, in hoc erudiendi vim habens.* Haud parua laus est, se in patrem, iudicemq; partiri. & notã, laudationẽ omni affectatione carere debere.

10 De Athanasio cum multa dicenda essent, alia alijs relinquit, sibi partes deposcit laudandi contra Arium zeli: *Florebãt res nostræ, cum superflua hæc, & verborum arte fucata tractãda Theologia ratio aditis nõ haberet. sed idẽ erat calculis ludere, inuersionis celeritate oculorum obtutum fallentibus, aut omnigenis, & lasciuis corporis flexibus spectatores ludificare.* Vide fraudem hæreticorum, qui res Theologicas verborum fuco, & fallacijs tegentes, alios seducunt, quos rectè circulatoribus, & præstigiatoribus comparat, qui

Hæretici circulatorũ, ac præstigiatorum more fallũt

dolosa quadam arte, aliud quàm est in re, oculis imponẽtes, ostentant: quò spectat, quod addit: *Postquàm Sexti, & Pyrrhones in Ecclesias irrepserunt, quodquè de Atheniensibus dicit scriptura, ad nihil aliud vacamus, quàm vt noui aliquid dicamus, vel audiamus; quis deplorãdo calamitates æquare possit?* Vide vndè fiat lapsus in hæreses, dùm scilicèt nimis sagaci, imò audaci ingenio noua volunt comminisci, nec Apostolica, veterumq; Patrum doctrina contenti sunt. Ego Pyrrhones istos potiùs pythones meritò dixerim, ob hæreseon venena, quæ spargunt.

Hæretici nouatores — *Act.7.*

11 Arium sic execratur: *Huic furori Arius ille, à furore nomen habens, initium dedit, Iuda instar disruptus.* Digna vltio, nàm vterquè proditor, ille Christi, hic fidei de Christo Dei filio: vterq; effusis visceribus crepuit medius: quippè pietatis viscera neuter habuit, neq; ille ergà Christum parentem, neq; hic ergà Ecclesiam matrem. rectè adnotat Arij etymon; nàm ἄρης grecè propriè Mars est, & furor bellicus: quàm strenuus igitur bellator, & dux Athanasius, qui Martem ipsum impium vicit? Huc facit præclarum, quod addit elogium: *Athanasius magna illa veritatis tuba.* Nempè eadem tuba, & veræ doctrinæ legẽ promulgauit, & Marti ipsi, hoc est Ario quasi fatale bellum indixit. Deindè hæreseon impietatem ostendit circà diuinas personas: *Cum perspectum haberet Athanasius, tria hæc in vnum contrahere impij erroris esse, ac Sabelliani dogmatis; quippè Sabellius primus diuinitatis contractionem excogitauit; & rursum tria quãtum ad naturam distrahere nihil aliud esse, quàm portentosam diuinitatis sectionẽ introducere, &c.* Rectè portentum exitiale vocat impium Arij dictum, dum filium à patre secernit natura; & quasi parricidali gladio secat, ac diuidit Deum.

Arius à Marte, ac furore dictus.

Athanasius magna veritatis tuba.

Arij portẽtosa diuinitatis sectio.

12 Auctoritatẽ Athanasij adhùc priuati ostendit. Nondùm erat Episcopus: cum hæreticos persequi cœpit: *Nàm is tũc erat rerum status, vt non minus virtute, quàm graduum dignitate, hominis præstantia censeretur.* Præclarum censuræ genus, quo in rectè dictis, ac factis personæ potiùs ratio habetur, quàm dignitatis. priuati homines è nostra familia erant Lainez, & Salmeron, nullis Ecclesiasticis titulis insignes, qui tamen in Tridentino Senatu non sine admiratione doctrinæ auditi sunt.

Virtus plus æstimanda, quã gradus dignitatis.

13 Accedit ad persequutiones in Athanasium ab Ario excitatas: *Cum hoc malũ praui illius follibus excitatum, atq; inflammatũ esset; hinc enim tragœdiæ illæ initium capiunt, quarum fama terram, ac mare impleuit, varium Athanasio, ac multiplex, vt strenuo fidei defensori bellum infertur. So-*

Arius follis incendij in Ecclesia.

lers quippè, & ingeniosa est ad excogitanda mala impietas, & ad aliquid aggrediendum mirè audax. quomodò autem hominibus parcerent, qui diuinitati non pepercerant? acutè arguit, mirum non esse, quod Ariani viros rectè sentientes persequerentur, cum persequutores essent ipsius Dei filij, quem è paterno throno deiecerant.

Cōmunitas dānari non debet ob vnius scelus

Arium quasi follem dicit, superbiæ videlicet vento tumidum os habentem, & excitantem hæreseos immane incendium, & quasi flabellum seditionis. rectè tragœdiæ feralis auctorem vocat; nec tamen vituperandam illius patriam dicit, si improbum hunc nacta ciuem: *In vinea quoque spina nascitur, & Iudas inter discipulos proditor fuit.* Nota similitèr, non esse dandum toti religioni cuipiam opprobrio, si quis fortè quantumuis probrosè labatur. tùm affert prouerbium: *Quamquam alij tragœdiæ huius auctores essent, manus tamen Absalonis, vt dicitur,* hoc est eius opera maximè in hoc valuit; Absalon paricida consilio, & voluntate monumentum marmoreum sibi viuens excitauit nobile. quod vocauit, *Manus Absalon*. Non tamen ibi magnificè sepultus, sed occisus, in foueam proiectus, & lapidibus rudibus obrutus.

14 De aduersitate iustorum in hac vita sic: *Deridentur hic iusti, & in impiorum manus incidant, vt virtus exploretur tantisper, dum Dei benignitas occultatur; at magna earum rerum promptuaria, quæ in posterum reconditur, quousquè ilia, quæ apud ipsam condita, & obsignata sunt, proferat.*

Dei arcanum vt iusti virtus per aduersa magis elucescat

Pro promptuarijs græcè est ταμιεῖα, hoc est cella penaria, vel loca abdita thesaurorum, obsignata anulo: talia sunt Dei iudicia, reseranda in fine sæculi: audaciæ est, nunc eò inferre se velle. exemplum in aduersis affert Iob: *Ipsa vxor id agebat, vt ad corporis vulnus, animæ vulnus accederet, &c. quid verò is, qui aderat, & per turbinem, & nubem oracula edebat? in fine certaminis illustri præconio athletam suum victorem pronunciat, atque afflictionis arcanum exponit: Num tu censes, inquit, me aliam ob causam hæc in te decreuisse, quam vt iustitia tua elucescat? Hæc corona certaminis, non quæ deindè secuta sunt, parua fortassè, licet cuipiam magna videantur, quod receperit duplo maiora his, quæ amiserat.*

Iob premium fuit non secuta prosperitas, sed declaratio virtutis athleticæ.

Iob 40.

Pulchrè ait, non fuisse præcipuum præmium Iob, quod omnia ipsi restituta sint duplicia, sed quod virtus athletica, quam nec antagonista diabolus ipse licet acutissimo visu pollens, solidam perspiciebat, ac veram putabat, dicens Deo: *Sed tange carnem eius, & videbis, quod in faciem benedixerit tibi.* sic tamen probata virtus eluxit apertius, non vmbratilis, sed expressa, & ab agonotheta Deo declarata. Hoc verè, & propriè pro corona victoris fuit.

15 Commendat mixtam ex theorica, & praxi vitam: *Duplex est vita, altera solitaria prorsus, altera solitaria simul, et cœnobitarum, qui tamen negotijs sæculi prorsùs mortui, & extincti, sibi ipsis autem inuicem Mundi loco sunt, & per comparationem inter se mutuò virtutes acuunt, & exstimulant. cum his consuetudinem habebat magnus ille vir, solitariam vitam cum cœnobitica concilians; ostendens, & Episcopatum philosophiæ minimè expertem esse, & philosophiam sacri Antistitis institutione opus habere. ità tranquillam actionem, & actuosam tranquillitatem consociauit.*

Vitæ contemplatiuæ cum actiua præclara nexus.

Præclarus hic locus est pro ijs religionibus, quæ vtrumq; genus vitæ complectuntur, qualis est nostra Societas. Sed nota quàm insigni virtute hi esse debeant. ità enim actuosi esse debent, & cum proximis versari, vt *negotijs tamen sæculi prorsùs mortui sint, & extincti*; quod scilicèt nobis Ignatius peculiari monito inculcauit. Tum notandum est, Athanasium cum hoc maximè religiosorum genere consuetudinem habuisse: quod & Episcopis pio exemplo esse debet: quosnàm enim magis diligere par est, quàm eos Dei seruos, & eorum opera vti, à quibus ad subditorum salutem iuuari possunt, prædicatione scilicèt, & alijs exercitationibus? præsertim si hæretici impugnandi sint.

Episcopi et religiosis libenter sacere debēt

16 Athanasij dictorum auctoritatem ostendit: *Illius decreta pro Mosaicis tabulis ducebantur, & pro lege habebantur.* Contra de Arianorum Concilio sic: *Siue Chalanæ turrim quæ longius diuisit in malam concordes; siue Caiphæ concilium, quo Christus condemnatus est, conuentus ille sit appellandus.* Certè vt illi tot linguis, ità hæretici tot sectis inter seipsos diuisi, non modò à nobis: Chalanam turrim Babyloniam intelligit, quam videlicet illi per superbiam, & arrogantiam falsæ doctrinæ erigere conantur.

Hæretici quasi Babylonicæ turris structores.

17 Episcopum quemdam Arianum perstringit: *Piam, et veterem doctrinam, ac Trinitatis patronam iacto vallo, ac machinis impulsa consubstantialitatis voce sustulit.* Negabat hic consubstantialem Patri filium: itàq; tanquàm veritatis hostis acerrimus sanam doctrinam tanquàm arcem ad sacræ Triados defensionem erectam, falsis argumentis tanquàm bellicis machinis euertere conatus est; nec mirum, nàm vt suprà dixit, Arius idem est græcè ac Mars, & belli furor.

Hæretici quasi machinis arcē fidei oppugnantes.

18 Fraudem Arij ostendit, verbis alios irretientis: *Hoc verbum simile iuxta scripturas, simplicioribus hominibus illecebram erat, impietatis hamo circumiecta. statua ad omnes prætereuntes se obuertens, vtriusq; pedis cothurnus, cribratio ad omnem ventum, ex recens scripta fraude.* Elegantèr varijs

Arij fraus decipientis per simulatam [illegible]

[illegible] simi-

ſimilitudinibus Arij aſtutiam carpit: dicebat enim filium patri homiuſion, ideſt ſimilem; quæ vox rudibus grata erat, non enim aduertebant hamum, qui latebat; nã cũ homiuſion dicebat, nõ aũt homouſion; alterum natura à patre natum faciebat, non conſubſtantialem; ità vnius literulæ variatione, vt ait S. Hieronymus, ingemiſcens Orbis terræ Arianum ſe eſſe miratus eſt: ſed Epiſcopis nullam excuſationem hæc ignorandi concedit: *Quemadmodum leonum non ijdem ſunt motus, ac cæterorum animantium; ita nec eadem ratio præfectorum, ac ſubditorum: nàm plebeis hominibus, ſi per errorem quid admiſerint, ignoſcendum fortaſsè fuerit; at Doctori quo tandèm modo id concedemus, cuius eſt aliorum etiam inſcitiam emendare?* Vide quàm inexcuſabiles ſint Prælati, & viri primarij Eccleſiaſtici & quantum in ijs doctrinæ requiratur. quo ſpectat etiam quod addit: *Cum Romanorum legem nemini quantumuis ruſtico, & indocto ignorare liceat, nec criminibus per ignorantiam commiſſis parcant, nonnè abſurdum eſt ſalutis Doctores, & Antiſtites ſalutis principia neſcire?* hinc colligi poteſt etiã ruſticos nõ excuſari ab ignoratione decalogi.

Prælatus præcellere debet alijs vt leo cæteris animantibus.

Prælatus erroris excuſatus non eſt, cũ ſupponatur longè ſuperare, quàm cæteri.

Legis Romanorum ignorantiã nemini obtendere licebat.

19 Zelum pro religione commendat: *Viri Dei amore præditi, licet alioqui pacati, ac manſueti ſint, hæc tamen in re leues, ac faciles eſſe non ſuſtinent, cum per ſilentium, & quietem Dei cauſa proditur. verùm hi admodum bellicoſi ſunt, atque in confligendo acres, & feroces; huiuſmodi enim æſtus zeli eſt.* Vide quàm generoſo quiſq; animo eſſe debeat, præſertim Epiſcopus, cum Dei gloria periclitatur; ideò paulò ante leonibus comparauit.

Prælato & lenitas cõpetit, & ardens zelus ubi opus eſt.

20 Oſtendit, cur hæretici Athanaſium maximè perſequerentur, & in exilium compulerint: *Tantum erat præſidium in illa Eccleſiæ columna, quo abſente tanta calamitas eſt conſecuta. & quemadmodum qui Samſoni inſidias ſtruxerunt, crinem priùs, in quo vires poſitas habebat, abſtulerunt; ſic hæretici ſubmoto, atq; è medio ſublato noſtro robore Athanaſio, ac detonſa Eccleſiæ gloria, ità tandem hilaritèr in impietate verſati.* Rectè cũ Samſone fortiſſimo cõparat, qui hebraicè interpretatur, quaſi Sol, in cuius radijs quaſi ſplendida coma omnis vis ineſt: qualis in Eccleſiæ corpore erat Athanaſius, quem exulem factum pulchrè appellat, *detonſam Eccleſiæ gloriam*; ſicut etiam *Eccleſiæ columnã.*

Athanaſius in Eccleſiæ corpore tàquam Samſonis coma omnibus reddens.

Athanaſius Eccleſiæ columna.

21 De Imperatorum hoc tempore religione ſic: *Conſtantium morientem triũ pœnituit. Primùm quod propinquis ſuis necem intuliſſet; alterum, quod Iulianum apoſtatam Imperatorem nominaſſet; poſtremũ quod nouis fidei dogmatibus ſtuduiſſet.* Vide quid Principum in morte conſcientiã maximè diuexare ſoleat: ſi, videlicet, ſumma poteſtate abuſi ſint ad crudelitatem; & ſi indignos ad magiſtratus promouerint; & ſi in ijs, quæ ad Eccleſiã pertinent, temerè ſe immiſcere tentauerint.

Quæ maximè dynaſtarum cõſcientiam torqueant in morte

22 Honorificum Athanaſij ab exilio reditum narrat poſt Conſtantij mortem: *Tùm verò nobiliſsimus ille athleta ex præclara peregrinatione, ſic enim ipſius fugam pro Trinitate ſuſceptam appello in vrbem redit; imò in vniuerſam propè Aegyptum vndecumque in vnum concurrentes, vt alij ſola Athanaſij voce, alij forma, & aſpectu ſatiarentur: alij, quod de Apoſtolis prædicatur, ex vmbra ſaltem ipſa ſanctitatem contraherent, vt nè Conſtantium quidem ipſum pari honoris frequentia exceptum eſſe dixeris, licet per Imperatoris nomen ſummus honoris vertex ſignificetur.* Pulchrè peregrinationem appellat potiùs, quàm exilium. Sed mira opinio de virtute: putabant ex vmbra ipſa Athanaſij, non tàm ſanitatem corporis, vt ex Petri vmbra, ſed ſanctitatem animæ quæ multò præſtantior eſt, cõtrahere, hoc enim verbum græcum ſignificat ἀγιάζειν. Vide etiam, vt honor exhibitus Sanctis, qui ità ſe hic abiecerũt, ſuperet omnem honorem, etiã Auguſtis exhiberi ſolitum.

Mirus honor exhibitus Athanaſio ex exilio redeunti

23 Pergit elegantèr de reditu Athanaſij *Quomodò ſpectaculum illud redeuntis deſcribam? Fluuius vnus erant omnes. Nilum etiam poeta quiſpiam diceret illum tanquàm aurifluum, & ſpicis fœcundum ab vrbe ad Chæreum retroacto curſu fluentem dies vnius itinere; atq; eò ampliùs pullus tum vehebat, vt Chriſtum. Erant qui præeundo clamarent, & chorum agerent. Quid publicos plauſus commemorem, et vnguentorum profuſiones, & totam vrbem lumine coruſcantem?* Pulchrè Nilum appellat inundationem illam populi, ſed prudentèr in ore poetæ ponit, non ſuo. Vide autem humilitatẽ Athanaſij, Chriſtum pullo inſidentem imitãtis; ne ad faſtum illa pompa vti videretur. meritò vnguenta ſpargebant ob famam eius ſanctitatis; meritò etiam lumina accendebãt ei, qui Eccleſiam virtutibus, & doctrina illuſtraret. Tùm præclarè ſubiũgit, Athanaſium præſtitiſſe ſe huiuſmodi honoribus dignum, nec vanam opinionem de ipſo conceptam reddidiſſe: *Num vita parem doctrinam non contulit? nùm ijs honoribus poſt ingreſſum probro fuit? imò nõ ſicut atque vna lyra hæc harmoniam habebant, & vita, & doctrina, & agones, & pericula, & reditus, & quæ ſunt reditum conſecuta.* Egregiè oſtendit in omnibus Athanaſium ſibi ſimilem fuiſſe, in nulla re diſcordaſſe, ſed fuiſſe tanquàm lyram aptiſſimè temperatam, atquè omnibus chordis conſonam, omnibus ſcilicèt vel

In reditu Athanaſij vnguenta ſparſa, & lumina accenſa.

Athanaſius in omnibus ſibi conſonans inſtar lyræ.

na-

naturæ, vel gratię dotibus in vnam perfe-ctā vitæ harmoniā concinentibus præ se tulisse. quàm hoc difficile, quā præclarū?

Fides Trinitatis in candelabro aureo expressa.

24 Fructus ostenditur ex eius reditu: *Prolapsam fidei doctrinam erigit: ità liberè rursùs Trinitas prædicatur super candelabrum posita, splendidoq; vnius diuinitatis lumine omnium animos illustrat*. Pulchrè aureum illud templi candelabrum hùc facere dixerim, si vel numerum, vel ornamenta spectes. nàm dicitur: *Tres calami ex parte vna, & tres ex altera. tres scyphi in nucis modum per calamos singulos; sphærulæquè simul, & lilia*. Vides vt calami ternario numero sint, & illa ornamenta calami? pro sphærula quid nisi Patris personam intelligas, vt originem omnis perfectionis, quæ sphærica figura denotatur? per lilium, quod nisi Verbum hominem factum ex Virgine? qui de se ait: *Ego flos campi, & lilium conuallium*. per scyphum, vinarium scilicèt poculum, quid nisi Spiritum sanctum pias animas superna dulcedine inebriantem? Quid igitur in huius Mundi templo Trinitate omnia illustrante pulchriùs? Hoc igitur aureum candelabrum altè extulit Athanasius redux; in quo imitatus videtur Machabęos duces, qui in spoliati, ac violati templi restauratione nihil antiquiùs habuerūt, quàm hoc: *Intulerunt candelabrum*.

Exod. 37

25 Narrat pœnā Iuliani apostatæ, qui persequebatur Athanasium: *Sed mox impium illum, & sacrilegum ad Persas vis numinis vltrix ablegat, & mortuum reducit, nemine miserante, imò, vt aiunt, nec ad sepulturam assumptū; sed à terra, quæ propter ipsius scelus tremore affecta fuerat, excussum, æstuque vehementi proiectum, insequentis, vt opinor, supplicij proludiū*. Notabilis vltio, eiectum per apostasiam ab Ecclesia, tellus ipsa eiecit, & excussit motu concussa; & rectè vocat pœnas impiorum in hac vita, præludium earum, quæ in Inferis manēt. Quod ait, *vis numinis vltrix*. græcè est δίκη, Dice, quam Deam putarūt explorantem scelera, & punientem, alio nomine Nemesim dictam.

Religio pulcherrimum Imperij fundamentum.

26 Transit ad tranquilliorem Ecclesiæ statum: *Surgit alter Imperator mira pietate, & lenitate præditus Iouinianus, qui vt pulcherrimum Imperij sui fundamentum iaceret, tùm omnes alios Episcopos, tū eum, qui cæteros virtute præstabat, Athanasium ab exilio reuocat*. Rectè appellat, *pulcherrimum Imperij fundamētum*. nēpè Religionem dynastæ statim, ac primò spectare debent. Tùm Athanasij operam pręclarè nauatam exponit: *Cum cæteri diuisi essent, pauci sani, & incolumes, primus Athanasius, & solus, aut cum admodùm paucis apertè, ac palàm veritatem promulgare non dubitauit, vnam trium personarū diuinitatem, & essentiam scripto confessus, atque Imperatori donum offert verè regiū, & magnificum, scriptam nimirùm fidei cōfessionē*. Nota de symbolo Athanasij, quo Ecclesia vtitur; rectè regium appellat, & magnificum donū: huiusmodi donis delectari debent Principes, & honorari, quę ad religionis integritatem pertinent.

Symbolum Athanasij oblatum Imperatori donum verè regium

27 Tres hypostases dicit, quod Romanæ linguæ inopia explicari vix potest, ac propterea *eò tandem res adducta est, vt periculum esset, nè Orbis terrarū fines vnà cum syllabis abrumperentur*; hoc est, quod ait Hieronymus: ingemiscens Orbis terrarum Arianum se esse ingemuit: dùm Arius homiusion, hoc est similē, pro homousion, hoc est æqualem, & consubstantialem Dei filium dicit.

Arij fraus per græcam syllabam

28 Quàm pręclarum sit hæreticos cōfutare, ostendit: *Hoc diuturnis illis laboribus, & multis vigilijs, & chaumenijs longè præstantius, quorum vtilitas in his tantū, qui hæc præstant, defigitur, nec latiùs manat*. Laudandus igitur Ignatius, qui vt socij literarum studijs commodiùs addici possent, hæreticos confutaturi, eos præcepto non adstrinxit asperioribus huiusmodi corporis afflictationibus, suasit certè quantum valetudo suffert.

Hæreticos confutare præclarius quam sibi tantummodo tendere.

29 Athanasij prudentiam cōmendat: *Aliorum socordiam excitans, aliorum feruorem nimium reprimens, cum sublimiori mente præditis altiùs assurgens, &c.* Concludit pręclaro encomio: *Malorum depulsor, & vnus vniuersa est verè complexus, quæ singulatim Dijs suis Gentiles tribuunt. addo & virginum patronum, & ex hac vita migrantium deductorem. O quantam nominum copiam mihi virtus ipsius suppeditat, vndecumque cognomenta captanti*. Quod ait: *malorum depulsor*. græcè est ἀποτροπαῖος: apotropæus autem præcipuè dictus est Hercules, qui vt monstrorum domitor, ità & malorum habebatur. tanquàm igitur Alcides quidam Athanasius fuit tot hæresum domitor. Quod autem vocat; *ex hac vita migrantium deductorē*. græcè est πομπαῖον: Mercurij hoc cognomē fuit, quod animas ad Inferos deduceret; at Athanasio magis conuenit, quod in Cœlum, sapientiæ veræ præses. Significat etiam cum pompa aliquem deducere; sed cur hoc Gregorius de Athanasio? puto quia viuens dux fuit ad salutem, rectā de Deo opinionem defendens. adde, quòd Athanasius, nomen est immortalitatis. Præclarū autem est, quod ait, quicquid de tot numero Dijs ad laudē dixit antiquitas, vni Athanasio veriùs conuenire. Macrobius certè putat tot illa numina, atq; nomina in vnum Solem cadere. Sol igitur quidam Athanasius fuit.

Athanasius multis titulis, & nominibus insignis.

Athanasius apotropæus dictus, hoc est depulsor malorū

Athanasius ex hac vita migrantiū ductor.

Ex

Ex Oratione XXI. In laudem Machabæorum.

1 INdicat hos inter Martyres habendos: *Probabile est, neminem eorum, qui ante Christum perfecti fuerunt, id citrà Christi fidem esse consecutos.* Vide quātam vim habuerit adumbratus tātùm, ac præuisus Christi aduētus, & passio; vt vim fundēdi pro veritate sanguinis tribuerit.

Machabæi martyres in fide Messiæ futuri.

2 De Sanctorum festis sic: *Cùm annuis his festis ornamur, tùm multò maior eorum gloria in animis omnium condita est.* Nota in interno potiùs horum celebritatem esse positam; nec tàm eos à nobis ornari templis, aris, aulæis, &c. quàm nos ab ipsis per varia beneficia.

Festa Martyrum ornamenta sunt Ecclesiæ.

3 Eleazarus morti se deuouens commēdatur: *Priùs pro populo sacrificium adhibens, nunc autem seipsum hostiam offerens, faustum certamini præludiū.* Pulchrè dictum, nàm eum consecuti sunt filij, atq; vxor. tantò nobilior oblatio, quantò præstantior ipse, quā pecora, quæ mactabat.

4 Elegans est hoc de Machabæis elogium: *Fortes, & magnanimi filij, nobilis matris nobilis soboles, alacres veritatis pugiles, & agonistæ, vnum spirantes, vnum spectantes.* referri potest hoc ad Martyres cuiusquè religionis, tanquàm nobilis matris non degeneres liberos; vel ad septē filios strenuos martyres, tū Felicitatis, tū Symphorosæ. nobiles sanè agonostæ fuerunt in vnam fidei confessionem conspirantes. Pergit: *O rem admirandam! tormenta non secus ac thesauros quosdam prærìpientes, mortis causa inter se æmuli, vnum hoc metuentes, nè defessus tyrannus finem cruciandi faceret, sicq; nonnulli ex ipsis sine corona discederent.* Mirum, quod gladius, ænei claui, ferreæ vngulæ, & similia Martyribus cesserint in thesaurum. sed puto thesaurum vocat Martyrium, iuxtà illud: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* & Sapiens ait: *Tanquàm aurum in fornace probauit eos.* acutè autem adnotat, Martyres id tantùm timuisse, nè morti subtraherentur, si vltimi essent, defatigato iā tyrāno, atq; lictoribus; ac proindè primi esse cōtēdebant.

Tormenta Martyrum in thesauros cesserunt.

Martyrum timor nè tyrannus lassus liberos dimitteret.

5 De Machabæorum matre sic elegātèr. Vbera obtendebat: *Pulchri cuiusdam funebris muneris loco tandem seipsa liberis obtulit.* Mira vis vberum: quid lacte, & mammis molliùs? hinc tamen illi robur accipiebant, vt funderent sanguinē; pro funebri munere græcè est καλὸν ἐπιτάφιον, hoc est pulchrum epitaphium se ipsa obtulit, quia maternæ laudationis argumētum filijs honori fuit. Addit: *Supra omnia se collocat, fortem animum cum amore cōmiscens.* græcè est φίλτρον: est autem philtrum, amatorium poculum; fortitudinē igitur animi cum amore miro modo cōmiscuit, & poculum suauissimum maternæ pietatis liberis propinauit; interim ipsa virilis, & sibi quasi atrox parata cōmori. Item addit: *Ipsa ad supplicia gradiens, & cum quibus epitaphijs? quamuis enim pulchri fuerint sermones filiorum, qui tyrannum confixerunt, pulchriores tamen matris, quibus ad martyrium est hortata.* Epitaphia vocat hortationes plenas laudis, quibus liberos accendebat ad moriendum. Pulchrè autē Martyrum verba, quasi iacula vocat in tyrannum iacta.

Mater vbera filijs ostentans ad martyrium accendit.

Matris generositas hortando liberos ad martyrium.

6 Inducit filios his verbis inter cętera tyrannum liberè perstringentes: *Patria nobis est superna Hierusalem, qua ditione tuæ non subsistat, nec obsideri potest; cognatio verò insufflatio, &c.* rectè à supernæ patriæ, ac vera generis nobilitate exorditur. Vbi nota, per insufflationem illam Dei cognationem quandam homini cū Deo initam, iuxtà illud Pauli: *Genus ergò cum simus Dei, &c.* & Petrus vocat: *Diuinæ consortes naturæ.* Addunt contra tyrānum: *An nè cum gentibus, & Ciuitatibus, et ignauis Regibus tibi certamen esse putas? imò aduersus legem Domini, aduersus tabulas à Deo exculptas, aduersus septem fratres animo colligatos septem trophæis, te vt in columna cum ignominia descripturos.* Pulchrè Martyres totidē trophæis colligatos dicit, quot ipsi numero sūt: ità appelles licet tres nostros Iaponicos Martyres cum alijs è Franciscana familia cruci affixos: quid .n. crux, nisi trophæū? Item nota, martyrium, etiam si omne genus opprobrij adhibeatur, in Martyrum tamen decus verti, & in tyranni ignominiam, dū constantia victus succumbit; ac proindè vt illis colūna erigitur triūphalibus inscripta notis, ità huic dedecoris.

Cognatio nostra cum Deo, & patria cœlestis verè nobiles nos facit.

Martyres inter se trophæis colligati.

Tyrāni victi à Martyribus se infames faciunt.

7 Pergunt tyrannum alloqui: *Ab illis genus duximus, quibus ignis, nubisque columna viam monstrabat; quibus mare scindebatur, fluuij sistebantur, Solis cursus reprimebatur, panis pluebat, &c. Eleazari sumus, cuius iàm prospexisti virtutem: pater decertauit, filij iàm certabunt. Sacerdos abscessit, victima iàm sequentur. multa minaris, ad plura parati sumus.* Vide quanti momēti sit cogitatio gentilitiæ virtutis, nè degener videaris. Idē religiosus quisquè potest Diabolo tentanti dicere: Ab illo Patriarcha genus duco, qui &c. ab ijs maioribus, qui partim doctrina, partim pietate, & quandoque martyrio insignes fuerunt, & similia.

A maiorū virtute non degenerandum.

8 Hæc etiam à Martyribus constantèr, & acutè ad tyrannum dicta: *Primus natus sum ego, primum me consecra; ego postre-*

stremus, ordinis ratio immutetur, vt aqua sit honoris ratio: primus alijs via erit; postremus, certaminis sigillum. grecè σφραγὶς est signaculum, seù anulus signatorius; quasi martyrium thesaurus sit obsignatus. quid autem hoc certamine vel admirabiliùs, vel præclarius? vbi contenditur etiam ab extremo, vt sit primus.

Certamen pietatis in suscipiẽdo martyrio primo loco

9 Matris sollicitudinem, & constantiã pulchrè ostendit: *Parens magna legis columna, & magnanima, in gaudio simul, ac timore posita, non secus atque auicula pullos suos arripiente angue, vel fera, circumuolitabat, vnà cum ipsis certabat, cruoris guttas rapiebat, fragmenta membrorũ excipiebat; hunc colligebat, illum porrigebat, alium parabat, omnibus acclamabat. Postquàm autem omnes martyrio perfunctos vidit, tùm vero erecto capite, ingenti cum alacritate, non secus ac quispiam in Olympijs victor, sublimis animo, ac voce grates agit.* Vide affectum, & quãti fierent à matre guttæ cruoris filiorum? quid dicendũ de Deipara stante iuxtà crucem? vide etiam verum affectum, hortando ad necem, plaudendo. &c. Præclarè autem de martyrio similitudinem sumit ab agone Olympico, qui in Grçcia tãta cũ celebritate propositis præmijs agebantur: maior igitur huius matris gloria, quàm apud veteres Berenicès cui ad honorem soli permissum ex omnibus mulieribus, vt gymnico spectaculo interesset, quòd & filium ad Olympicum certamen adduxisset, & animasset; & ipsa Olympionice patre genita, fratribus eandem palmam asse utis latera eius pulchrè cingentibus. sed illa spectatrix tantũ fuit, non etiã decertatrix, vt hæc, & Fçlicitas, totidem Martyrũ mater, verè digna tã auspicato nomine, ad quã pertinẽt et, q̃ sequuntur.

Matris circa martyres filios cura, & pietas,

10 Elegans matris oratio de filiorum martyrum victoria: *Mater omnium sacratissima effecta sum. nihil Mundo reliqui, omnia Deo tradidi, thesaurum meum, & meas senectæ nutriendæ spes; cum Anna celebrabimur, nisi fortasse magis, quia plures obtuli; nec infantem, sed viros, & volentes. Super niuem splenduistis, super lac coagulati estis, super sapphirum catus vester est, quippè oblati Deo.* Vide in quo gratulari debeant matres, si videlicet liberos nõ ad honorum gradus euectos videãt, sed Dei seruos. Hæc autem gratulatio ex parte à qualibet religione fieri potest, quæ Martyres habeat. alludit autem ad locũ Ieremiæ de Nazaræis, qui dicuntur: *Candidiores niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriorem.* ac certè sapphirus martyrij pretiũ ostendit, iuxtà illud: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* quia quod in Paulo, & nonnullis alijs Martyribus lac fluxit loco sanguinis; illud quoquè: *Rubicundiores ebore antiquo,* quis non videt ad Martyres pertinere? in quibus & Elephãtorum fortitudo quædam bellica spectata est, qui & sanguinis colore animantur: *Elephantis ostenderunt sanguinem vuæ, & mori ad acuendos eos in prælium.* Postremò sic mater: *Vtinam meum cruorem cum eorum cruore commisceam; ipsa quoque suppliciorum instrumenta propter filios amo.* Hoc puto & Deiparæ votũ fuisse, & crucem, clauosq; impensius amasse propter filium. Denique concludit de matre: *Tũ ipsa ad rogum, non secus atq; ad nuptialem thalamum currit, nec carnifices expectat, nè sanctum, ac generosum corpus profani contingant.* En cur Apollonia insignis virgo spontè ad rogum cucurrerit. Cæterũ similia spectacula in nouo testamento prætulerunt, vt diximus, Fçlicitas, & Symphorosa cum totidem filijs.

Matris vox gloriãtis de martyrio filiorum

Martyrum pulchritudo, & pretium.

Thr. 4.

Machab. 6.

1. Mach.

11 Pulchrè de Eleazaro Sacerdote: *Eleazar non externis a persionibus Israelem, sed proprio cruore lustrauit; extremũque diem extremum mysterium fecit.* Victimã scilicet seipsum obtulit, multò prçstantiorem quàm ouium, vitulorum, &c.

Extremus vitæ dies quàm piè claudendus

12 Certamen, & contentionem fratrũ ad martyrium concurrentium pulchrè explicat. *Alius alij velut in fluctuum iactatione succedens, virtutis specimen exhibebat; maioremque subindè hic alacritatem afferebat, præcedentium exemplo incitatus: adeò vt tyrannus benè secum agi putaret, quòd non plures illa liberos peperisset, nè cũ maiore dedecore ipse discederet; ac tùm primum cognouit non omnia se posse vi, atque armis, cum inermes pueros oppugnare aggressus succubuit, &c.* Elegãtèr concursum illum ad martyrium comparat cum maris fluctibus, cũ vnus alteri statim superuenit. hic idem ardor, hæc eadem alacritas cõcurrentiũ ad martyriũ in noua Iaponiæ Ecclesia nostra ætate perspecta est.

Contentio inter fratres de primatu martyrij.

13 Varijs comparationibus horum martyrium exaggerat: *Hoc factum Iephte sacrificio & lautius, & magnificentius fuit. hoc Danielis certamine non inferius, qui leonibus in escam abiectus manuum extensione belluas superauit. hoc iuuenum in Assyria captiuorũ lucta non cedit, &c. Hoc denique victimis illis, quæ posteà pro Christo cæsæ sunt, non minorem laudem, & gloriam promeretur: illi enim Christi sanguinem sequebantur, eumque ad certamen ducem habebant, qui tam admirabile munus causa salutis nostræ obtulit.* Mirum certè, Martyres Christum cruentum ductorem sequuti sunt, vt vincerent. Addit: *Hanc fortitudinem, & constantiam Iudæa admirata est, ac proindè ipsa coronam assecuta exultabat.* Vides vt Martyres cuiusque religionis eam coronent; sicut & Sancti pa-

Martyres cũ Iepthe, & Daniele, & tribus pueris collati.

patriam ornant, vbi orti. Est autem elegans illa collatio horũ Martyrum. Iephte vnam obtulit filiam Deo in victimam, sed mater hæc septem filios; ambo tamen triũpharũt. Daniel inter leones iã mites impunè versatus; hi inter diros carnifices & sæua tormenta sine lesione constantiæ. pueri tres in fornace fuerunt Deum laudantes; hi tres in flãma persecutionis.

14 Concludit Gregorius, hortaturq; matres, vt filios Deo offerant: *Vt per huiusmodi sacrificij genus matrimonij quoque sanctitas comparetur*. Vide quantum dedecorẽt matrimonium parentes, qui impediunt filios, & retrahunt a Dei seruitute, quod vitæ genus quædã martyrij species est, & genus holocausti; ac proindè illi sanctè coniunguntur matrimonij sacramento, qui gaudent filios sanctitatis statum inire.

Parentes, qui prohibent à Dei seruitute filios, dedecorant matrimonium

Ex Oratione XXII. In laudem Heronis.

1 Philosophus hic Hero fuit Cynicus, deindè ad fidem conuersus: pro ea exularat, tandèm reuersus est. sic autem Gregorius elegantèr exorditur ab officio: *Non incongrui hoc laudis est, vt hoc certè nomine philosopher, quod philosophum laudem. philosophia hoc munus, & studium est, vt de vita humana benemereatur. prima porrò benemerendi ratio est, rerum honestarum commendatio: laus enim zelum parit, zelus virtutem, virtus beatitatem, quæ rerum expetendarum culmen est*. Vide quid sit verè philophari, non contentiosis disputationibus agitari, sed de hominum genere benemereri. Nota etiam cur dignè laudando benemereamur, quia laus æmulationem excitat, & studium, quo virtus accenditur, &c.

Verè philosophari est de hominum genere benemereri.

Laus incitamentum virtutis.

2 Pulchrè ex habitu ipso Heronis philosophico omen virtutis sumit: *Adesdùm qui in alieno habitu nostra profiteris; ac nè in alieno quidem fortasiè, siquidem Angelicum est vestitus candor, ac splendor cum corporea forma figuratur ad designandam eorũ puritatem*. Rectè ait, huiusmodi philosophos quasi sapientiæ candidatos, vel sinceræ veritatis amatores candida vsos veste, quam ideò etiam post baptismum retinere permissus est, quia & Angelus in vestibus albis apparere soleat: quo ostendit Angelos natura incorporeos, pingi tamen quasi corporeos. Commendandus igitur est hic habitus in quibusdã religiosorũ familijs, iuxtà suũ institutũ.

3 Pergit item acutè, & pulchrè, alludens ad Cynicum nomen: *Adesdùm Philosophe, & sapiens. adesdùm canis non impudentia, sed oris libertate; non ingluuie, sed boni custodia, vigilijsq; pro animarum salute susceptis; domesticos mulcẽs, sed alienis oblatrans*. Cynicus idem est græcè, ac latinè caninus. Præclarus hic locus de S. Dominico, qui in materno vtero visus est specie canis facem gestantis, quod omen erat libertatis in Ecclesię defensione, & eiusdem custodiæ, & vigilantiæ; & quod hæreticos, & improbos doctrinæ, & prædicationis quasi latratu perterrefacturus esset per se, & per suos: *Adesdùm canis oris libertate, boni custodia, vigilijs pro animarũ salute susceptis, hæreticis oblatrans*. Ad eũdẽ referri possunt sequẽtia.

Dominicus canis oblatrans in hæreticos, vt alienos

4 Rursus sic Hieronem honorificè cõpellat: *Adesdùm, coronis nostris te deuinciã, & clara voce non in media Olympia, nec in exiguo Græciæ theatro, sed coram Deo, & Angelis, & vniuerso Ecclesiæ cœtu victorẽ pronunciabo; sed qui non pancratio, cestu, aut cursu, nec ad heroum honorem, quibus calamitas fabulæ celebrationem dedit; sed qui hæresum mendacia deuiceris in honorẽ Dei viuentis; quorum certaminum præmiũ est Cœli regnum, & Deum effici*. Elegantèr admodum de hęreticis victorem, tanquã Olympionicen dicit, ac se præconẽ, qui eũ vicisse publicè pronunciet, & præmio dignum dicat. Quàm præclarè igitur & Dominicus, & Ignatius, inter cæteros Patriarchas, suos literis excoli voluerunt, vt hæreticos confunderẽt? Et hoc totum direxit ad maiorem Dei gloriam; quòd hic dicitur: *In honorem Dei viuentis*. Huiusmodi Olympionicæ fuerũt Petrus Dominicanus Martyr, insignis prædicatione aduersus hęreticos; & Robertus noster Bellarminus scriptis, &c. ad Petrũ certè pertinet, quod subiungit: *Hic est veritatis athleta verissimus, ac Trinitatis ad sanguinem vsque propugnator*. Et nota huiusmodi athletarum, atque Olympionicarum ingens præmium ab agonotheta propositũ: *Regnũ Cœlorũ, & Deũ effici*.

Expugnatores heresum cum Olympionicis comparati.

Ingẽs præmium impugnatorũ hæresũ.

Impugnatores heresum veritatis athletæ verissimi fuere.

5 In quo posita sit vera nobilitas, ostẽdit: *Hic ex nobilibus nobilissimus: nobilitatem dico, non quam plerique existimant; nõ enim nostrum est admirari, quæ à fabulis, & sepulcbris, ac putri iam supercilio venit; sed quam pietas, ac mores quasi charactere notant, & ad primum illud bonum, vnde originem traximus, ascensio*. Pulchrè ait, virum spiritualem non debere admirari nobilitatem, quæ eruitur ex lapidibus incisis sepulchrorum, quid enim vilius? sed ex probitate propria, & maiorum. Quid autem nobilius quàm quod subiungit? *Non Martyr tantùm ipse est, sed etiam ex Martyribus. itàq; virtutis exemplum ipse domi habet*. rectè, quæ enim purpura pulchrior, ac splendidior, quã quæ ex Martyrum sanguine? Sed nota, Martyrem vocat

Vera nobilitas est pietas, & vnio cum Deo.

Magna nobilitas fami iæ habuisse Martyres.

cat licet viuentem, quia passus exilium. Porro hanc etiam nobilitatẽ contrahunt religiosi ex præcedentibus Martyribus propriæ religionis; præsertim cum ipsa religio ob statum continuę mortificationis genus quoddam martyrij sit.

Martyr dicitur adhuc viuens ob exilium.

6 De eius patria sic: *Alexandria natus est, hoc est in ea Ciuitate, quæ nihil tàm proprium habet, quàm animorum feruorẽ; & quod pulcherrimum est Christianismũ.* pulchrè dictum. Nota, non tàm laudatur Alexandria a conditore, ab ædificijs, &c. sed à feruore pietatis, & fidei firmitate, quæ vera laus est Ciuitatis.

Ciuitatis vera laus, feruor pietatis, & firmitas fidei.

7 Commendat Heronem è vitæ instituto: *Cum ea ætate iam esset, vt certum sibi vitæ genus constitueret, quod ego tanti momenti esse duco, vt totius vitæ, vel rectè, vel malè traducendæ fundamentum in hoc positum esse putem; maius quiddam, atque excelsius quam vulgus solet, animo agitare cœpit; delicias, vt primam ærumnam; opes vt extremam paupertatem; potentiam vt imbecillitatem aspernatur; philosophiam sibi præficit perturbationum dominam &c.* Rectè ait, magnam vim esse positam in deliberatione, quæ fit in adolescentia, cũ tanquam Hercules in biuio anceps est. pulchrè autẽ hoc ad S. Thomã Aquinatẽ, & Aloysium Gonzagam, & similes referri potest, qui verè philosophari decreuerunt, se diuino obsequio dedicãtes, spreto Mũdi fastu & carnis illecebris. ad hos & similes pertinent etiam sequentia.

Fundamẽtum est vitæ deliberatio ab adolescentia de statu vitæ.

8 Commendat Heronem, quod id genus vitæ inierit quod actuosũ est, & alijs vtile. ex duobus igitur vitæ generibus id amplectitur, quod maximè fructuosum est: *Quod perfectissimi animi, ac sapientissimi esse iudicaret, priuatæ vtilitatis cum publicis commodis coniunctam habere rationem: neque enim quemquam nostrum sibi soli natum esse sed omnibus.* Præclara vox de communi vtilitate procuranda. pergit: *Videbat vitam solitariam hominis quidem rebus sublimiorem, & ex se sedatam; & affixos repudiare charitatis communicationem, & eorum virtutem explorari non posse non exercitam: alteram contra ad multorum vtilitatem esse diffusam, atque ad diuinam dispensationem propè accedere, quæ vniuersam terræ molem condidit, amicitiæque vinculis constrinxit; genusque nostrum præter vitij accessum à bono deturbatum, per vitam, ò vetustatem, quam nobiscum habuit, ad pristinam dignitatem reuocauit.* Egregius hic locus est pro ijs religionibus, quæ ad animarum salutem intentæ sunt, præfert hunc statum socialem solitario, quia magis exercetur charitas conuersando magis etiam exploratur virtus oblatis occasionibus; denique magis ad Dei operationem accedit, qui Mundum, quem condidit, restaurauit per Incarnationem; huic autem restaurationi illi cooperantur, dùm Mundum totum zelo amplectuntur, &c.

Actiua vita vtilior humano generi, quam solitaria.

9 Laudat Heronis prudentiam: *Vt fastum Græcorum philosophorum reprimeret, pallio, & promissa barba grauitatem præferentium, quidnàm fecit? medius quidẽ inter illorum vanitatem, & nostram sapientiam incedit; atque illorum quidem habitum, & laruam; nostrorum autem sublimitatem, ac veritatem profitetur.* Imitantur hoc nostri Patres in India, vt Bracmanarum habitum induant, qui apud ipsos philosophi sunt, eademq; mira parsimonia victus vtantur, qua prudẽtia, & industria multos ex ipsis Bracmanis lucrifaciunt; atq; hi ipsi deindè eodem, quo antè habitu, sed alia mente viuunt. Idem habet Augustinus de Ciuitate Dei, quam non ait distingui habitu, sed moribus.

Habitus philosophicus non repugnans moribus christianis.

10 Philosophorum deliramẽta à Herone contempta dicit: *Peripateticorum scholas, & Academias, et venerandam Stoa, & Epicuri casum, ac temeritatem cum atomis, & voluptate cum lanea cingens, sicut stoicorum quidam poetam ornauit, longè ablegat, ac repellit.* Vides vt fides nugas ostẽderit, & ineptias, quas vetus philosophia tantis cum fastu edocuit? Stoam intelligit Zenonis porticum disputationibus clamosam. lepidè autẽ ait: sicut Plato è sua republica eiecit poetas, & Homerum ipsum; quanquam eum ob excellentiam lanea corona decorauit; ita Heron veteres philosophos post baptismum susceptum à se reiecit, & si quid laudis merentur, eis non denegauit.

In veteribus philosophis quid vitandum, quid sequendum.

11 Quam laudabile sit ostendit, inter malos benè versari: *Quemadmodum arca illa Noe, quæ in diluuio mansit; atque ingens illud Mosis spectaculum hoc est ille montis rubus, quem ignis vrens non perurebat; ita me nos ex vulgi contagione detrimentum vllum contrahamus; quemadmodum nec adamas ab ijs, à quibus percutitur; & curemus alios etiam per suos meliores effici.* Rectè ait, hoc esse inter mundanos versari, quod nauim inter fluctus, aut rubum virentem inter ignes, adamantẽ inter ictus; ob mala scilicèt exempla. Sed ait nõ modo nos ab eis infici non debere, sed ipsos à nobis castificandos: quod monitum nõ modo ad Catholicos versantes inter hereticos pertinet, sed etiam ad religiosos inter sæculares.

Viuens benè inter malos & arca Noe, & rubo Mosis, & adamanti comparatur.

12 Irridet veteris philosophiæ loquẽdi formulas, quibus alios irretiebant, & falsam doctrinam, & imaginariam Platonis republicam; nihil horum inesse ait in Christianismo: *Huius philosophiæ fructus non sermone fictæ Chimæræ hircoceruj, vt aiunt, & tragelaphi, nec scindapsi bamata, &c.*

Vetus philosophia ... nostra.

nec

nec siderum nexus, & figura aduersus Dei prouidentiam excogitata. obiter tamen Hero hæc attigit, nè contemneretur, & exagitaretur ab huiusmodi philosophis. Sandapsis vox est nihil significās, vt bliti-ri. tragelaphus mōstrū ex hirco, & ceruo. Simbamata vox à Chrysippo cōficta. Vides quā differat Christiana philosophia.

13 Heronis ob fidem exulis occasione trāsit ad persecutiones Ecclesiæ: *Persecutiones illustriorē Ecclesiā, splendidiorēq; per supplicia reddidere*. græcè est λαμπροτέραν. quod ad eos præsertim Martyres pertinet, qui igne cruciati sunt, vt Laurentius; ex illo igne non aliud nisi splendor redūdauit, calor non obfuit certè constantiæ, iuxtà illud: *Vox Domini intercidentis flāmam ignis*. Tùm de Ario sic acritèr: *Ille iniustitiæ turbo, illa spirituum legio, ille diuinitatis sector, cuius grauis conatus, grauissimus finis: Arius, inquam, à furore iure nomen habens. hic ab Alexandria incipiens, deinde agrestis instar, ac rapidæ flammæ ab exigua scintilla magnam Orbis terræ partem percurrit, tandem à Patribus Niceæ coactis extinguitur*. Nota inter cætera, Arium arreptitio illi comparat, qui legionem, hoc est ferè sex millia dæmonū inter se habebat, qui deindè in porcos insilierunt. huiusmodi Lutherus quoque arreptitius videtur, nàm & hic ferè eadē impietatis pœna mortuus diruptis visceribus, qui deindè dæmones in porcos se partiti sunt, idest in Lutheranos cœno sui auctoris oblitos. idem rapidę flammæ vndecumq; serpenti rectè comparatur, quæ tamen à Patribus Tridentini Concilij compressa est. Quod ait: *Arius, cui nomen à furore nomen est*. alibi diximus græcè ἄρη significare Martem, & bellicū furorē.

Arius legioni dæmoniacæ cōparatur, item turbini, ac flammæ.

14 Iuliani persecutoris infelicē obitū ostendit: *Rectè Persia causam nostram dixit, atque disceptauit, oppresso nimirùm, & extincto illo execrando, ac multorum sanguinum pœna ab vno sanguine repetita*. Pulchrè ait, Persidem tanquàm ad Iustitiæ tribunal in iudicio quodam sententiam dixisse, & sumpsisse pœnas de Iuliani perfidia, & impietate; quia in bello cōtra Persas inito miserè perijt.

Iuliani mortis reā Persia euīcit.

15 Valētis Imperatoris quàm immanis persecutio fuerit, ostendit narratione crudelissimæ necis Catholici presbyteri: *Nauis in mare demittitur, non vt vectorē seruet, sed perdat. O spectaculum graue, ò grauem tragœdiam: ignis aquæ miscetur, resquè inter se contrariæ ad pij viri supplicium concurrunt; ac nouo, & inaudito more fax supra mare attollitur; ad quam accedēs fortasse quispiam, miserandum spectaculū vidit, nauigationem sine gubernatore, naufragium sine tempestate: sic ille cinis efficitur, ac nè cinis quidem, sparsus in vadis; nec tanti fuit Sacerdotij dignitas, vt certè sepultura daretur, quæ & sacrilegis conceditur; nec desuper sanctus ignis vindex eius, qui huiusmodi facem nauigantibus praeferebat*. Elegans amplificatio, & descriptio cum antithetis: *Nauigatio sine gubernatore, naufragium sine tempestate; cinis, ac nè cinis quidem, &c.* simili barbarie Iaponicæ tyrannus post necem nostrorum, cinerem in mare dispergit.

16 Athanasiū præclaro ornat elogio: *Postquàm sanctissimum illū Orbis oculum, & Sacerdotum Antistitem, illum Confessorum Ducem, & magistrum, illam sublimē vocem, illud fidei columen, secundam illam Christi lucernam, & si fas est dicere, prodromum, post certamina vita functum, Trinitas ipsa, pro qua se periculis obiecerat, ad se transtulit; non est dubium quin ex his verbis Athanasium agnoscatis, &c.* Quod *Orbis oculum* vocat, tanquàm Solem fuisse ostendit. Vide autem quàm prudentèr, & modestè cum Ioanne Baptista cōferat.

Athanasij elegās elogium.

Cum Ioanne Baptista confertur.

Athanasius Mundi oculus, siuè Sol.

17 De Lucij persecutione sic: *Sic illa Aegypti plaga, secundus ille Arius, turbida illa, & amara procella, fera illa sacrosanctum solium inuasit*. Referri potest hoc ad Caluinū post Lutherum; fuit enim quasi *secunda Aegypti plaga*. Tùm admodùm elegantèr de persecutione sic: *Hanc tragœdiam Oriens vidit, Occidens desleuit; cui immanitatis huiusce signa fugitiuus Antistes signa proposuit; nàm pro cadaueribus cruentas vestes Ecclesia Romana protulit, ac per tacitam accusationem omnibus lacrymas mouit: vt calamitatis magnitudinē in oculis, & aspectu defigeret*. Alludit ad illud Romani Oratoris, qui cruentam Cæsaris vestem populo ostendit, vt commoueret. ità hìc tàm aptè, & amplè persecutionem descripsit, & bonorum cædes, vt quasi cruentam Ecclesiæ vestem proferre videretur.

Martyres cruenta vestis Ecclesiæ.

18 Pulchrè de Herone ob fidē virgis cæso: *O sacra tua vulnera: virgis quidem laceraris, & quanquam in ea tui parte, qua in aspectum cadit, insectaris, ea tamen parte, qua mente percipitur, haud quaquam deijceris. quin etiam fortitudinem ob omniū oculos tanquàm in columna sculpis; atque etiam tacens, neq; enim munus tuum exequi lingua poterat, constantiæ magistrum te præbes*. Insignis hic locus est de Christi flagellatione, ad quem multò magis hæc amplificatio pertinet: *O sacra tua vulnera, &c.* In ipsa autem columna per cruorem inscriptæ sunt triumphales pietatis notę, vt in columnis solebant; etiam quolibet tacente, pro linguis erant ipsa vulnera. græcè est στίγματα. pulchrè item ait, licet corpus inflecteret ad flagella, tamen animum tunc maximè erectum stetisse constantia.

Columna vbi flagellatus Christus inscripta triumphalibus notis.

19 De eiusdem exilio sic: *Exul eijceris, vt alias oras inhumanas erudias, nàm tibi patria Mundus est; philosophicus animus ex eo, quod passus sit, generosior redditur, atq; vt candens ferrum frigida aspersione in periculis obdurescit.* Nota fructum exilij, nàm illa occasione, dùm inter barbaros moratur, eos fide instituit; sic vna mulier facta in bello captiua, totam Iberiam conuertit ad fidem. Quod autem de ferro cãdenti ait, accommodari aptè potest ad eos, quos Iaponiæ tyrannus inter alia cruciamenta aquæ frigidæ iactatione dirum in modũ vt Christianos vexat; sed tunc illi firmiores facti obdurescunt ad cruciatus.

Iustus nũquam exul cui patria Mũdus est.

Martyr ceu candens ferrũ aqua respersum obdurescit ad pœnas.

20 Quoniam pro Trinitate Hero certarat, digreditur ad veram de Trinitate sententiam: *Patris proprietas hæc est, quod ingenitus, Filij quod genitus, Spiritus sancti quod procedat. quod si modum quæris, quid ijs relicturus es, quos solos mutuò se cognoscere, atque à se mutuò cognosci scriptura testatur? aut ijs etiam nostrorum, qui posteà diuinitus illuminabuntur?* acutè arguit; nàm cum scriptum sit: *Nemo nouit patrem, nisi filius*, cur tu audacter percipere vis omnia, quę ad personas pertinẽt? deindè cur omnium futurorum sæculorũ scientiam tibi vsurpare vis? nàm Deus ipso temporum progressu augmentum sapientiæ communicat. est autem hic locus egregius pro Doctoribus Ecclesiæ, qui diù post primos secuti sunt, vt Thomas Aquinas, & Bonauentura. rectè igitur arguit: *Quid ijs relicturus es qui posteà diuinitus illuminabuntur?* diuinitùs sanè, vt ipsi quoq; fassi sunt accepisse.

Trinitas non temerè inuestiganda.

Scientia semper crescit profectu.

Ex Oratione XXIII. De Aegypt. Episc. aduentu.

1 CVm Constantinopolis fame laboraret, oportunè appulerunt ex Ægypto Episcopi cũ naui frumẽto onusta. Tùm sic: *Christus anteà ob Herodis nefariam puerorum obtruncationem in Aegyptum fugatus, nunc verò propter patrum in filios amorem Aegypti facultatibus adiutus.* acutè adnotat, olim in Herodis persecutione Christum in Ægyptum se recepisse, nũc ab Ægyptijs ipsis in suis fotum, & nutritum. nempè hæc diuinæ prouidẽtiæ sunt magnalia, vt consulat, & subueniat suis etiam per extraneos.

Dei prouidentia suis prouidendo per exteros.

2 Athanasium commendat: *Post multas dimicationes, & palæstras vita functus, res nostras cœlitùs inspicit, ac laborantibus virtutis causa manum porrigit, nunc maximè corporis vinculis solutus.* Vide vt Sãcti post mortẽ maximè nobis adiumẽto sint.

Sancti post mortẽ maximè nos iuuant.

3 Pecuniæ cupiditatem carpit: *Aurũ occultus tyrannus, per quem multa sursum, deorsumq; velut in talorum ludo iactantur.* rectè appellat aurum occultum tyrãnum, adeò animum sibi subiugat, & crudelitèr angit, ac torquet. pulchrè etiam aleæ comparat, ob incertos negotiationum euentus, & suspensionem animi.

Aurum occultus tyrannus.

4 Laudat horum Episcoporum in fide constantiam: *Pro Christo pati amori cumulum affert.* græcè est τῷ φίλτρῳ προστίθησι. *atque ad sequentia certamina velut arrha existit.* Pulchrè amorem ergà Christum vocat philtrum, hoc est amatoriũ poculum; hoc magis impleri ait patiendo pro Christo. huc refer illud psalmistæ: *Calix meus inebrians quam præclarus est?* Itẽ nota, dùm aliquid patimur pro Christo, magis nos accendi ad plus patiendũ.

Passio pro Christo amatorium poculũ est.

5 Ostendit elegantèr quantò præclarior Ægyptus sit post Christi fidem, quã anteà: *Hæc sunt, Aegypte, narrationes tuæ, & miracula. at tu antea Mendesios hircos laudibus efferebas, & Memphiticum Apim, vitulum præpinguem, & obesum, & Isidis sacra, & Osiridis lacerationes, & Serapidẽ tuum, & quæ his fœdiora, animalium, & reptilium figuras, quæ omnia Christus superauit, & Christi piscatores; per quos nũc magis agnosceris, quàm omnes ab omnibus simul historijs.* Referri hæc possunt ad S. Antonium, qui deletis superstitionibus Ægyptum illustrauit miraculis, & consecrauit cœnobijs. item ad noui Orbis incolas, & barbaros ex impio idolorum cultu ad Christi fidem conuersos.

6 Est hoc insigne gentis præconium: *Popule, ad quem beneficijs ornandum accinctus est Deus; popule in manibus Domini scripte, & cuius porta sculptura.* pro, scripte, græcè est ἐζωγραφημένους, quasi extra scripte, vel depicte, vel sculpte, vt eminẽtèr appareat. quæ verba pulchrè referre quisque religiosus potest ad suam religionem, exagerando hæc tria, Deum accinctum, ac paratum semper ad beneficia generatim, quæ contulit; tùm peculiarem protectionem sibi euidentèr ostensam in multis, iuxtà illud: *In manibus meis descripsi te, & muri tui coram me semper.* deniquè sculpturas varias, hoc est exempla diuersa Sanctorum, qui eam religionem illustrarunt: hæ quasi portę sculpturę sũt. alludere autem videtur a 1 sculpturas tẽpli: *Et in ingressu oraculi fecit duo ostia de lignis oliuarum, & sculpsit in eis picturam Cherubim, & palmarum species, &c. & texit ea auro; fecitque in introitu templi postes de lignis oliuarum, & sculpsit Cherubim, & palmas, & cælaturas valdè eminẽtes; operuitq; omnia laminis aureis opere quadro ad regulam.* quæ omnia pulchrè indicare videntur, quæ spectanda sint in

Religiosorum tres præclarissimæ dotes.

in-

ingressu religionis: non quælibet virtutes, sed *valdè eminentes*; est enim is status perfectionis. cælaturæ autem quid aliud nisi mortificationis ictus indicant, Cherubim verò scientiam rerum diuinarum, & palmæ victoriam propriarum passionum: & hæ palmæ in ipso ingressu religionis habentur per victoriam, quæ de Mundo reportatur, & sæpè de lucta parentum, vt accidit Thomæ Aquinati, præter illam impudicæ mulierculæ. hic sanè & Cherubicæ scientiæ, atquè Angelicæ puritatis, cæterarumq; virtutum valde eminentium laude præclarissimus fuit, ab ipso, inquam, religionis ingressu.

7 De frumento ex Vrbe Alexandria Constantinopolim, atquè adeò ad ipsum Gregorium allato sic eleganter: *Pulchrũ spectaculum, in Alexandria portu nauium pompam intueri, &c. at pulchrius hoc cum ad me appulistis tanquam ad portum; & idem nos frumentum largimur. Venite, inquit, comedite panem meum, &c. ad mensam meam vos cum Sapientia inuito* Egregiè vtrumq; portum confert, & hunc spiritalem præfert quia reficiuntur animæ.

Prædicatio frumentaria negotiatio est

Sap.

8 Inuehitur in Arianos, & Macedonianos, qui negabant Spiritum sanctum Deum: *Audacius aliquid proloquar. O Trinitas, temeritati meæ venia detur, nàm de animi salute periculum est. Dei quoq; ipse sum imago; superna, inquam, gloria, licet humi positus. Si Spiritus sanctus Deus non est, Deus priùs efficiatur, atque ita demùm me Deum efficiat.* rectè arguit; ostẽdit primò se Dei partes tueri debere, quippè eius imaginem in se habet. deindè cum promittat Spiritus sãctus, se per gratiam hominem quodãmodò deificare; si Deus non esset, respõderi posset, quod quidam obiecit Alexandro, qui vnum ex amicis inter Deos statui iusserat: Fac te, inquit, priùs Deum, si potes. huc pertinet, quod acutè addit: *Quid me, cum Spiritus tanquã Dei templum sit, rei creatæ domicilium facis? quid me partim honore, partim ignominia afficis?* rectè item arguit; cum dicat Paulus: *Nescitis, quia corpora vestra templum sunt Spiritus sancti?* si Deus non esset, quid magnum diceret? templum nonnisi Deo debetur.

Spiritus sãcti diuinitas probatur.

9 Pulchrè hortatur ex varijs scripturæ locis, vt Spiritum sanctum fateatur Deum: *Cum Seraphim diuinam gloriam prædica, tres sanctitates in vnam dominationem contrahentibus, primamq; essentiam hactenus meditantibus, quatenùs eam studiosis hominibus aperiunt paulùm eorum ala.* Nota, cur duabus alis Seraphim volare dicantur? hoc est cum cæteris alis immotis velarent caput, & pedes Deo, duas medias mouebant, vt aliquo modo Dei pectus pietate in nos ardens liceret aspicere. Pergit hortari: *Cum Dauide illuminare, lumen ità alloquente: In lumine tuo videbimus lumen, hoc est in Spiritu Filium, quo quid potest esse splendidius? cum Ioanne illo tonitrui filio intona, nihil de Deo abiectum, ac terrenum intonans, sed excelsum, & sublime, nempè Verbum illud, quod à principio erat, &c.* arguitè; nàm ad tonitrui filium pertinebat, quasi coruscãdo, atq; impios deterrendo, diuinitatem altiùs prædicare. Addit his pulchrè: *Cum Luca diuinitùs afflare, Apostolorum acta legens quid te Ananiæ Saphiræq; adiungis, nouis illis furibus, nõ pecuniam, nec aliquid leue suffurans, vt linguam auream, paludamentum, aut didracma, vt quidem auarus miles, sed ipsam diuinitatem surripiens, vt cum scriptura loquar, Deo, non homini mentiens?* acutè cõparat cum his, qui ob furtum grauissimè à Deo puniti sunt, Arianos quasi filio diuinitatem furantes: sicut enim Achan paludamentum hoc est imperatoriam vestem furatus est: ità Arius quasi diuinitatis insignibus regijs filium spoliauit; & sicut idem linguam auream abstulit, qua linguæ specie & super Apostolos venit, ita Spiritum sanctum quoq; Deum negauit, qui per linguam significatur, & verè auream. Quod autem ait: *cum Luca diuinitùs afflare.* græcè est ἐμπνέεσθαι; hoc est quasi implere diuino Spiritu anhelans. vbi vides eos, qui sacrã scripturã, vt oportet, legunt, & de sancto Spiritu loquuntur, vt decet, quasi Deo lymphatos afflari. Prætereà sic etiam hortatur: *Cum Paulo de rebus diuinis differ, cum illo, inquam, ad tertium Cœlum euecto, qui nonnunquàm tres personas connumerat, idq; variè, nec nominum ordine seruato; sed eandem personam nunc prænumerans, nunc connumerans, nunc subnumerãs, vt naturæ æqualitatem ostendat. non nunquàm trium, interdum duarum, aut vnius mentionem facit, tanquam videlicet reliqua persona simul sequantur, &c.* acutè adnotat, Paulum sine discrimine, & gradu mentionem facere personarum, dùm candẽ modò proponit, modò postponit, aut nõ omnes numerat: scilicet nè videatur altera dignitate præcellere alteri.

Esa. 6.

Seraphim cur mouerent duas alas circa pectus Dei

In lumine lumen videre est in Spiritu sancto.

Ariani Spiritui sancto diuinitatẽ vt Achan regia insignia furantur.

Iosue 12

De s. Spiritu rectè loqui afflari diuinitus est.

Aequalitas trium personarum probatur.

Ex Oratiõne XXIV. Contra Arianos.

1 IN Arianos inuehitur, qui de multitudine ipsorum sectam sequentium gloriabantur, & Catholicorum paucitatem obtendebant: *Vbi sunt, qui paupertatem nobis exprobant, & opes suas iactant? qui Ecclesiam multitudine definiunt, et paruum gregem aspernantur. arenam in pretio ha-*

habent, & Mundi lumina contumelijs afficiunt. lapides cumulant, & gemmas contemnunt. acutè perstringit: hæreticos enim arenæ comparat, Catholicos stellis; illos vulgaribus lapidibus, hos pretiosis lapillis. Vide igitur quàm præclaram vitam degere debeant Catholici: referri etiam hoc ad statum sęcularem, & religiosum potest; in quo non multitudo, sed pretiositas morum attendenda.

In cœtu hominum, non multitudo, sed virtutis præstantia in laude est.

2 Damna ab hæreticis inflicta dolet: *O altariá diruta. quisnàm impudicus adolescens turpitèr cantillans, ac membra inflectens vobis insultauit? O virginum pudor, & castitas, nè pudicorum quidem virorum cōspectum ferens, quisnàm affecit probro, ac mirandum spectaculum oculis proposuit?* Hæ querelæ nostrorum quoque temporum sunt. his similia, & peiora experta Britannia est, & Septentrionum vrbes. & nota de sanctimonialium pudore, vt nè honestis quidem viris se visendas præberent.

Damna ab hæreticis in Ecclesiā illata.

3 Hæreticorum crudelitatem in Catholicos exponit: *Episcoporum seniles carnes ferreis vngulis laceratæ sunt, qui populum pretioso sanguine asperserunt. presbyteros igni, & aqua elementa contraria inter se diuiserunt, nouo, & inaudito modo nauigantibus prælucentes, simul cum naui combustos.* recte ostendit, naues, in quibus Catholici comburebantur, ipsa flamma in Cynosuras euasisse, alijs cōstantię duces; hæc autem & similia immanitatis genera, etiam nostra ętate ab hæreticis exprōpta in nostræ Societatis homines maximè. Meritò autem pretiosum illum sanguinem dicit, quo perfusa Ecclesia purpurascit in augustum reginæ decus.

Sęuitia hęreticorum in Catholicos.

4 Ariani exprobabāt Gregorio, quod solitudinem elegisset incommodam. inducit igitur eorum insanientem Ecclesiam sic obloquentem nostræ, ac sese iactantem. *Parua tibi Ciuitas est, & inamœnus locus; at mihi & mœnia sunt, & theatra, & Circi, & palatia; & pulchræ, atque ingentes porticus; atq; hoc incredibile opus, subterraneus, & aerius fluuius, & illustris hæc, & visenda columna, &c.* græcè est λαμπρὸς στύλος, hoc est resplendens columna, scilicet ex Pario marmore, vel simili. Respondet elegātèr Gregorius veræ Ecclesiæ nomine: Ideò nè probrosi sumus, *quia nec mare in orbē effregimus, nec anni partes temperauimus ad delicias, &c.?* at non est his gloriandum. an probro nobis datis, quod vestitus sit asper, quod nihil in nobis scurrile, *nec nouam illam Hierusalem, hoc est Zeusippum inuiso?* Vide vt religionis incommoda nobis potiùs ad decus faciant. certè Plato Academiam in insalubri loco delegit, vt faciliùs philosopharetur à delicijs vrbanis procul.

Delicię impediunt studium philosophandi.

5 Ostendit, viro religioso, ac pio non deesse, quo cōtentus sit: *At ego ità simplici, & philosophico animo præditus sū, vt vnū, idēq; Cœlū omnibus cōmune esse existimē: cōmunē item Solis, et Lunæ cōuersionē; communem siderum situm, & ordinem. flumina insuper, hoc est communes, & perennes diuitias. vnam tellurem & parentis, & sepulchri rationem habere. & vt maiora proferam, communem rationem, legem, prophetas, ipsos Christi cruciatus.* Rectè monet, neminem conqueri debere de paupertate, cum ea, quæ maiora sunt, æquè omnibus suppetant, vt Solis aspectus, siderum defluuia, terræ, ac fluminum obsequia; ratio insita, sacra scriptura, imò ipse Christi sanguis pro omnibus fusus. pulchrè aūt vir in primis religiosus appellatur, *simplici, et philosophico animo præditus.*

Deus quæ præcipua fuit in natura omnibus communia fecit.

Religiosus qualis esse debeat.

6 Ignobilitatem patriæ non obesse iusto dicit: *Certè parua illa Ramatha magni illius Samuelis patria ei dedecori non fuit; nec à se ipsa potiùs quàm ab eo honorem cōsecuta est; nec impedimento fuit, quò minus oracula ederet; Reges, & Sacerdotes vngeret, &c.* Idem patet in sanctissimis viris duobus Franciscis, quorum alteri Assisiū, alteri Paula patria fuit, vt reliquos omittam: quid quod Saluator ipse tàm humilem patriam secundùm carnem habere voluit, vt de ea diceretur: *à Nazareth potest nè aliquid boni esse?* imò verò indè omne bonum. huc spectat quod sequitur.

Ignobilitas patriæ non est probro iusto.

7 Pergit ostendere humilitatem non obesse veræ gloriæ; nàm Saul asinas quærens, regnum inuenit, & Dauid oues pascens. Amos caprarius fuit, &c. *Helisei melotes plus virium habuit, quàm fila serica, & aurum vestibus assutum. nec verò vlteriùs progredi dubitabo, Deum rusticitatis meæ patronū nactus, ἀγροικίας συνήγορον. Cum Bethleem collocabor, cum præsepi vilipendar. at tu cum Deum ipse contemnas, quid mirum si præconem quoquè despicias?* Egregius locus de imitatione humilitatis Christi. quod autem pellem ouillam, ac vilem Helisei, prodigijs nobilem præfert serico, & auro, id aptè referri potest ad viles, ac detritos Sanctorū saccos, & cilicia, quibus sæpè miracula patrantur.

Humilitas status non obest iusto.

8 Eremi hæc præclara laus est: *Despectui solitudinem, non veneratione habebis? non dico aurum in arenis nasci, & pellucidos lapides à petris produci, & donari, &c.* scilicet in solitudine maximè affluunt dona cœlestia. Facit hoc pro Antonio, Hilarione, Romualdo, Brunone &c. has solitariæ vitæ opes innuere visus est Iob dicens: *Locus saphiri lapides eius, & glebæ illius aurum.* Iob 28.

Solitudo fodina auri, atq; gemmarum.

9 Gregorium Ariani parui faciebant, quasi peregrinum, & exterum. Sed affert exemplum Apostolorum, qui ex oppidu-

lis

lis ferè oriundi,& gentibus exteri erant. Tùm sic pulchrè: *Magnis,& excelsis viris patria vna est suprema Hierusalem, in quam conuersationem nostram recõdimus. omnibus genus, si inferiora spectes, puluis; si superiora, spectaculum illud, cuius participes facti sumus, quod seruare iubemur, cũ quo nobis ad tribunal sisti necesse est; vt diuinitùs inditæ nobilitatis, & imaginis rationem reddamus*. Magnum pondus habent hæc verba. in iudicio districtè rationem reddendam de Dei imagine nobis indita, in qua sita est vera nobilitas, si eã vitijs inquinauerimus, & si spiraculo accepto vitæ, sponte contraxerimus mortẽ. itáque addit: *Quisquis igitur spiraculum illud conseruauerit, huic demùm nobilitas constabit: contra qui per vitium fœdauerit, ille verè ignobilis, & obscurus habendus*. Tùm ista sic concludit: *Terrena autem hæc patria, atq; hæc generum discrimina, breuis huius vitæ nostræ, ac scæna ludi sũt*. Vides, vt tota nobilitas humana fabula quædam sit,& tragicę catastrophæ obnoxia; & fumosæ ipsæ maiorum imagines merus fumus sint.

Vera nobilitas est D. imago in nobis

Terrena nobilitas vmbratilis, ac scænica est.

10 Gaudet se exemplo Christi despicabilem haberi: *Sanè gratiam vobis habeo, quod mansuetudinem mihi tanquam amentiam obiecistis, sit enim excelsius multò quã pro vestro more meum reputo. quota tandem pars hæc sunt sputorum, & alaparum Christi, pro quo pericula subeuntur? omnia enim vero minoris duco vnica spinea corona, quæ victori nostro diabolo coronam detraxit, & per quam me quoq; vitæ asperitate velut corona quadam redimiri sentio; vnica arundine, per quam imbecille imperium subleuatum: minoris vnico felle, atq; vnico aceto, per quæ amara nostri degustatio sublata est. illic, si quis zelo inflammatus Malchi aurem gladio præciderit, indignè feret, eamq; restituet. si qui ignem è Cœlo aduersus eos, a quibus abducitur, poposcerint, haud quaquam profundit. si latronem ob scelus in cruce sublatum acceperit, eum pro sua benegnitate in Paradisum introducet. benigni denique Christi benigna sunt omnia*. Eximius hic locus est de imitatione Christi in perferendis iniurijs. præclara vox illa, & piè vsurpanda in aduersis. *Quota pars est hæc sputorum, & alaparum Christi, &c.*? acutè autem ait, per spineam Christi coronam duo effecta, vt videlicet per eam eius capiti impositam, è diaboli capite corona regni detracta sit; & vt nos speremus per puncturas afflictionum coronandos. De arundine itẽ acutè: nàm vt hæc leuis, & instabilis est, ita per eam factum, vt diaboli sceptrum infirmum esset,& facilè comminuetur. felle quoque,& aceto curatum est nostrum amaritudine ... abstersa,

Passionis Christi memoria leue facit, quod patimur.

Per spineã Christi coronam diabolus amisit suam,& per illius arundinem suum sceptrum.

& cœlesti suauitate demulsum. rectè autẽ ait, minora esse, quæ patimur, sicut & Paulus post Martyrum supplicia cõmemorata, subiungit: *Vos autem nondùm vsq; ad sanguinem restitistis*.

11 Retundit arrogantiam Arianorũ, qui de multitudine eius sectæ, & de sumptuosis templis gloriabantur. itáque sic ait elegantèr per antitheta: *Hi habent magnifica templa, nos Deum, imò nos viua templa sumus Dei viuentis, victimæ viuæ, sacrificiá perfecta, Dij denique, Trinitatis adoratæ beneficio. hi populos habent, nos Angelos. hi minas, nos preces. hi quo percutiant, nos quod perferimus hi aurum,& argentum, nos repurgatam doctrinam. at mihi grex exiguus, sed in præcipitia non fertur. at angusta mihi caula sed quæ non patet lupis: nec dubito, quin eam latiorem aliquãdo visurus sim. scriptum est: Oues meæ vocem meam audiunt, & eas nominatim voco; nec enim nomine carent, quemadmodùm nec sidera, quæ suo quæque nomine appellantur*. pulchrè opponit materialibus templis *nos viua templa Dei viuentis, victimas viuas, &c.* quod præsertim religiosis competit, in quibus non multitudo tàm spectanda, quàm pietas. ac nota obedientiam esse prædestinationis signum; dùm audientes oues sideribus comparat, de quibus item dicitur: *Qui claudit stellas quasi sub signaculo, & omnibus eis nomina vocat*. sicut oues clauduntur caula,& nominatim a pastore vocantur: habes enim quasi sidereum gregem in Cœlo huic affinem,& adsimilem, quem Lucifer ducit; celsum enim, & præclarum esse oportet. talem autem siderum obedientiam mirificè Baruc propheta describit dicens: *Stellæ dederunt lumen in custodijs suis; lætatæ sunt, vocatæ sunt, & dixerunt, adsumus. & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas*. Vides & promptitudinem, & alacritatem in obediendo.

Pauci, & boni laudantur.

Iob.9.

12 De recta fide sic: *Valentini Bythum, & Sigen fugiens. res sanè profundo gurgite, ac silentio dignas*. acutè carpit, & irridet Valentini hæresiarchæ figmenta de Bytho, idest profundo, & Sige, idest silentio. verè enim ait digna esse profundo silentio. Tùm præclarè constantem fidei professionem facit: *Fidem tibi non fallam, pater principij expers. fidem non fallam, Verbum vnigenitum. fidem non fallam, Spiritus sancte. Scio quid professus fuerim, cui renunciauerim, & cui me adiunxerim*. Digna vox Catholico; cui ex parte adstipulatur illa Chrysostomi, qui hæc profiteri iubet: Abrenuncio tibi, Satana, & coniungor tibi, Christe. distinguit porrò Catholicum ab alijs fide Trinitatis. nàm si interrogetis *In cuius nomine baptizatus es? patris, rectè, verum adhuc Iudaicum*. nàm

Professio fidei qualiter facienda.

nàm & Iudæi Deum vnum colunt, at non tres personas.

Ex Oratione XXV. De modo disputandi in Diuinis.

1 DIssensionem in disputando, non veritatis indagandæ, sed peruicaciæ causa, reprehendit: *Quidnam in nostra doctrina præstantissimum est? pax, addam etiam vtilissimum.* *contra quid turpissimum, ac perniciosissimum? voluntatum disiunctio.* Huc refer, quod Dauid cócordiam mixturæ pretiosi, & suauis vnguenti Sacerdotalis, & purissimo rori comparat; idq; ad religiosos maximè pertinet. hoc in suis legibus Ignatius commendat, vt id ipsum omnes sapiant, & dicant, & doctrinarum schismata vitent: quò spectat id, quod sequitur.

In disputando concordia laudatur.

2 In ingenio acumen, non contumaciam laudat: *Ingenia magna, & feruentia tumultus istos, in quibus versamur, excitarunt. non quòd animorum acrimoniam in vitio ponamus, sine quo nemo aliquid pietatis, aut alterius virtutis munus exequi potest; sed qua cum generositate impudentiam, & temeritatem coniunctam habet.* Ostendit id eleganti similitudine: *Sic nimirùm equum acris esse, ac generosa natura necesse est, qui siue in acie, siuè in ludicro cursitet, & certamine victor sit discessurus; ac fræno eruditus sit, & edomitus, & circuratur.* Vide, vt in disputando vigor quidam ingenij requiratur, sed tractabilis. Ostendit etiam alia similitudine gladij, & ignis, quibus si rectè quis vtatur, laudé assequetur, sin malè vituperationé, quod in discordia fit; ac proindè rectè conqueritur: *Non iàm acutus ille Christi sermo, idest gladius ab impijs diuidit, nec ignis accenditur, hoc est spiritus feruor vitiorum materiam absumens, sed cótrario planè more scindimur, & consumimur*: Est hoc maximè tempore præclarum monitum necessarium in controuersijs præsertim de gratia, & Deiparæ conceptione: *Ingenia magna, & feruentia tumultus istos, in quibus versamur, excitarunt.* iniquum esset, si ob conceptam Virginem conciperentur inter nos odia. Angelus ipse tota nocte luctatus cum Iacob, tandem ait: *Dimitte me, iàm. n. ascendit Aurora.* at nos de ascédente Aurora potiùs luctam inimus. Laudo acumen ingenij, modò absit conuiciú. itàq; rectè monet; nec minus feruidi, nec minus segnes in Dei causa simus: *Defectus, & excessus virtutem labefactant.*

Ingenium vt equus generosus, sed frænum patiens.

Ingenium gladius est, sed benè vtendum

Dissensiones in disputando nimis contentiosæ vitandæ.

3 Ostendit eleganter ordinis bonum, hoc est concordiæ, in hac ipsa rerum vniuersitate: *Ordine concinnata, & distincta sunt omnia; & quidem concinnatore Verbo ordo constituit, & colligauit: ordo & in Angelis; ordo in astrorum motu, magnitudine, mutua relatione, & splendore: alia enim Solis est gloria, alia lunæ, alia stellarum. Et stella differt à stella in claritate. ordo item in anni partibus, &c.* Ad hunc Vniuersitatis ordinem, ac rerum inter se colligationem refer auream illam catenam Homericam, quanquàm à Platone pro Sole accipitur, vt præcipua causa à Deo ad húc finé constituta. Tùm discordiæ malum indicat: *Contra autem perturbatio, & confusio in aere tonitrua, in terra motus, in mari naufragia, in vrbibus bella, in corporibus morbos, in animis scelera procreauit. quin vltimam illam Vniuersi labem, & corruptionem non aliam existimemus, quàm profusam quandam, ac redundátem rerum confusionem. vt enim ordo constringit, ità perturbatio soluit, ac dissipat.* Nota: terræmotus, incédia montium, &c. prælusiones quædam sunt ad vltimum Orbis exitium. & sicut inordinatus motus ista facit, & discordia elementorum, ità ex maxima eorum discordia ad extremum Mundus peribit. quod in malum religiosorum familiæ nè per discordiam incurrant, summoperè caueant.

Ordinis bonum in ipsa Vniuersitate consideratur.

1. Cor. 15.

Damna ex discordia etiam in elementis

4 Pergit in ordinis, & concordiæ laudibus: *Addam, quod maximum est. ordo ex mixtura partim ratione prædita, partim rationis experte hominem arcano modo, & ineffabili construxit; terram cum mente, mentem cum spiritu vinxit.* Egregiè indicat vim ordinis, qui colligare potuit res tàm diuersas, tàm arcto nexu, corpus, & spiritum; carnem, & intellectum. Sequitur: *Quid multa? ordo omnium rerum pater, & præsidium est, solusq; Verbi rerum omnium conditoris, & architecti sermone commodè vti queat, siquidem vocem acceperit, cum Mundus produceretur: Ego inquit, illi adstabam, omnia componens, atq; conglutinans; cum adornaret thronum suum super ventos, & supernas nubes roboraret, &c.* Præclara laus est hæc ordinis in Vniuerso, cui constituendo diuinum Verbum adfuit architectus. Et quoniam Ecclesia hæc verba ad Deiparam refert, vide an illam decuerit in conceptione incurrere in originale peccatum, quo nihil magis inordinatum fuit, imò quo ordo ipse destructus est. pulchrè autem illud dictum de diuina sapientia: *Cum adornaret thronum suum super ventos.* profectò tunc & Deiparam pro throno elegit: per ventos celeritatem intelligo, iuxtà illud: *Adiuuabit eam Deus manè diluculo.* Quod autem subiungit: *Et cum supernas nubes roboraret.* roborauit illam in gratia; nàm de ipsa dicitur: *Ecce ascédit Dominus super nubem leuem.* Certè incongruum videtur,

Vnio mira corporis, & spiritus ex ordine est.

Sap. 10.

Verbi diuini architectus Vniuersitatis inter se colligatę

Deiparæ conceptio adornatio throni Dei fuit.

vt Verbum ordinis structor, matrem sibi adstrueret inordinatam.

5 Ex ordine Vniuersi transit ad ordinem mysticum: *sic ordo in Ecclesia constituit, vt alij pastores sint, alij oues; alij præsint, alij subsint; alius aliud quasi corporis membrum ad totius Ecclesiæ cõcinnitatem.* græcè est ἐναρμονίαν, est autẽ ἐναρμόζω, harmonicè, benè concinnare. Addit à simili: *Nec pes prospicit, sed ingreditur; nec oculus ambulat, sed viam commõstrat. sic ait Apostolus: Quosdam posuit pastores, alios, &c. item alij datur sermo sapientiæ, &c. nè igitur linguæ munere omnes fungamur, nec omnes Apostoli sumus. quanquam enim amplum, & præclarum est de Deo verba facere, præclarius tamen est seipsum Deo purgare.* Notabile dictum; est autem contra eos, qui nimis auidi sunt concionandi, nondùm maturi, vel altioris muneris exercendi: quò spectant sequentia.

Ecclesia corpus harmonicum, & ordinatum

Eph. 4.

1. Cor. 14.

Concionator nonnisi purgata mente accedat.

6 Ostendit quantum oneris suscipiat, qui apud alios concionari aggreditur, præsertim si sit Prælatus: *Magnũ, & præclarum est docere; at discere periculo vacat. quid exercitum ducere instituis adhuc Miles? quid incerta, & periculosa maris lucra consectaris, cum terram tenere liceat sine periculo, etiam si minore cum quæstu? si adhuc tenera ætate es, Corinthios imitare, satis habe lacte imbui.* Rectè arguit nimiã cupiditatem concionandi, in iuuene maximè, nondùm confirmata virtute: sunt autem elegantes metaphoræ, tyronis in medios armatos temerè irrumpentis, imperiti gubernatoris nauim tractantis; lactentis penè pueri ardua aggredientis.

Concionator, & Prælatus cum milite, & nauis gubernatore collatus.

1. Cor. 3.

7 Eos, qui Episcopatum, & prælationem affectant, sic deterret: *Nescitis, Fratres, quanta difficultate premamur, qui hic cum pompa præsidemus. ac fortassè nec nostrùm plerique, quod deplorandum est, intelligunt, quomodò apud Deum nostra omnia velut ad lancem expendantur; nec apud Deum solùm, sed apud omnes homines, qui cum rerum suarum tardi sint Iudices, in alienis tamen censoriam virgulam statim arripiunt; etiusq; alijs grauiora delicta, quàm nobis leuissima concesserunt.* Notabile dictum de onere Prælati, quantum cauere debeat, nè & Dei oculos, & hominũ offendat, præsertim cum horum iudiciũ ad malum pronum sit. magnum pondus est in illis verbis: omnia, quæ Prælatus agit: *apud Deum velut lance expendi.*

Episcopus, & Dei, & hominum iudicio obnoxius.

8 Quàm difficile sit concionandi munus, ostendit, præsertim si theologicè loquendum sit: *Nescitis quantum Dei donũ sit silentium, ac loquendi necessitate minimè obligari: nam cum omnis oratio, tùm ea, quæ de Deo suscipitur, tantò plus habet periculi, & difficultatis, quantò minus subiectum, & zelus amplior, & periculum grauius; nàm & res diuinas mente consequi arduum est, verbis exprimere perdifficile. Lux quædam, Deus est, atq; adeò lux omnium sublimissima, cuius perexiguus riuus, & radius ad inferiora pertingit, &c.* Vide quàm parua portio scientiæ sit vel insapientissimis viris; & quàm cautè ad theologica tractanda accedendum.

Concionantis periculum si imperite de diuinis tractet.

9 Arrogantiam eorum, qui ad diuina cognoscenda temerè accedunt, sic frangit: *Moses Dei posteriora per petram vix aspexit, idq; multis precibus, nec tantum quantum exoptabat, vidit; plusq; illud fuit, quod eum fugit, quàm quod se oculis subiecit. quem autem virum dico? qui Pharaonis Deus erat, qui tantam miraculorum vim demonstrauit. tu verò quosnã cælitùs aluisti? aquam ex petra extudisti? quod mare virga scidisti, &c.? vt ægrè feras quod plenè, atq; perfectè Deum non comprehendas?* rectè vrget. nàm Mosi etiam Pharaonis Deo dictum: *Ponam te in foramine petræ, &c.* ibi tanquàm reptile latens, vel tanquàm carcere, aut sepulchro inclusus imperfectam Dei cognitionem habuit per creaturas; quid de nobis dicendum? Tùm pulchrè addit: *Si es Moses, nubẽ ipsam ingredere; si autem Aaron, simul ascende, sed extrà nubem consiste. si verò Senatorij ordinis, & ex septuaginta viris vnus, longius adhuc gradũ fige. quod si plebeius, infimiq; ordinis, mons te non admittit, infrà mane, vocem solam audi, idq; postquàm te ipsum, vt iussus es, expiaueris, atq; mundaueris.* Rectè monet, vt se quisquè metiatur, videat, quantum in se doctrinæ, virtutisquè sit, atquè adeò in ordine, & gradu suo se contineat, nec temerè adspiret ad prælationes, ad magisteria, aut ad concionandi munus. itàque meritò carpit arrogantiã, & ait: Considera qui illi? Moses, Aarõ, cui licitum in sancta sanctorum ingredi; Leuitæ, qui arcam gestabant, &c. *At nos si exiguam quãdam gloriolam assecuti simus, imò tantùm temerè duo, aut tria scripturæ verba imperitè, & concisè didicerimus, illa videlicet sapientia est vno die parta, & Chalanæ turris, qua linguæ præclarè diuisæ sunt.* Vide quid sit superbè sapere, Babyloniam turrim excitare, Deo inuisam.

Mosis exẽplũ admonet quàm parum de Deo sciamus.

Quisq; metiri vires suas debet in suscipiendo onere aliquo.

Audacia imperitorũ taxatur.

10 Eos verè humiles esse dicit, qui in diuinis maximè, de suo ingenio minimè præsumũt: *Ego certè humilitatis, & modestiæ laudẽ non tã ei tribuerim, qui de seipso parua inter paucos, sed qui parcè, ac moderatè de Deo loquatur; & quædam proloqui, quædã premere, ac retinere, quorundã etiã inscitiam fateri nouit, ac nõnullos vberiore spiritus gratia præditos æquo animo ferat; turpe autem est in lacrymis, in vigilijs, in corporis afflictione humilitatem præseferre, ac propriam imbecillitatem agnoscere; in diuinis autem disputationibus principatum,* at

Modestia, & humilitas in disputando laudatur.

ac tyrannidem sibi vendicare, nec cuiquam omninò cedere; vbi certè humilitas non solùm gloriam, sed etiam securitatem habet. Est certè dignum notatu monitum; ostendit.n. hoc arrogantiæ vitiũ posse cadere etiam in viros alioquin sanctimoniæ fama nobiles,& humilitatem in cæteris præferentes, vt in disputando superiores alijs videri velint; sed perfecta humilitas,& sãctitas ista non est.

11 Laudabile quidem ait esse de Deo loqui, sed ea, quæ captum superant, doctioribus relinquendo: *Loquere tu quidem ea, quæ sunt spiritus, ac si fieri potest, nè aliud quidem quicquam loquere; imò etiam crebrius loquere, quàm respira: pulchrũ enim ac diuinum est per diuinarum rerum commemorationem ad Dei amorem perpetuò extimulari.* Præclarè dictum, semper in ore Deum habendum; ac sermone de diuinis non minus nos egere, quã respiratione; quò facit illud Thren: *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris.* Hebræa vox respirationem significat; adeò de Christi passione præsertim, vndè veram vitam hausimus, non minùs loqui, quàm vt viuamus, respirare debemus. Addit Gregorius: *imò etiam crebrius loquere, quàm respira.* Quod autem ait, hoc esse diuinum; græcè est θεῖον, quasi diuino numine afflati. & quod ait per sermonem de Deo ad eius amorem nos extimulari, est ἀναπτερῶσθαι, quasi sermo de Deo calcar sit, quo ad Deum currimus.

De Deo loqui non minus necessarium habemus, quam respirare.

Thren. 10.

12 Eos item arguit, qui in disputando, præsertim de diuinis, alijs supereminere volunt: *Satis tibi est fundamentum habere. superextruat architectus. verba, quibus cũ lacte imbutus es, retine, curam eruditioribus manda.* hoc est satis est te credere, & fide niti, arcana quædam doctioribus relinque. Subiungit: *Cur acerbum, & graue putas, si non in omni disputatione domineris, atq; in omni problemate, & quæstione primariam sedem obtineas? Deo gratia habenda, quod vt eximia largitur, ità per cõmunia saluti hominum consulere nouit. atq; hoc mirum non in doctrina tantùm, sed in ipsa Mundi effectione animaduertes: nàm quæ in rebus creatis excellentissima sunt, ea non aliquibus duntaxat, sed omnium mortalium sunt, atq; vnum, idemq; figmentum communis Dei gratia dimanans. quid pulchrius Sole est? nec tamen quisquam ad eò tyrannus est, vt communi beneficio solus fruatur: ità Deus quædam præcipua omnibus communia esse fecit, vt sunt lex, prophetæ oracula, gratia, spiritus distributio, Christi passio, deniquè quod maximum est, Trinitatis agnitio, ac primariæ nostræ spei confessio quid his maius, aut sublimius? quid rursum communius?* Pulchrè ostendit, neminem ægrè ferre debere, si quædam arcana theologica non assequatur ingenio, si omnes non superet doctrina: sufficit si quædam præcipua noscat; sicut enim Deus in natura, quæ primaria sunt omnibus fecit communia, ità quæ ad salutem maximè pertinent.

Disputandum non præfractè, sed cedendo doctioribus.

Non ægrè ferendum, si non omnia scias.

Deus præcipua quæque cõmunia omnibus fecit, vt Solem, &c. sic in spiritalibus.

13 Elegantèr ostendit, quantò tutior sit humilis simplicitas, quàm superba doctrina: *Ascendat verò alter, atq; à monte feratur, vel ad tertium vsq; Cœlum, si ità libeat, quò Paulus; sed cum ratione, & scientia, nè propter animi elationem cadat, pennisq; propter volatus sublimitatem liquefactis miserè corruat. alius contra exiguo est ingenio, lingua pauper; nec sapientum dicta, & ænigmata, nec Pyrrhonis instantias, ascensus, retentiones, oppositiones, nec Chrysippi solutiones, aut facultatum Aristotelicarum artificia, aut Platonis facundiæ præstigias, quæ velut Aegyptiaca quædam plaga in Ecclesiam nostram irrepserunt; at certè hic habet vndè salutem consequatur.* Rectè, & pulchrè Icari casum obijcit superbè sapiẽtibus; rectè item Platonis doctrinã in nonnullis vel fabulosam, vel perniciosam carpit; vt cum vxores etiam cõmunes facit: præstigias vocat, & quasi magicas incantationes, dùm facundia allicit, & nocet. Aegypti quoquè plagis comparat, ob damna. certè huiusmodi philosophos hæreticorum Patriarchas Tertullianus vocat. Vide igitur quantò tutior sit simplex pietas. meritò præponderare ait habere ea, quibus salutem consequaris, quàm quibus doctrinam tantùm; nàm vt nostros ipsos inter se comparemus, quis non esse mali Franciscus siuè Assisias, siuè Paulanus, quã aut Tertullianus, aut Origenes, quorum salus in ambiguo est.

Tutior est humilis simplicitas, quàm superba doctrina.

Platonis doctrina præstigiatrix, & plaga Ægypti.

Superbè sapienti Icari casus perniciosè conuenit.

14 Pulchrè ostendit ex Apostoli verbis, salutem, qua nihil maius, non indigere doctrina: *O mirificas diuinæ gratiæ opes: Nihil, inquit, tibi necesse est in Cœlum ascendere, vt Christum illinc trahas, nec in abyssum descendere, vt hinc eum à mortuis extrahas; hoc est, vt vel primam eius naturam curiosius inuestiges; vel primam carnis assumptæ dispensationem. propè te, inquit, Verbum est, mens, & lingua thesaurũ hunc habet. illa videlicet credendo, hæc confitendo. quid his diuitijs compendiosius? quid hoc beneficio facilius, & expromptius?* Vides veras esse diuitias in donis gratiæ, nõ in donis naturæ, hoc est ingenij, & doctrinæ. Paulus etiam gratiam diuitem dicit: *Secundùm diuitias gratiæ eius;* & iterùm vocat: *Abundantes diuitias gratiæ suæ.* quid mirum cum & reginam faciat? *Gratia regnat per iustitiam;* eidemq; solium regium tribuat: *Adeamus ad thronum Gratiæ eius.* Egregiè autem interpretatur illud Apostoli de detrahẽdo è Cœlis Christo, vel extrahendo ab Inferis, in quo vide-

Rom. 10.

Veræ diuitiæ non sunt naturæ dona, sed gratiæ.

Eph. 1. & 2.

Rom. 15.

Heb. 4.

deret alludere tùm ad id, quod Iuppiter apud Homerum gloriatur, se nulla Deorũ vi posse de Cœlo trahi; tùm ad id, quod de Hercule, & Orpheo ferunt Inferos penetrasse, vt suos extraherent.

15 Item ostendit salutem præponendã esse doctrinæ: *Tu maius aliquid salute quæris? mihi salutem consequi maximum est, & futuras vitare pœnas. nihil fide nostra esset iniquius, si in eruditis tantùm, & logicis demonstrationibus insignes; popularis autem multitudo, vt auro, & rebus pretiosis caret, sic hac quoq; frustraretur.* Præclarè dictum. ac vide si lex nostræ æquitatem, cum pauperes maximè amplectatur, non vult esse apud se inopes, sed abundantes gratiæ opes ipsis cõmunes facit. æquè diuina mysteria, & sacramenta impertit.

Fides Christi æqua non esset, si nonnisi doctos saluaret.

16 Pergit arrogantiam in doctrina carpere: *Quid in Cœlum peruolas, cum sis pedes? quid turrim extruis, cum careas requisitis? quid manu aquam metiris. & Cœlum palmo, quæ solus dimetiri possit Creator? primùm cognosce, quæ in manibus sũt, quis sis, &c. & in natura qui motus, quies, &c. ac tùm nondùm dicam aude, sed adhuc time ad illa sublimiora accedens.* Vide quã cautè theologica tractãda sint. elegantèr dictũ: *Quid in Cœlum peruolas cum pedes sis? quid turrim extruis, &c.* ? itaque rectè concludit: *Malim, si mihi vtrumq; fugere, ac mediocritatem assequi non liceat, nimis ignarus esse, quàm nimis curiosus; ac nimis timidus, quàm nimis audax, ac temerarius.*

Arrogantia in doctrina taxatur.

17 De pueritia benè instituẽda sic monet: *Minoris laboris est improbitatem accedentem fugere, quàm progredientem, altiùsq; grassantem reprimere, ac superare: sicut faciliùs est petram initio retinere, ac sistere, quàm ruentem sursum retrahere.* Vide quàm prona sit natura nostra ad lapsum suopte pondere. rectè ergò monet, antequàm per ætatem impetu passionum ruat in præceps, cohibendam. huc refer illud psalmi: *Priusquàm intelligant spinæ vestræ rhannum, &c.*

A pueritia institutio bona ante lapsũ facienda.

Psalm. 57.

18 Aliorum erratis compati hortatur: *Multum diùq; anteà versandus, & contorquendus animus est, quàm vt alium impietatis damnemus. non idem est, stirpem, aut breuem aliquem, & caducum florem, atque hominem excidere.* Pulchrè ait, per nimiam correctionem, quasi indolis florem infringi, quod si florem non tàm manu lenitèr carpere, quàm vngue discindere, iniquum est, multò magis acri correctionis vngue hominem lædere.

Correctio leuiter facienda, vt fit in flore carpendo

19 Modum salubris correctionis ostẽdit: *Sic fratrem tuum explora, quasi ipse ad eandem mensuram sis expendendus. si primùm obluctetur, leniter expectes; si secundò, nè spem abijcias; nondùm enim curationis tempus effluxit. si tertiò, benignum illũ agricolam imitare; cum domino adhùc age, nè infructuosam arborẽ excindat. quis scit an mutabitur? an Iesum à Bethania redeũtem alet? tu, qui spiritali illo vnguento arte vnguentaria confecto delibutus es, fraterni fœtoris non nihil perfer; siuè sit, siuè sis tibi videtur, vt ipse vicissim boni odoris illi aliquid impertias. vipera virus non est improbitas, vt simul atq; ictus fueris, intereas. itã in tuto versaberis, si improbitatis eius particeps minimè fueris. insuauis quidẽ odor est illius morbus, quem fortasse fragrãtia tua vincet, atq; depellet.* Rectè monet: fieri potest, vt qui nunc peccatis malè olet, mox bono odore cõfessionis, ac pœnitentiæ vnguento instar Magdalenę peccatricis inungat Christum. interim nostrũ est, vnguentũ nostræ charitatis effundere, cuius odore bono, putredo illa vincatur.

Correctio qualiter facienda.

Ex Oratione XXVI. De se ipso.

1 Ostendit se nunquàm ambijsse Cõstantinopolitanam sedem. ac primò commendat auditorum affectum ergà se: *Demiror quid sit, quod audita mea voce, peregrina licet, & exigua, quæ nihil amore dignum habeat, ità capti sitis, vt eo modo in me affecti esse videamini, quo ferrum ergà magnetem: nàm ex me pendetis, & alij ex alijs mutuo nexu inter vos cohærentes, & omnes ex Deo, ex quo omnia, & in quo omnia. O admirabilem catenam, quam sanctus Spiritus nectit firmissimis vinculis compactam, & coaptatam.* Non potest pulchrius explicari vis virtutis in Prælato, vel Concionatore, quàm vt sit sicut magnes, vel ferrea peccatorum corda trahens. & sicut vis magnetis transfusa in vnũ annulũ, manat in aliũ, & deinceps in alios, qui demũ in vnum desinunt catenæ vinculũ; ità hoc spectare debet concionator, vt auditores, quos ad se trahit, in Deum desinant. nec sui existimationem quærat. huc refer Homericam illam catenam auream, quam Plato, vt suprà dixi, Solem interpretatur, & Gallicum Herculem trahentem ad se catena aurea, è lingua deducta ad aures ipsum sequentium.

Affectus mirus subditorum erga Gregorium.

Concionator quasi magnes trahẽs ferrea peccatorũ corda.

2 De Episcopatu à se inuito suscepto sic: *Vos zelo feruentes clamantem me, & lamentantem, in hac sede collocastis. non vt quæramur, latebras petimus, nec vt præstantiori honore habeamur, quemadmodùm qui eximias quasdam formas paulùm osten sas, statim ex oculis subducunt.* pulchrã similitudo. Fugerat Gregorius in solitudinem, non quod quæri vellet, sed vt lateret. nonnunquàm enim sub specie humilitatis superbia, & sub specie fugæ ambitio conti-

Gregorius fugiens Episcopatũ non fictè, sed ex mera humilitate.

tinetur, ac sublatet: vt. s. magis aliorū desideriū excitetur. Tùm quid egerit in Episcopatu dicit: *Abditum, & obstructum puteum à Palæstinis repurgaui*. Alludit ad Isaac diuitem effectum grege, &c. *Ob hoc inuidentes ei Palæstini omnes puteos, quos foderant serui patris illius Abraham, obstruxerunt implentes humo*: quos ille iterum egesta humo refecit. ad hæreticos alludit, Gregorio inuidentes, & Ecclesiam peruersis dogmatibus inquinantes, quæ ipse sustulit. Vide igitur munus boni Præsulis, quod veteres dixerunt, Augiæ stabulum repurgare: fuit is vnus ex Herculis laboribus.

Primū Episcopi munus vrbem à vitijs repurgare.

3 Laudat eos, qui eloquentiam, & eruditionē à profano vsu ad sacrum piè conuerterunt: *Multos Sacerdotum video, qui fidei nostræ pietatem, quæ priùs simplex, atq; artis expers erat, artificiosam reddiderunt, ac nouum quoddam politices genus à foro ad sancta translata, et à theatris ad sacrarium, ità duæ idm scenæ sunt; illa omnibus patet, hæc quibusdam; illa videtur, hæc honoratur; illa theatrica, hæc spiritalis.* Vide quàm multos habuerit Christiana religio sapientes, & eloquentes, contra quā hæretici obijciebant de inscitia nostrorū. Est autem elegans comparatio quasi duarum scenarum inter se, vna in theatris, altera in templis est. vtrobiquè eloquentia se exercet; sed ibi inter mimos ludrica, & ridicula; hic inter aras seria, & decora. Tū de hac egregiè: *Linguam in profanis doctrinis eruditam diuinis postrà nobilitauimus, salsamq; illam, & amaram Maram per vitæ lignum dulcē reddidimus*. Alludit ad Mosis factum in egressu de Aegypto, cum inuenissent aquas amaras, Dei iussu ligno iniecto *in dulcedinem versæ sunt*. vbi primò nota, exterā doctrinam ex se ignobilem esse, nec nobilitari, nisi cum ad sacra transfertur: deindè quantumuis illecebrosa videatur, & ad speciem iucunda, verè amaram, & insuauem esse, nec nisi fide, & Christi Cruce dulcescere: *Prædicamus Christum, & hunc Crucifixum*. & tamen Paulus hic in epistolis etiam veteres poetas allegat, & aliquando assurgit figuris dicendi, vt in charitatis elogio, &c.

Eloquentia ad bonum vsum trāslata laudabilis.

Exod. 15.

4 Redit ad inuidiam hæreticorum, & contra hoc vitium inuehitur: *Vtinam ex hominum vita liuor interiret. inuidorum tabes, ac venenum eorum, qui ea laborant. zelus ex omnibus affectibus iniquissimus simul, & æquissimus est. illud quia bonis omnibus infestus est; hoc quia dominos suos exest, & conficit.* Acutè admodùm inuidiam, & iniquissimam dicit, & simul æquissimā. iniqua, quia omnes bonos odio habet; æqua, quia ipsamet de inuidis, hoc est de suis pœnas repetit dignas, dum eos, in quibus est, cruciat, & consumit.

Inuidiæ tabes, & venenum.

5 Pergit inuidiæ damna recensere: *Inuidia Luciferum obscurauit, indignum putantem, se, cum diuinus esset, non Deum quoq; haberi.* Rectè Lucifero huius vitij tenebras, quas menti offundit, opponit. Addit: *Inuidia Adamum è Paradiso expulit, deitatem sibi inuideri credentem, dùm à scientia ligno arceretur.* nempè Lucifer, qui per inuidiam ceciderat, & hunc per idem vitium præcipitare conatus est. Sequitur: *Hæc & Dathan, & Abiron in terram defodit, & Mariam lepra infecit.* Vide quàm horrendum vtrumq; supplicium, quasi terra, quæ benigna, & æqua est viuētium mater, inuidos sustinere nequiuerit; & inuidiæ fœditas per lepram indicata sit. illi Sacerdotio inuiderunt; Maria, & Aaron Mosi quasi Deo magis familiari, dicentes: *Nonnè & nobis similitèr locutus est Dominus?*

Inuidiæ damna.

6 De inuidia persecutorum Ecclesiæ sic: *Hæc & apostatam tyrannum in nos excitauit, cuius carbones adhuc molestiam inferunt, licet flammam ipsam effugerimus. hæc & præclarum Ecclesiæ corpus diuidit.* Alterum ad Iulianum pertinet inuidētem gloriæ veræ religionis, sæuissimo incendio excitato. alterum ad Arianos. quod sequitur ad Maximum: *Hæc & Heroboam illū peccati seruum in nos concitauit, & linguæ vinculum imponit. disrumpitur enim, splendescentem Trinitatem cernens, ac tota diuinitate collucentem.* Scilicèt indicat inuidiam impiorum, quod Deum trinum, & vnum vbiq; glorificatum viderent. hebes est ipsorum acies ad tantum fidei nostræ lumen. pulchrè vocat *splendescentem Trinitatem, & tota diuinitate collucentem.*

Trinitas splendens, & tota diuinitate collucens aciem hæreticorum hebeta.

7 Amouet à se suspicionē affectati Episcopatus Constantinopolitani: *Si hāc cathedram affectassem, cum hac cana senectute venissem? profectò Cœlum, & terra, quæ veteribus attestari moris erat, erubescerem; hanc ipsam cathedram erubescerē, & sacrum hoc consilium; puderet me asperæ huius vestis, & solitudinis.* Rectè; non enim verisimile est, eum, qui solitudine, & veste aspera delectatur, ambire vel vrbiū frequentiam, vel pontificiam trabeam, & ornatas infulas. vbi nota aspera, & cilicina veste indutū incedere solitū Gregoriū.

Gregorius indutus aspera veste prodiit solitudine.

8 Respondet obiecto: *Nos alienā sponsam expetijsse aiunt, cum nè propriam quidem habere voluerimus.* ægrè, inquit, Nazianzi Episcopatū suscepi, & inuitus; quomodò probabile erit me alios quoque Episcopatus ambire? pulchrè autem Ecclesia, cui præest Episcopus, spōsa dicitur. & sicut coniugio fit iniuria, cum pecunia potiùs spectatur & dos, quā sponsa ipsa ex se; ità in Episcopatu cū reditus pecuniarij spectantur. Est igitur Episcopus tanquàm Sol, de quo dicitur: *Et ipse tanquàm sponsus*

Episcopus est sponsus suæ Ecclesiæ.

sus procedens de thalamo suo.

9 Ostendit causam, cur ex eremo aduenerit, non quòd Episcopatum ambiret, sed vt Ecclesiæ ab hæreticis oppugnatæ succurreret: *Veniendi causa fuit, vt fidei patrocinium susciperem. si naui tempestate iactatæ, ac periclitanti, aut vrbi obsessæ, aut ædibus incensis, manum porrexissem, idcircò prædones nos, non patronos vocassetis?* Triplici metaphora vtitur, ostēdens, posse manum extendi non ad rapinam, sed ad auxilium. Vide igitur quàm præclarum sit institutum Dominicanæ in primis familiæ, nec non & nostræ in hæresi profliganda: quod nimirùm idem est, ac Ecclesiæ naui naufraganti subuenire, aut obsidione hostili vrbem liberare, aut volitantem incendij flammam reprimere. hoc impulit, vt Gregorius, qui solitudinem impensè amabat, indè egressus ad Ecclesiæ tutelam accurreret.

10 Quid in suis actionibus spectet, ostēdit: *Omnibus in rebus tùm rationem, tùm iusta Dei statuta in consiliū adhibeo.* Præclara vox; vide quā æquis consiliarijs vtetur. non adhibet in consilium proprios affectus, sed tùm rationem vt ducem, tùm Dei iussum. nec minus præclarè addit: *Hoc vnum, quod insitum, & intra nos est, tribunal declinare non licet.* Conscientiæ scilicet: quo indicat nihil se agere, illa reclamante, & aliud indicante.

Gregorius prodit è solitudine, vt Ecclesiā iuuet cōtra hæreticos

11 Imperatores monet officij: *Vos Imperatores purpuram reuerentem habete. quantum sit illud, quod creditum vobis est, agnoscite, quantumq; circa vos mysteriū. Orbis hic vniuersus sub manu vestra est, paruoq; diademate, ac panno exiguo continetur. superna solius Dei sunt, inferna vobis communia cum Deo: Dij subditis vestris estote.* Prouidentia scilicet, & benignitate Deum imitari docet. & nota insignia illa regni, diadema gemmatū, purpuram, &c. non ad fastum gestari, sed vt moneant sui muneris; quamobrem addit: *Scriptum est, Cor Regis in manu Domini. hic vestra sit potentia, non in auro, & exercitibus.* Rectè; quid enim excellentius quàm cor, nobilissimam corporis portionem, Dei manu tractari? vt sicut Imperator manu Orbē, vel sceptrū gestat, ità Deus ipsius cor.

Imperatoris munus quàm præclarum sit

12 Constantinopolim ad virtutem excitat: *Turpe est, hanc Ciuitatum aliarum principem succumbere voluptatibus; theatra, curricula, venationes tanto prosequi studio, vt vrbs vrbium princeps nihil aliud sit, quàm vrbs ludentium. hac si abessent, vrbs essetis Dei, in manu eius describeremini.* Pulchrius hoc Romæ competit, quæ verè est *vrbs vrbium princeps*, & religionis regia. quæ tamen non, *vrbs ludentium*, sed vrbs orantium, precantium dicenda est; præsertim hoc Pontifice, Alexandro, inquam, VII. totius sanctitatis exemplo: hic pro theatris, ac Circo, ædes sacræ, ac votiuæ supplicationes sunt. quapropter ad ipsam pertinent illa verba: *Ecce in manibus meis descripsi te. muri tui coram me semper.* Muri, inquā, illi adamātini, quos ipse extruī: Dominus, vt est apud Amos ex 70.

Vera laus vrbis est pietas.

Esa. 49.

Ex Oratione XXVII.
Post tumultum.

1 SOllicitudinem suam erga gregem egregiè ostēdit: *Ego lupos illos grauis metuo, nè interlunio nostro, per rapaces, violentasq; doctrinas gregem discerpant.* Nota, abfuerat Gregorius aliquandò, nō otiandi causa, sed orandi in solitudine. Absentia igitur Prælati est tanquàm interlunium, cum scilicèt latente Luna vespertini, & nocturni lupi magis insidiātur gregi. Rectè igitur pontificijs edictis cautum, nè Episcopi extra Ecclesias sibi demandatas diutius diuagētur; cū eorū præsētia tāquam plenilunium sit. Potest hoc interlunium referri ad Deiparam: obseruant .n. dæmones, quasi lupi nocturni, cum quis eius deuotionis luce caret, iuxtà illud ex 70. *Intenderunt arcum, vt sagittent in obscura Luna rectos corde.* Tùm insidias indicat: *Multa sunt aduersarij artes, ac viæ; nec est quisquam tàm industrius architectus, quā solers ille artifex malitiæ nostra.* Vides omnem nostram diligentiam superari astutia diaboli; quàm igitur cauti esse debemus?

Absentia Episcopi quam nociua.

Diabolus solers artifex malitiæ

2 Item sollicitudinem, quam absens de suis habebat, declarat sic elegantèr, duplici similitudine: *Posteaquàm à vobis seiunctus sum, desiderium, amoremq; dulcem tyrannum agnoscere cœpi. neq; hoc nouum videatur; nàm si pastores oue amissa è decade, arreptis fistulis, speculaq; conscensa, mœrore calamos omnes implent. auis verò ad nidulum, à quo exiguum ad tempus abscesserat, conuolat, ac stridentes ad pullos allabitur, eosq; suis alis souet. quātò vos chariores esse par est, &c.?* Vide quo studio, & cura Prælatus affici debeat erga subditos. & pulchrè ait, pastorem quærere amissam ouē *arreptis fistulis.* vt Prælati in suos lenitatē indicet, & suauitatem in corrigendo: neq; .n. ille intentat baculū agno, erroris arguens. nec minus pulchrè amorem vocat dulcem tyrannum, nàm vt est in Cant. *Fortis vt mors dilectio.*

Amor dulcis tyrannus.

Prælati in corrigendo suauitas.

3 Fraudes non modò apertas hæreticorum sibi suspectas dicit, sed hypocritarum: *Non modò lupi, sed & canes metum iniiciunt mihi, dùm per vim pastores esse contendunt; cum nihil aliud, quod mirum, & inauditum est, ad pastoris munus attu-*

Episcopi decens habitus.

lerint, quàm rasas comas, quas prius aluerant. Cum canes, dicit, alludit ad Maximũ Cynicum philosophum, qui Præsulis honorem affectabat; à canis enim impudentia dicti sunt Cynici. ac nota, vt Præsules attonderent comam, ab omni specie muliebris habitus abstinentes.

4 Mundi huius vanitatem elegantèr describit: *Inabulabam ego, declinante iàm die. locus littus erat: quando nec neruus arcus semper tendi debet. si nolumus inutilem reddi sagittario, vt eo rursùs sit vtendum: oculi in mare defixi erant. quid tùm accidit? vehementi vento concitari cœpit; ac fluctus partim procul exurgere, partim rupibus vicinis illisi, ac repulsi, in spumam, ac tenuẽ asperginem dissipari, ipsis intereà rupibus immotis, & inconcussis. dùm algæ, & ostrea iactantur. tùm sic ego mecum: Etiam vita nostra, & res humana quoddam mare sũt. in ea multum est salsuglis, & instabilitatis. venti tentationes sunt, & casus inopinati, partim nè paruo quidem momento res sustinere non valent; partim esse velut rupem, inconcussis animis, &c. hinc me non nihil vtilitatis ad philosophiam accepisse scio.* Vide vt, etiam cum à labore honestè relaxatur animus, debeat aliquid indè referre ad salutem; mare ex tranquillo mox perturbatum, sæculum præsens est. algas quidem, & ostrea, & arenas voluit, & iactat, sed solidas rupes, & scopulos haud concutit, imò ibi frangitur, & resilit. ità huius Mundi varietas imperfectos afficit, non item iustos.

Gregorius ex aspectu fluctuantis maris de Mundi instabilitate reputat.

Relaxatio licita, sed honesta, vt neruorum in arcu.

5 Afflictionis bonum eleganti parabola ostendit: *Fortasiè me fabulatorem putabitis; sed indicabo tamen, quando sacras etiã literas scimus ad res dilucidius explicandas huiusmodi exemplis vti. Est quædam in fabulis arbor, quæ secta floret, & cum ferro certamen suscipit, & morte viuit, & sectione germinat, incrementum deniq; sumit cum abrumpitur. mihi verò videtur omninò quiddam simile esse philosophiæ: ærumnis inclarescit, rebus aduersis ornatur.* Huc refero illud Pauli: *Quasi morientes, & ecce viuimus, &c.* Interpres miratur cur nonnulli quærant, quænam sit hæc arbor, cum Gregorius fabulam dicat, possumus tamen interpretari, hoc ænigmaticè dictum: vt arbor hæc vitis sit, quæ sectione amputata quasi moritur, & sic viuit, & regerminat: ità quiuis iustus, & Ecclesia ipsa, vitis instar, persecutionibus secta repullulat. Croniatas intelligit de hydra, quæ resectis capitibus pullulabat; sed hydra in malum sensum accipi solet, nec cũ arbore aliquid habet commune; cæterùm quod ait, scripturam vti solere his ænigmatibus, apparet in apologo rhamni in regem ab arboribus delecti, &c.

Arbor quædam, quæ ferro secta tunc florescit, typus mortificationis.

Iud. 9.

6 Nobilitatem non tàm ex genere, quã ex Christiana philosophia agnoscit. *Huiusmodi philosophus, inquit, in quocumq; statu patritius est; sanguini morum bonitatem exhibebit, vt duplici ratione clarescat.* Helias Cretensis legit, opponet. hoc est prælucet, ostendet morum nobilitatem cum generis splendore collatã. Certè Thomas Aquinas in primis hoc exhibuit: *Vt duplici ratione clarescerct.* vt meritò Sol ille appingatur in pectore. huc spectant, quæ sequuntur.

Vera nobilitas non sine virtute.

7 Generis ignobilitatem non obesse iusto, ait: *Ignobili loco natus est: quantũ hoc ad statuam, & lutum pertinet? si quid tamen magni inter lutum, & lutum interest. afferet certè eius loco nobilitatem illam, quam mente intelligimus, & qua seipsum quisque in meliùs fingit. aliam omnem nobilitatẽ à seminẽ, vel rescriptis, velut adulterinam reijciet.* Rectè dicit, cum ex luto constemus omnes, perindè est nobilem ab ignobili discernere, ac luteam statuam ab alia item lutea. verum igitur decus in virtute est, quæ pretium facit iusto, & à mundanis distinguit, vt à re vili.

Virtus est, quæ distinguit nobilẽ ab ignobili.

8 Nobilitatem acutè partitur: *Triplex est genus; vnum, quod supernè originem duxit, cuius respectu omnes ex æquo nobiles sumus, ad Dei scilicet similitudinem, & imaginem facti; alterum à sanguine prouenit, cuius ratione nùm quis sit nobilis, equidem non video, quippè ortus eius cum interitu coniunctus est; tertium ex vitio, vel virtute agnoscitur, & æstimatur, cuius vel magis, vel minus particeps sumus, prout vel seruauerimus imaginem, vel corruperimus. hanc nobilitatem diliget sapiens. nàm quartum genus ex scriptis, & edictis pendens apud me tunc erit in pretio, cum pulchritudinem fitam in coloribus amplexus fuero, & simiam cœpero venerari, quæ iussa sit esse leo.* Acutè hãc nõ magni æstimat, quia ex alterius voluntate nobilis dicitur, non quod verè sit; ad primum genus pertinet illud adductum à Paulo: *Ipsius & genus sumus, genus ergò cum simus Dei, &c.* Vide igitur vbi sit sita prima nobilitas, non in seruandis fumosis maiorum imaginibus, sed in seruanda Dei splendida imagine, quam nobis impressit: corrumpitur imago alijs coloribus malis iniectis, vel luto, puluere, &c.

Triplex nobilitatis genus.

Præcipua nobilitas imago Dei in nobis

9 Percurrit hominis ætates, ac status; & primò, qua ratione traducenda sit iuuenilis ætas, docet: *Iuuenis est: aduersus animi morbos se geret virilitèr, & cum iuuentutis fructum feret, vt ijs, quæ iuuenum sunt, non sit obnoxius, sed prudentiam senilem ostendet: magis hac victoria delectabitur, quàm ij, qui in Olympiis coronam consequuntur; vincet enim in publico totius terræ theatro; & quidem victoria nequaquam emptitia potietur.* Pulchrè iuuenem

Iuuenis victor passionum, vt Olympionices coronatur.

com-

comparat cursori in Olympijs: huiusmodi cursor, & Olympionices fuit Thomas Aquinas. itē beatus iuuenis Aloysius noster Gonzaga, qui ad hunc finem vt celerius curreret, calcari vtebatur lateri admoto in stadio perfectionis. quantò autē hoc præstantius sit, docet Paulus: *Spectaculum facti sumus Deo, Angelis, & hominibus*. græcè est, theatrum. Sed quia in Olympijs sæpè robustiores pugiles lucri cupiditate adducti, victorias, sponte cedentes, vendebant alijs licet imbecillioribus, qui erant opulenti, & ambitiosi, ideò rectè ait, nostrorum pugilum victoriam non esse venalem.

Seni maximè æternitas sit in voto.

10 Transit ad mores senum: *Ad senectam vergit: at non animo quoq; senescet. perlubenter ad ea, quæ vitam hanc sequuntur, transcribit; accipiet dissolutionem corporis tanquàm præscriptum tempus necessaria libertatis*. Vide, vt in senio maximè aspirandum, suspirandumq; sit ad æterna: Helias Cretensis affert similitudinē æris, vel auri massæ, quæ in fornace diffingitur, sed vt indè pulchrior statua efformetur. id verò fit in morte iusti.

11 Pulchritudinis, vel deformitatis hęc monita dat: *Forma venustatem nactus est? animi pulchritudo fulgore suo pulchritudini corporis respondebit. Flos ætatis illæsus præterijt, ad se ipsum se se conuertit, ac nè cerni quidem se nouit. Deformis est? quà sub aspectum cadit, sed interna parte sui venustus est; quemadmodùm in folliculo nec fragrante, nec florido rosa tùm florida, tùm fragrantissima latet*. Pulchrè ostēdit etiam deformem, modò virtute præditus sit, habere suam pulchritudinem, sed latentem in interiori homine; sicut rosæ nondùm apertæ, qui calyx dicitur, foris adhùc asperior, & rusticior, intus decus, & odorem claudit. His addit non minus pulchrè: *Formosus est, elegantia singulari super omnes? at philosophus nè tempus quidem spectandi externa concedit, sed spectatorem ad internum hominē conuertit*. Hoc est, qui verè, & Christianè philosophatur, cum videt pulcherrimam aliquam corporis compositionem, nō moratur, & inhęret in ea conspicienda, sed statim mentem transfert ad internam animi pulchritudinem positam in virtute.

Virtus etiā cadit in deformē, vt odor in rosæ folliculo.

In forma corporis non morādum, sed statim ad internam recurrendū.

12 Qua ratione quis se gerere debeat in bona, vel mala valetudine, docet: *Proba valetudo est? ad optima quaque sanitate vtetur. vigilabit, in nuda humo cubabit, corporis molem extenuabit, summo studio mortem meditabitur, cœlestia speculabitur*. Vide quò robur, & vires conferendæ sint; quod ad religiosos in primis pertinet. egregiè hoc Borgias noster egit: *Corporis molem extenuabit; summo studio mortem meditabitur, &c.* Nempè ex aspectu mortuæ Augustæ à Mundi fastu ad religiosam humilitatem transiens. Sequitur: *Ægrotat? pugnabit; quod si victus fuerit, vincet, hoc assecutus, vt nō amplius pugnet*. Hoc sanè mirum, quod ægrotum quasi pugilem facit. sed nimirùm Paulus ait: *Cum infirmor, tùm fortior sum*. Luctandum cum febre, cum morbis, quam rectè Lyricus poeta cohortem vocat. acutè autē dicit, in hac pugna cadere, hoc est mori, vincere est, & immunem iā fieri onere militiæ.

Viribus vires maximè mortificationi incumbat.

Ægroto etiam pugnare licet vt athletæ.

13 De diuitis, vel pauperis statu sic: *Diues est? pauperem bonorum participem faciet, alienorum dispensator; vt & ille hac perceptione iuuetur, & ipse ad Deum colligatur, nihil præter crucem, & corpus habens*. Hoc seruauit in primis Carolus Borromæus, qui vno die ingens patrimonium pauperibus erogauit: *Nihil præter Crucē, & corpus habens*. Crucis enim, & passionis Christi amantissimus fuit. corpus autem ieiunijs tenuatum vix habuit. Sequitur: *Pauper est? pro diuitijs Deum habebit. diuites irridebit, qui maiore semper inflammātur cupiditate*. Præclara vox, *pro diuitijs habebit Deum*. Vides igitur, vt in omni statu, & cōditione virtus haberi possit, modò volūtas annuat. quò etiā spectāt sequētia.

Carolus Borrom. nihil præter crucem, & corpus habens

Virtus in omni statu teneri potest.

14 Incommoda vt ferenda sint, demōstrat: *Siti angitur? fontes, & flumina potū suppeditant, non ebriantem, nec dimensum*. Nota duo in aquis fontium; nec ebrietatis damnum inferunt, vt vinum; nec in mensura habetur, aut emitur, vt idem vinum. Sequitur: *Algebit? est & quoddam indumentum; vt ait Iob: Eò quod, inquit vestis carerent, petra induti sunt*. Vulgata habet: *Non habentes velamen, amplectuntur lapides*. Audi & verba Pauli: *Petra autem erat Christus. & Induite Dominum nostrum Iesum Christum*. Certè velamen illud, sicut linum asbestinum, idest incombustibile, quo vtebātur in rogo, & ex quo mappę fiebant, ex lapide erat, nè cui mirū videatur, quod indui petra dicantur.

Aquæ beneficium.

Iob. 24.

Christus pro indumento est iusto.

15 Libentèr perferri incommoda omnia dicit, Christi passionem contemplando: *Multa adhùc, quamuis multa pertulerit, restabunt, acetum, fel, corona spinea, sceptrū ex arūdine, chlamys coccinea, crux, claui, latrones simul cruci affixi, prætereuntium contumelia, &c.* Hoc item supradixit de contumelijs perferendis: *Quota pars hæc est sputorum, & alaparū Christi? &c.*

Nulla nostra afflictio æquat passionem Christi.

16 Fortitudinem iusti in aduersis ostēdit: *Nihil philosophia fortius, nihil inexpugnabilius. omnia priùs cedant, quàm vt philosophus manus det. philosophus onager est in deserto, vt cum Iob loquar, solutus, & liber. vrbis tumultus ridens, ac præfecti tributorum expostulationem non audiens. vnicornis est, animi sui legibus viuens. si tibi seruire animum induxerit, videbis eum in præ-*

Religiosus vnicorni cōparatur ob fortitudinem tolerātię, &c.

Iob. 39.

præsepi. Elegantèr ostendit, vbi posita sit vera philosophia, quàm religionis status maximè profitetur, in non cedendo aduersis, in fugiendo Mundi strepitum, & secularia negotia. cupiditatibus non obtẽperat, sed Deo seruit cum omni humilitate; etiam si potens dignitate, & opibus in Mundo sit: cuiusmodi noster Borgias fuit Dux Candiæ, vnus ex regijs purpuratis, & alij. verba illa sunt quasi admirantis apud Iob: *Quis dimisit onagrum liberum, &c.? nunquid volet rhinoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? nunquid alligabis rhinocerota ad arãdum loro tuo, &c.? nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius, aut derelinques ei labores tuos?* Hæc, inquam, pulchrè ad Ignatium dici possunt de Borgia, cui Societatem gubernandam post Lainez reliquit Generalis præpositi munere. in vincenlis vota intellige; in aratro, & confractis fulcis mortificationem eximiam, vel culturam ipsius Societatis, præsertim cum gentilitius illi sit in stemmate bos, aratro, & excolendæ telluri factus. idem tamen velut vnicornis fuit ob potẽtiã dignitatis, opũ, nobilitatis.

17 Iustum omni aduersitate superiorẽ præclarè demonstrat: *Si omnibus terra cõmodis arceatur, parata sunt ipsi alæ sicut aquilæ; ad Deum conuolabit*. Alludit ad mulierem illam Apocalypsis, cui cum draco insidiaretur: *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertũ*. Quod pulchrè ad eos, qui à sæculi periculis ad religionem confugiunt, facit; hoc est enim *ad Deum conuolare*. Tùm concludit item egregiè: *Vt in summa dicam, duo hæc corripi, & superari nequeunt, Deus, & Angelus; tertium est philosophus, in materia expers materia, in corpore incircumscriptus, in terra cœlestis, in passionibus impatibilis, omnibus rebus vinci se patiens, præter quã animi magnitudine, & ipso, quod vinci se patitur, alios vincens*. Vides perfecti religiosi imaginem proponi eleganti antithesi; cuius & cœlestis cõuersatio, & mortificatio triumphalis maximè laudantur.

Perfecti religiosi egregiæ dotes.

18 Ostendit, seipsum nullis incommodis, aut iniurijs, aut aduersitatibus cõmoueri: *Indoctum me nominabunt? vnam hãc sapientiam scio, quæ in timore Domini sita est*. Rectè ab hoc incipit, quod expugnatu difficile est, vt vir tantæ doctrinæ indoctus habeatur. quotus quisque ingenio sibi detrahi patitur?

19 Pergit ad alia: *Paupertatem obijcies? meas scilicet opes, & copias: atque vtinam pannos hosce exuere possem, vt huius vitæ spinas nudus percurrerem. vtinam & grauem hanc tunicam celeriter abijcerem*. Vide quid agat paupertas: facit, vt cum nudi simus, vestis non adhæreat huius Mundi spinis, cùm eas pertransit, ac proindè cursus non impediatur ad Deum. præterea leues facit.

Gregorij humilitas parati ad omne genus obtrectationis

20 De morbo sic: *Inualetudinem obijcient? atqui nequaquam hoc totum carnea huius molis est, & natura. quædam etiam ratio absumpsit: libet enim paulùm aliquid gloriari. nè tu quidem iucundum mihi spectaculum præfers obesus, & corpulentus. atque vtinam tibi quoque aliquid palloris offusum esset, vt existimationem saltem philosophiæ colligeres*. Lepidè irridet obesitatem. certè Apim illum bouẽ, quem Aegyptij colebant, à Nili aquis arcebant, quod bibentes facerent pingues & obesos. & vide, vt proprius sit sapientiæ pallor, nempè & auri color is est.

Macies obesitati præfertur

21 His incommodis adiungit: *Episcopatum abrogabunt, ac de throno deijcient? scilicet, quem prompto, atque hilari animo conscendi. quid illæ imprecationes, quas aduersus nos ipsos publicè concepimus? quid illæ lacrymæ, quarum tantam vim profudimus, vt vobis etiam commiserationem moueremus, quamuis propter obluctationem odio penè essemus*. Mira certè humilitas in Episcopatu recusando. maior huic honoris fuga, quàm alijs ambitio: imprecationẽ obiecit plausibus, lacrymas gratulationi.

Gregorius paratus ad deponendũ Episcopatum, quẽ ægrè acceperat.

22 Ad hoc quoque pertinet, quod addit: *Præfecturam eripient? propter hanc Orbis terræ bello flagrat, eoq; surdo quodãmodò, ac nè nomen quidem habente. vtinam nullus esset principatus sedis, nec vlla loci prælatio, vt ex sola virtute cognosceremur; nunc autem dextrum hoc, & sinistrum latus, & medium; et sublimior, atque inferior gradus; & præcedere, et simul incedere multas nobis contentiones incassum pepererũt, & ad hircorum regionem adduxerunt*. Notabile hoc admodum est, nam & hoc tẽpore huiusmodi dissidia non nunquam accidunt, vel inter Ecclesiasticos ipsos, vel inter hos & sæculares Principes, & magistratus; de sublimiori videlicet sede, de præcedentia, de loco medio, vel dextero; quamobrem acutè ait: Vereor nè ob has contentiones de dextera, sortiamur sinistram, ad quam in iudicio improbi tanquã hirci ponentur: *Ponet oues à dextris, hædos autẽ à sinistris*. Nõ hic vsus, & ritus cuiusq; status improbatur, sed ambitio superba.

De sensu te præcedentia honoris quã vitanda.

23 Nec alijs incommodis ab hæreticis inflictis se terreri ait: *Exulem me vocabũt, cui & omnis terra, & nulla terra patria est? tu verò nonni hospes es?* Egregiè ait: frustrà dicar exul, quia iusto *totus Mundus diuitiarum est*. & simul extra Mũdum est, quia totus ad Deum elatus. Sequitur: *E Ciuitate eijcient? at non ex ea, quæ in Cœlo est. quandiu hoc non poterunt, me vẽtis feriunt, & in somnis ludunt. sic enim eorum bellum interpretor*. Vide quid sit persecutio hæreticorum, vanus, & inanis vẽ-

Iustus exul dici non potest.

Hæreticorũ persecutio nil nocet iusto.

torum bacchãtium strepitus, & nocturna quasi verberum in somnis ludificatio.

24 Deniquè pulchrè de rapinis: *Pecunias eripient? quas tandem? fimeas, quin & pennas, quibus carro, abscindant; si Ecclesiæ, Deum produnt.* Ostendit quàm pauper sit, etiam si Episcopus sit, vt nullas rapinas metuat, quia nullas habet opes. etsi pennas haberet, etiam se deplumari pateretur. sed ingenij certè pennis, & eximiæ virtutis Gregorius non caruit, quas illi nemo eripere potuit.

Mira Gregorij in Episcopatu paupertas

25 Extremo loco apostrophen habet ad Trinitatem: *Primarium illud, & maximum est, vt puriùs, pleniùsq; à te illuminati sciamus, quomodò & eadem vnitas intelligeris, & Trinitas reperiris, &c.* Rectè primariũ hoc vocat, & maximum; nec nisi diuina illustratione cognosci posse dicit.

Ex Oratione XXVIII. De dogmate.

1 ELeganter perfecti, ac religiosi viri statum describit: *Nihil cum eo comparandum videtur, qui clausis, compressisq; sensibus, atq; extra carnem, Mundumque positus, nihil rerum humanarum, nisi summa necessitate contingens; secumq; ipse, & cum Deo commercium habens, sublimiorem rebus visibilibus vitam traducit; ac diuinas rerum species, & imagines puras in se circumfert, velut purissimum speculum Dei, rerumque diuinarum existens; itàque se comparat, vt per lumen insuper lumen assumat: quousque ad radiorum vitæ futuræ fontem peruenerit, &c.* Insignis hic locus est de vita contemplatiua Deo vacantiũ; præclarè dictum, eos tanquàm specula purissima esse, Deum quasi Solis radios excipientia, vt ex hoc lumine ad futurum illud plenius, & ineffabile gradum faciat. est hoc pro nonnullis Sanctis, vt Ignatio nostro, cuius facies explendescere solebat, præter internas illustrationes: ad quem etiam illa spectant de abstractione à rebus corporeis ad cœlestia, vndè miræ illius ecstases. ad eũdẽ etiã refer, quæ sequũtur.

Vitæ contemplatiuæ pulchra descriptio

2 De mortificatione hæc egregiè: *Vix porrò quemquam, nec nisi qui diuturna, & exacta philosophia carnem frænauerit, &c. priusquam terrenam hanc molem deorsum trahentem superauerimus, tutò puto animarum curam suscipere.* Notabile dictum; itàque B. Ignatius Societatem ad animarum salutem instituens, penè nihil magis, aut sæpiùs inculcat, quàm mortificationẽ. neq; enim nisi hac armatum in aciem prodire tutum est. His addit: *Cum, vt ille Zacchæus super sycomorum euectus fuero, mortificatus nimirùm membris, & corpori mancie affecto, tunc verò Iesum excipiam.* Referre potes hoc etiam ad Eucharistiam, quam præcedere mortificatio debet. sycomorus autem cum fatuam ficum significet, mortificationis est typus; & in nostris legibus de mortificatione est, vt etiã insani, ac fatui haberi optemus, modò occasionem ipsi non demus.

Nemo nisi mortificatus accedere debet ad agendũ cum proximo.

3 Ostendit, in diuinis tractandis diuina illustratione opus esse: *In prouerbijs dicitur: Stultissimus sum omnium hominum. at sapiens & cordis latitudinem arena maris vberiorem acceperat; sed hoc vult, propriã se nullam prudentiam habere, sed diuina, & perfectissima sapientia afflari. optauerim id & mihi contingere, vt de Deo, ac Trinitate verba facturus nihil meum, ac proprium loquar.* præclarum votum. Vides, vt humanum ingenium hallucinetur, & omnis acies mentis hebescat ad diuina: quod Salomon omnium sapientissimus de se fatetur. Adnotent hoc Theologi, nã Thomas Aquinas nunquàm nisi præuia oratione ad ista accedebat.

Prou. 30.

Sapiens quisque hebescit ad diuina

4 De Trinitate sic: *Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum adoramus: proprietates quidem distinguentes, diuinitatem autẽ copulantes. neque tria in vnum contrahimus, nè Sabellij morbo laboremus; nec rursus in tria diuersa, & aliena separamus, nè in Arij furorem incidamus: Arius enim rectè à furore cognominatur. quid enim necesse est, vt velut plantam in alteram partem propendentem ad alteram partem porrecti inflectamus, non autem potiùs eam ad medium dirigamus inter pietatis, ac fidei fines?* acutè plantæ similitudinem affert. Arius porrò græcè, & Martem ipsum, & bellicũ furorem significat, vt supra diximus.

De Trinitate quid sentiẽdum.

5 De filij generatione sic pulchrè: *Age tu voluntate ciuitatem describe, & statim ciuitas repræsentetur. opta tibi filium nasci, & protinùs tibi existat. nihil quidem horum voluntatem nostram sequitur, Dei autem voluntas actio est.* Vide quanta sit Dei perfectio, & quanta vis numinis; & quantum diuina super emineant nostris. Theologi nunc sic loquuntur, Filium produci à Patre per intellectionẽ, Spiritũ sanctũ ab vtroq; procedere per volitionẽ.

Verbi generatio quomodò fiat.

6 Trinitatem cum humilitate cognoscendam dicit: *Si in Filij productione, & Spiritus processione peruestiganda curiosũ te prabes; ego quoq; de te requiram, quomodò puluis, & simul Dei imago es? quomodò cogitatio per sermonem impertitur, &c.* Rectè arguit, incredibile tibi videtur, quomodò hæc contineantur in Deo, vnitas & Trinitas; videtur enim primò alterum alteri repugnare. quid mirum, si hoc non potes percipere, qui neq; illud, quod minus est, percipere vales, quomodò scilicet in te res tàm oppositæ coalescant

Deficit omnis vis ingenij in inuestigatione Trinitatis.

simul, corpus, & spiritus; intellectus, & puluis. itàq; sic monet: *Ea parte, quæ in te manet, contentus esto. reliqua in supernos thesauros recondita manent. vis Theologus aliquãdò fieri, ac diuinitate dignus? per Dei incede præcepta; actio enim gradus est ad contemplationem. sis tu licet alijs in disputando sublimior, at Deo inferior es. sis acutior, at veritate minor.* Elegantèr ait, ea, quæ nunc percipere nõ possumus de Deo, recondita esse in thesauris cœlestibus, qui nobis in altera vita aperientur. Vides etiã, vt bona opera gradus quædã sint, vt ascendamus ad contemplandum Deum: laudãda igitur instituta eorum Ordinum, qui vtrumquè coniungunt.

Multa in supernis thesauris latent nobis ignota.

Ex Oratione XXIX. In electione Episcopi.

1 QVendam Episcopo aduersantem sic acritèr vrget: *Quid ais, fili Dathan, & Abiron, & dux militaris contumax, qui aduersus Mosem insurgere ausus es? non cohorruisti? non es collapsus in terram? vereor nè Dei gladius tandiù rubiginem contrahat, & conquiescat.* Vide quã impium existimet, sæcularem præsertim quãtumuis publicis muneribus nobilem, in Ecclesiasticum insurgere, Episcopum maximè. Tùm sic Episcopum ipsum pulchrè compellat: *Adesdum, ò pastorum optimè, ac præstantissimè; ac populum tuum accipe, quem Angeli offerunt, quem & vita, & morum probitas fidei tuæ credidit.* Nota qualis Episcopus esse debeat, & quomodò subditos curare, tanquàm à custodibus Angelis sibi creditos, vt Angelicis erudiat institutis.

Episcopus subditos quasi ab Angelis sibi commissos recipere debet.

Ex Oratione XXX. In Matthæi cap. xjx.

1 QVanti Christus hominum salutem faceret, ostendit: *Iesus, qui piscatores elegerat, fit ipse piscator. ad omnes se demittit; curriculo vtitur, omnia perfert, vt piscem è profundo extrahat, in altum efferat, hoc est hominem in salsis, & instabilibus vitæ fluctibus natantem.* Vide quãta industria vti debeat vir Apostolicus in procuranda salute animarũ, exẽplo Christi. nihil igitur piscatione animarũ nobilius.

Piscatio animarum quanti facienda.

2 Christum totum nostræ saluti, ac bono intentum elegantèr describit, & pulchrè: *Somnum capit, vt somnum benedicat. fatigatur, vt laborem sanctificet. lacrymas fundit, vt lacrymas laudabiles reddat. ex loco ad locum transit, qui nullis continetur spatijs. idem & erat, & fit. & supra tempus erat, & sub tempus venit, &c.* Nota, vt post Christi labores labor sanctificatus iam sit, & in bonum proximi libentèr accipiẽdus eius exẽplo, iuxtà illud Ieremiæ: *Dabis eis scutum cordis laborem tuum.* Vide quoq; quantum pretiũ acceperint lacrymæ, postquam eas profudit ipse Christus.

Christus totus intẽtus nostræ saluti.

Ierem. 3.

3 De diuinis quàm modestè loquendum sit, ostendit: *In Ioannis Euangelij initio tertiò repetitur hoc verbum, erat, vt numero ipso confirmentur duæ naturæ in vnũ concurrentes, non duo filij, &c.* Tũ sic egregiè: *Hic, qui tantus est, tamque magnus: sed quid ego rursùs in humana verba prolabor? quo enim modo quod simplex est, tantum est? quod quantitatem nescit, tantæ magnitudinis? sed ignosce quæso; organo exiguo de rebus maximis loquor.*

De diuinis modestè loquẽdum.

4 Exponit illud: *Secutæ sunt eum turbæ multæ. Nisi ad humanam infirmitatem maximè se demisisset, inaccessibilem se custodiens, pauci fortasiè secuti fuissent, atque haud scio an pauci. fortasiè Moses solus, ac tantùm, vt Dei posteriora videret. nubem quidem penetrauit, extrà corporis pondus positus, aut à sensibus collectus, ac reductus; at non Dei à corpore vacuitatem, ac subtilitatem vidit.* Vide quantum nobis profuerit humilitas Christi, quæ se nostræ infirmitati contemperauit.

Christus contemperans se nostræ infirmitati.

5 Arianos exagitat, Dei filium creaturam, nec coæternum Patri dicentes: *Velim ignoscatis; ira, & mœrore impleor propter meum Christum, cum hac de causa contemni video, propter quam esset maximè honorandus. an ideò abiectus est, quia propter te se abiecit? an ideò creatura, quia de creatura sollicitus? an ideò tempori subest, quia eos, qui tempori subsunt, inuisit?* pulchris antithetis arguit. Ariani ideò Filiũ Dei æqualem Patri negabant, quia se hominem pro hominibus saluandis fecerat, quod potiùs amorem, & venerationem conciliare debuit.

Christus inde maximè honorãdus, quod pro nobis se abiecit.

6 Dei tolerantiam de nostra circa ipsum ignorantia exaggerat: *Omnia fert, omnia excipit; etiam à nobis, qui fidei pietatem profitemur, lapidibus appetitur: etenim de incorporeo disputantem corporeis nominibus vti, vexantis fortasiè est, & lapidantis. lapidamus tamen haud libenter, sed quia aliter loqui non possumus. lucem superas, & lux nominaris, &c.* Discurrit per alia quoq; Dei nomina, ignis, gladij, ouis, &c. Vide quàm stulti simus, cum de scientia superbimus, vel de virtute diuina tractantes. cum Deum ineffabilem humano more loquendi nuncupamus; & tamen Deus fert insipientiã nostram: scilicet iactamus non tàm verba, quàm lapides.

Deus sufert nos de se loquentes licet abiectè.

7 Qua ratione tractanda sit vxor, docet: *Si illitos fuco, & cerussa colores, & pigmenta*

Coniugium fons limpidus, & cōiux est cerua gratissima, & sobores pulli gratiarum.

menta perspexeris, eam hoc ornatu spolia. si intempestiuos progressus, castiga. at nè à te dimittas; incertum enim est vtra pars periclitetur, ea nè quæ secat, an quæ secatur: Fons aquæ, ait ille, sit tibi proprius, & pullus gratiarum tuarum, & ceruus amicitiæ tuæ consuetudinem vitæ tecum habeat. Nota, vxores excusationis causa aiunt fuco se illini, vt viro placeant. imò ostendat vir id sibi displicere. pulchrè autem coniugiū limpidissimo fonti comparat, vt scilicèt purissimè seruetur; item ceruo, hinnulisq; ceruorum ob sobolem, propter quam est institutum. Est autem hoc animal veneno contrarium, & serpenti, quod indicat in matrimonio nullum odij, & discordiæ venenum inesse debere, quod lædat. vulgata habet: *Cerua charissima, & gratissimus hinnulus.* quod Ioseph, & Deiparæ coniugio pulcherrimè aptari potest. vt dicamus ad Ioseph, cum eā cōcepisse animaduertens: *voluit occultè dimittere eam.* his, inquam, verbis vtentes: *Nè dimittas eam fons aquæ tibi sit proprius, & pullus gratiarum tuarum, & ceruus amicitiæ tuæ cōsuetudinem vitæ tecum habeat*: Iesus scilicèt in vtero conceptus, seu recèns natus quid nisi *pullus gratiarum est*? vt est in Cant. *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloq; ceruorum.* Vis Deiparam quasi ceruam velocem super montes videre? *Abijt in montana cum festinatione.* Adde illud, quod subiungitur, & habet vulgata: *Vbera eius inebrient te.* Scitum est de eo, qui ab infantia in silua expositus, & ceruæ lacte pastus velocissimus euasit, saltu, cursuque mōtes superans. si igitur huius ceruæ vberibus inhiantes lacte alamur, ad perfectionis montem ocyus conscendemus.

Prou. 3.

Luc. 1.

8 Exponit illud: *Si ità est ratio cum vxore, non expedit nubere. At priùs id nesciebas, cum viduitates, & orbitates videres, & præmaturas mortes, & funera thalamos excipientia, & sterilitates, & infelices liberorum procreationes, & imperfectos partus, atq; omnem huiusmodi esse comœdiam, siuè tragœdiam? vtrumq; enim aptissimè dici potest.* Rectè, ac pulchrè: comica, inquit, res est nubere, quia risu dignus est totus ille mundus muliebris, & choreæ, & gaudium mox euanescens. an non etiam tragica res coniugium? vbi dolor in conceptu, abortus, labor in liberis educādis, qui interdum inobsequentes euadunt, & improbi, præter cætera, quæ commemorauit. ità res humanas Democritus risu prosequebatur, Heraclitus fletu.

Coniugium partim comœdia, partim tragœdia est

9 Docet, in quo sit matrimonium laudandum: *Honorabile connubium, & torus immaculatus, sed moderatis expedit: est enim matrimonium prolis, & successionis cupiditas. sic bonum est, plures enim introducit, qui Deo placent. at cum carnis molem inflammat, vitijque quasi via est, tunc non expedit.* Pulchrè, & notabilitèr quid sit in matrimonio spectandum, dicit, vt scilicet per prolem, Dei populus augeatur, vt plures sint, qui Deum glorificent. addit præclarum alium finem, nempè vt virginitas, quę Deo gratissima est, ampliùs efflorescat, virgines enim nascimur. Quāobrem sic hortatur: *Pacite vt & virgines, & vxores vnum sitis in domino, mutuumq; aliæ aliarum ornamentum. nisi matrimonium esset, vndè in hanc vitam virgo prodiret? non esset honorificum matrimonium; nisi virginem proferret tùm Deo, tùm vitæ.* Itàq; si natura terret, vt proles nasceretur grauida, sicut murem repertum narrat Aristoteles; non esset ex hoc capite laudabile matrimonium. est certè hoc notabile dictum. Vide vndè dignitas, & decus redundet in matrimonium: ex virginitate scilicèt adeò non modò in se decus habet, sed transfert. quò etiam discunt virgines non contemnere coniugatos: intuere Deiparam tunc maximè, cum virginitas diu no conceptu consecrata est, inuisentem Elisabeth cognatam prægnantem grauidam, & ei ministrantem.

Matrimonium ideò laudabile, quia virgines gignit.

10 Virginitatem matrimonio præfert: *Quæ sub iugo est, aliqua ex parte Christi est; quæ autem virgo, tota Christi. quod enim coniugatæ est pars, id virgini totum est.* Cogita quantò maius bonum sit totū esse Christi, quam esse Mundo diuisum.

Virginitas præfertur matrimonio.

11 Virginitatis decus ostendit: *Omnis gloria filiæ regis ab intus, circūdata varietate, gracè est* πεποικιλμένη, *variegata, siuè actionibus, siuè etiam speculationibus.* Nota, in quo posita sit hæc varietas ornamētorum, vt scilicèt tùm contemplatione, tùm variarum virtutum exercitationibus quasi variè colorata, & acu picta veste Christi virgo induatur.

Virginis decus contemplari, & bene operari.

12 Angelicum virginitatis statum amplificat egregiè, sic virginem compellans, & monens: *Angelorum politiam elegisti, in eorum ordinem te aggregasti, qui iugum nesciunt; nè in terram deijciaris: oculus lasciuus virginitatem minimè seruat, lingua impudica diabolo miscetur. virginitatem & animus colat, nè vagetur, nè aberret, nàm libidinis pars est impressa in animo forma.* Præclarum monitum de custodia sensuū, præsertim oculorum, & linguæ; ac vide quid sit aspectus non pudicus, penè incępta iam fornicatio.

Virginitas Angelorum politia est

Custodia sensuum virgini necessaria.

13 Pergit ostendere quàm eximia res sit virginitas: *Non omnes, inquit, capiunt verbum istud. Vides vel sublimitatem: virginitas propemodum talis reperitur, vt nè concipi quidem, & comprehendi queat.* Præclara laus: nàm hoc propriè Deo cōpetit, vt sit incomprehensibilis. Tùm pulchrè subiungit: *An non Angelicum est in*

carne, modo ei consentaneo, non viuere, sed natura ipsa excelsiorem esse. caro eū Mundo deuinxit, sed ratio ad Deum subuexit. caro repressit, sed ratio extulit, eique velut pennas addidit. caro vinculis adstrinxit, sed amor soluit. Elegans antithesis. virgo in carne fit carne superior; amor proprius ligat, amor diuinus soluit, liberam faciens. Pulchrè item pēnata virginitas dicitur, ad æterna se eleuans, atq; auis est illa Dauidica: *Penna colūbæ deargentata, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* siuè viriditate, vt alij legunt, ob certiorem spem beatitatis consecuturæ.

Virginitas pennata est & natura excelsior

14 Virginem ipsam alloquitur, ac monet officij: *O virgo, ad Deum intenta esto, nec quicquam tibi ex rebus omnibus pulchrum videatur; non generis splendor, non opes, non pulchritudo, temporis, & morbi ludibrium. si vim totam amoris in Deum effudisti.* græcè est παίγνιον hoc est puerilis ludus: adeò forma, temporis, & morbi, quasi pila puerorum, in terram proijcitur, iactatur, &c. ideò nihil virgini pulchrum videtur preter Deum. Addit itē pulchrè: *An electa illa sagitta vsq; adeò sauciata es, sponsiq; pulchritudinem cognouisti, vt illud quoq; sponsalis dramatis, & cantici dicere queas. Dulcedo es & totus desiderabilis?* hoc ad Teresiam virginem egregiè pertinet, quæ amoris sagitta ab Angelo icta sponsi Christi amore elanguens obijt.

Virgini nihil pulchrū videtur præter Deū

Virgo salubri amoris sagitta saucia.

Cant. 5.

15 Diuini amoris vi, naturæ obstacula vinci ostendit elegauti similitudine: *Videtis aquarum profluuia plumbeis canalibus inclusa. quæ quia multum comprimuntur, atq; ad vnum feruntur, adeò plerumq; ab aquæ natura excedunt, vt quod retrò impellitur, rursum semper tendat: consimili modo si amorem strinxeris, totaq; Deo coniuncta fueris. sursum tendent, nō humi prolaberis, atq; difflues: tota eris Christi.* Nēpè aquæ proprium est descendere, tamen vi spiritus per tubos, & euripos, vbi constricta includitur, sursum extruditur. non itaquè amor diffundendus est per creaturas, sed constringendus, vt in solum Deum feratur.

Amor non fusus per creaturas sed in Deū tendit vt aqua per tubos.

16 Addit virgini præclara monita: *Inaccessibilem te ipsam custodi, & vita, & cogitatione, & motu. vndequaq; enim te prauus ille perscrutatur, & explorat vbi feriat, vbi vulneret, nunquid nudū, et apertum inueniat, plagaq; obuium: quò puriorē cernit, eò enixius maculare, & inquinare contendit: splēdida enim vestis manifestiores sunt sordes.* Egregiè ait, virginem *inaccessibilem* esse debere. quò refero illud psalmi: *Dabis decori meo virtutem.* legunt alij: *montis mei*; decor enim, & pulchritudo quasi mons arduus, inaccessibilis esse debet; & vt ille à natura munitus, ità virginitas à gratia. scito, hostem vaferrimum

Virgo inaccessibilis sit alijs.

Psalm. 30.

indagare vndè sibi aditus fiat: vox enim græca, & inuiam significat, & inaccessam; quamobrem item rectè monet: *Nec oculus oculum trahat, nec risus risum, nec familiaritas noctem, nec nox exitium, & interitum.* Nota de modestia virginis; & vt gradatim ex leuibus ad grauia deueniatur. Subiungit: *Paulatim attrahitur, ac tāquā surripitur: tametsi in præsens damnum non sentiatur, tamen in vitij summam occurrit.* Est autem illud in primis præclarè dictum obseruandum: *Splendida enim vestis manifestiores sunt sordes.* multò enim magis in virgine, & religioso defectus indignitas apparet, quā in sæculari: est enim tanquàm phrygionica vestis, auro, sericoquè contexta. Cornelia Gracchorum mater, cum aliæ matronæ ostentarent ipsi texta, quæ pulchrè elaborauerant, expectauit donec filij à se probè instituti redirent domum: Hæc, inquit, sunt quæ contexui ad ornatum: similitèr de iustis ad Ecclesiam dicitur per Esaiam: *Viuo ego, dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris, & circundabis eos tibi quasi sponsa.* quæ verba ad quamlibet etiam religiosorum familiam referri possunt.

Modestia in virgine necessaria

Diabolus ex leuibus gradum facit ad grauia.

Vitium magis se prodit in virgine, vel religioso & labes in splendida veste.

Esa. 49

17 Gratię necessitatem ostendit, & exponit illud Apostol.: *Non est volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei. Quia ob rectè facta quidam efferuntur, docet, quod ipsum rectè velle diuino auxilio indigeat. imò, vt rectius loquar, voluntas quoq, ipsa, & electio eorum, quæ sunt, diuinum quoddam donum est, atq; à Dei benignitate. Non volētis, inquit, idest non solùm volentis, nec currentis solùm, sed miserentis Dei: ità quoniā velle quoq; ipsum à Deo est, optimo iure totum Deo irrogauit; quantumlibet curras, quantumlibet certes, opus habes eo, qui dat coronam.* Notabilis interpretatio illorum verborum: *Non est volentis, neq; currentis*; non quod non requiratur voluntas, & studium, sed quod hoc solùm sine gratia vanum sit, quæ perducat ad brauium. Vide autem quantum gratiæ deferendum sit: *Quia enim velle quoque à Deo est, optimo iure totum Deo irrogauit.*

Gratiæ Dei quantum deferēdum sit.

18 Ad prædestinationem hoc pertinet, quod liberum nō impedit arbitrium; soluit autem sic obiecta: *Sedere autem, inquit, à dextris, vel à finistris, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo. Nihil igitur labor iuuat, ieiunia, lacryma, sed sorte quadā, & lege fatali Hieremias sanctificatur in vtero, & alij reijciuntur? vereor nè absurda illa cogitatio obrepat, quod anima alibi versata sit, ac prout illa se gesserit, hoc accipiat. ideò & quibus datum est, adiunge, qui digni sunt; quiq; vt tales sint non modò à patre acceperunt, sed sibi ipsi etiam dederunt.* Rectè ostendit, vt nulla fatali lege coacti simus,

Prædestinatio non tollit libertatem arbitrij.

sed

ſed liberi, etiam ſi Deus cōſtituerit de nobis, præuideritq; quid ſimus acturi.

19 De Trinitate in baptiſmo nuncupata, ſic pulchrè. Si Spiritus ſanctus creatura eſſet, incaſſum baptizatus eſſes: *Pinge Trinitatem margaritam quandam eſſe, vndiq; ſibi ſimilem, & æque fulgentem: quæcumq; margarita pars læſa fuerit, tota eius gratia ta ... cum filium contemnis, vt patrem honore afficias, tuum honorem non admittit; ad contemptum filij pater haudquaquàm glorificabitur. dimidiatam iſtam pietatem improbo, totum te pium eſſe volo.* Elegans cum margarita comparatio Trinitatis, & rectè vnio dicitur. ſit cor inſtar conchæ, vbi per fidem quaſi gignatur, & aperta oris confeſſione promatur.

Trinitas margaritæ cōparatur

20 Triplex genus Eunuchorum in Euangelio ſic interpretatur: *Alij naturæ indole ad virtutem tendunt, hoc eſt naturæ facilitate, & animi quoq; voluntate: alij à Doctoribus varijs exercentur: alij ratione ipſa. ſi tibi rationem inſitam mouēs, ac virtutis igniculum per arbitrij libertatem exuſcitans, te ipſum exacuiſti, vitij inſtrumenta depuliſti; tantum virtutis habitum comparaſti, vt iam ad vitium ferri propemodum nequeas.* Vide quantam vim habeat exercitatio virtutis. pulchrè autem oſtendit quid libera voluntas agere debeat in nobis, ſcilicet *ſuſcitare virtutis igniculum.* hoc eſt nobis inſitam rationem mouendo. in Sanctis certè igniculus iſte Spiritus ſancti afflatu ingentem exardeſcit in flammam. Addit de Eunuchis ſic natis: *Bonum, quod à natura proficiſcitur, laudem non meretur, ſed quod à libera voluntate, & inſtituto. hoc da, vt corporis mole preſſus in altū pēnatus euadas; vt humilis creatus, cæleſtis inueniare.* præclarè dictum. Vide vt naturæ quaſi pennas addat virtutis exercitatio, quæ alioquin iaceret, & humi reperet.

Exercitatio exacuit, & exuſcitat virtutis igniculum.

Ex Oratione XXXI.
De perſecutione.

1 ADuerſarium ſic vrget: *Tu parietes, ac tabulas arctè tenes; auro fulges; ignoras præſtantiorem eſſe fidem ſub diū degentem, quàm copioſam, & magnificam impietatem.* Vide quantum ſit fidei pretium, quantus ſplendor: quantūuis pauper videatur, omni Dynaſta iuſtus ſit ditior.

Ingens fidei pretium, vel in paupere.

2 Solatur ſuos præſidio Angelorum in Eccleſia, ac Ciuitate. Sic igitur egregiè, ac pulchrè: *Audire Dominum videbar loquentem ad populum. Inceaite per portas meas, & dilatamini. tum etiam ad Angelos, quibus huius vrbis cura commiſſa eſt; nec enim mihi dubium eſt, quin alij aliarum Eccleſiarum præſides ſint. Sternite viam populo meo, lapideſq; è via proijcite, nè quod offendiculum, aut impedimentum exiſtat, quo diuinum populi mei iter, atq; ingreſſū remoretur, nunc quidem ad manufacta templa, poſt autem ad ſupernam Hieruſalem; quo in numero vos quoq; eſtis populus eximius. fluuius integer à gutta, à ſcintilla flamma ſublimis, & in Cœlum tendens, à ſinapis grano arbor.* Elegans ſanè apoſtrophe ad Angelos Ciuitatum protectores, & ad ciues ipſos. Vides Angelos cuique Ciuitati, ac Regno præſidere, præter cuſtodes ſingulorum. Vides ab his nos deduci ad templa in hac vita, & poſteà in Cœlum ſummi Dei primarium templum, quid hoc comitatu nobilius, & gratius? egregiè autem poteſt hoc referri, & multò magis ad eos, qui religionem ingrediuntur; Angeli enim amouent impedimenta ſæculi, vt opum cupiditatem, parētum obſtacula, &c. atq; ipſis dicitur: *Sternite viam populo meo, nè quod offendiculū, aut impedimētum iter diuinū, atq; ingreſſū remoretur*: ad religionē ſcilicèt. Certè in egreſſu de Aegypto, qui typus eſt ſæculi, & itinere ad terram promiſſionis Angeli ſtrauerunt iter in mari rubro; imò *apparuit campus germinans*. legimus nonnullos apertè Angelis apparentibus, & hortantibus religionem ingreſſos. ad religioſos verò ipſos pulcherrimè pertinēt hæc verba: *Vos eſtis populus eximius, fluuius integer à gutta, à ſcintilla flamma ſublimis, & in Cœlum tendens, à ſinapis grano arbor.* Primum pertinet ad excellentiam eius ſtatus, alterum ad integritatē, & quaſi limpidi amnis puritatem; reliqua ad feruorem ſpiritus. cæterùm nota illud de Angelis Ciuitatum patronis, græcè eſſe προστατεῖν, quod ſignificat præfecturam gerere, itemq; tutelarem eſſe, & patrociniū exercere. vndè προστατήριος dicebatur Apollo, qui antè fores ſtatuebatur ceu patronus, cuius ſtatuam ante ædes collocabatur. indicat autem Gregorius, paucos in ea vrbe Catholicos fuiſſe, deindè Angelorum præſidio in multos creuiſſe.

Angeli præſides Ciuitatum.

Apoc. 2.

Ciuiū virtus debetur Angelorū curæ.

Religioſorum fœlicitas eſt protectio Angelorum.

3 Elegans eſt Conſtantinopolis elogiū: *Si Ciuitatem hanc Orbis oculum, terra, mariq; potentiſſimam, Orientis, & Occidentis veluti nodum, & vinculum, quo extremi totius terræ fines concurrunt, & vndè velut à communi fidei emporio incipiunt, fulſiſſe, ac firmaſſe doctrina pulchrum eſt: aliquam ipſi quoq; partem, liceat mihi nonnihil hoc nomine gloriari, contulimus. circumfer oculos quiſquis doctrinæ noſtræ cenſurā facis. vide textam hanc gloriæ coronam, vide presbyterorum concilium canitie, et prudentia ornatum, Diaconorum modeſtiam, Lectorum concinnitatem, populi diſcendi ſtudium, idq; vel in præfectis, vel in ſubditis,*

Conſtantinopolis egregia laus ex Gregorij inſtitutione.

tis, vel in nobilibus, vel in litteratis, &c. Notabilis, & egregius locus, quo ostenditur, vbi posita sit præstans Ciuitatis laus. & vide quantus fructus redundarit ex doctrina Gregorij in omne genus, ac statū, tùm Ecclesiasticum, tùm sæcularem. hæc est Præsulis vera gloria, itā ex oluisse Ciuitatē. Sed occupāre nūc Constantinopolim Turca, nō possum quin cum lacrymis adhibeam illud summi poetæ: Tàm culta nouaha miles habebit? barbarus has segetes? porrò quæ laudes de illa dicuntur, eæ ferè omnes ad Romam pertinent: *Commune fidei emporium*: quæ vrbs vrbium nunc Alexandri VII. hierarchæ opera, & splendore, & pietate in Ecclesiasticis inprimis viget: *Vide textam hanc gloriæ coronam; vide presbyterorum modestiam, cōmunitatē, &c.* addo, quod habet eminētiam quandam, etiam purpuratorum.

Romanæ vrbis encomium

4 Pergit ostendere fructum ex sua doctrina, præsertim in hæresi profliganda: *Videtis eos, qui diuinitati bellū indixerunt, nihil iàm moliri ista facessentes, id quoq; Spiritus, id quoq; agricultura nostra est. non enim imperitū docemus, nec aduersarios contumelijs, & conuicijs incessimus, vt quidam, non cum sermone, sed cum loquente pugnātes, & argumentorum infirmitatem maledictis interdum obtegentes; vt sepiæ atramentum ante se euomere aiunt, vt possint effugere, nos pro Christo bellum gerere sic ostendimus, qui mitis est, & pacatus est.* Vide quomodò vitia, & hæreses impugnāda sint: non tàm persona, quàm eius verba, & doctrina praua arguenda est, & exaguanda. quod optimè seruauit Bellarminus noster in controuersijs. eleganti autē similitudine sepiæ ostendit, quosdam, cum videant infirmas se habere rationes in argumentando, vti conuicijs, & maledictis, sicut sepia, nè capiatur, offundit atramentum. Demùm ait, se quicquid docuit, gratis docuisse: *Virtutem mercedis expertem esse oportet, vt virtus maneat, nihil sibi præter bonum ipsum proponens.* Id Ignatius noster egregiè præcepit, vt quod gratis accepimus, gratis demus, nulla prorsùs mercede humana laborum.

Fructus ciuitatis ex institutione Gregorij.

Iudis uiāo non cōtumelijs, sed rationibus agendu.

Gratis docendum sine spe mercedis.

5 Ecclesiasticorum tria genera distinguit eleganti similitudine: *Sicut aquæ subterraneæ partim in imo prorsùs occultantur, partim in angustias redactæ ebulliunt, atq; eruptionem idm iàm pollicentur, partim denique in altum erumpunt: itā qui de Deo philosophantur, alij abditam, atque occultam omninò pietatem sibi habent. alij verò thesaurum in medium proferunt, pietatis fœtum parturientium instar retinere nequeunt. nec quod sibi ipsi salutem consequantur, salutem existimantes, nisi in alios quoq; bonum hoc redundet, quo in numero vtinam ipse collocer.* Præclarum votum, quod sanè, præter cæteros aliquarum religionū Patriarchas, etiam nostri Ignatij fuit, vt in aliorum salutem opem impēderemus. vbi nota pulchrè tres istos gradus in Societate Iesu inueniri; nàm Nouitij *abditam, atq; occultam animi pietatem sibi habent.* Scholastici, quos collegiales vocamus, *quasi à partus doloribus non longè absunt.* laborāt in eo, quod edituri breui sunt; cæteri verò prouectiores, vt professi, *thesaurum in medium proferunt, pietatis fœtum, parturientium instar, retinere nequeunt, &c.*

Actiuæ vitæ præstantium institutum.

In Societate Iesu tres status perfectionis.

6 Veram de Trinitate doctrinam theologicè profert: *Nec per vnum, Sabellij more, tria conuellentes; nec per tria Arij instar vnum oppugnantes; neq; enim malum malo permutandum est: nàm profectò diaboli ludi hæc sunt.* græcè παίγνια, id est puerilis ludus. Vide vt diabolus illudat, malum opponens malo, & extrema diligens. quam obrem rectè monet: *Nos verò media, & regia via incedentes, credimus tria quantū ad hypostases, siue personas, vt nonnulli malunt πρόσωπα: desinant enim, qui de his inter se contendunt, ineptire; perinde ac fidei nostra pietas in nominibus, non in rebus consistat.* Rectè arguit. huc spectat illud Demosthenis, cui de rebus serijs loquenti cū ab Aeschine obiecta esset dictio quædam minus græca; respondit, non in eo verbo positas esse fortunas Græciæ. est tamen in rebus fidei cautio etiam in verbis summa adhibenda; nàm per vnius literulæ variationem, vt ait Hieronymus, Orbis terræ Arianum se esse ingemuit.

De Trinitate quid sentiendū sit.

7 Hæreticorum arrogantiam sic abominatur: *Moabitis, & Ammonitis aditus ad Ecclesiam Dei non patet, hoc est dialecticis, & malè curiosis sermonibus, qui Dei generationem, & processionem inexplicabilē inquirentes, temerè aduersus diuinitatem insurgunt.* Vide, quæ de vtraq; gente habentur in Num. & Deut.

Cap. 23. & 23.

8 Episcopatu se exonerari petit: *Laborum præmium mihi date. quod tandem? non quod alius suspicetur, sed quod mihi tutò postulare licet. diuturnis laboribus me leuate. moueat hæc canities; alium subrogate, qui pro vobis vexetur, qui puris sit manibus, qui voce vos erudiat, qui curas Ecclesiæ perferre possit. quid vobis timido, & ignauo sene opus est?* Mira humilitas de abdicatione sacri magistratus: se *ignauum senem* appellat. Tùm vide, quæ sint partes, & munera veri Præsulis, & admirare potiùs hęc in tàm eximio Doctore.

Gregorij humilitas in renunciando Episcopatu

Episcopi partes quæ sint.

9 Cur Episcopatum deponere velit, ostendit; ob discordias scilicet, & prauos mores: *Quomodò feram hoc bellum? Oriens, & Occidens diuisi sunt, vt non idm minus voluntatum, quàm finium discrimina esse videantur. non fero Circos vestros, & thea-*

tro

tro contraria loqui non erubescimus, nec nobis constamus. dicas Euripos esse nunc exundantes, nunc reciproco fluctu residentes. Elegantèr indicat subditorum inconstantiam in rectè dictis, & factis, sicut variç sunt Euripi reciprocationes. Sequitur: *Non mihi cum vulgo conuenit. quæ alijs voluptatem gignunt, mihi molesta sunt; vt non mirum sit, si alicui desipere videar, vt ethnico cuidam philosopho accidit, cui prudentia vitio vertebatur, quod omnia irrideret, quæ risu digna videret.* Democritum intelligit. Vide quantum negotij facessat Prælato subditorũ improbitas. huc spectãt sequentia.

Subditorũ improbitas difficile facit regimẽ Prælati.

10 Ostendit humilitatem, paupertatẽ, & similia mundanis insaniam videri: *Exprobrant, quod nec mensa lauta, & opipara; nec magnifica veste vtimur, nec splendidè in publicum prodimus, nec ijs, à quibus conuenimur, grauitatem, & fastum adhibemus. nesciebam scilicet nobis cum Consulibus, & Præfectis, qui tot opibus, copijsq; circumfluunt, æmulationem, & certamen esse, vt & nos pauperum bonis ad luxum abuteremur, & cum fastu, & pompa deduci, atque omnes nobis perindè, ac belluis de via decedere.* Ironicè loquitur. Sciebam, inquit, hæc mũdanorum esse propria. & pulchrè irridet fastum, quo magistratus per lictores, & satellites populum à se remoueri iubet; nàm etiam immanes belluç hoc habent, vt nemo accedere audeat propius. itàq; præclarè concludit: *Mihi solitudinẽ, & rusticitatem date, Deumq; cui soli per tenuem victum, & cultum placebo.*

Gregorium mundani arguebant, quod Episcopus sine fastu esset.

11 Respondet obiectis: *At graue est concionibus, & publicis cõuentibus, & plausibus his, quibus quasi pennis in sublime ferimur, & subleuamur, & Vrbis pulchritudine priuari, &c. at minus hoc graue est, quã in tumultu versari, & ad vulgi mores inflecti: non enim iàm Sacerdotes, sed rhetores quærunt.* Rectè ait, præponderare quietem animi omnibus, vel honoribus, vel commodis. quod ad eos maximè pertinet, qui in sçculo splendidè viuere possent, sed quietis causa religionis statum eligũt, cuiusmodi Borgias noster fuit Cãdiç Dux, quem alij item è regia stirpe sunt imitati. Et nota, cur solitudinem eligeret Gregorius, quia videbat paruum fructum se facere, cum homines non tàm solida doctrina, quàm rhetorico artificio in dicendo delectarentur; quod vtinam non & nostra ætate contingeret: *Non enim tàm concionatores, sed rhetores quærunt.* itàq; tanquàm inutilis sit ad pugnandum cum vitijs, pulchrè ait: *Hoc mihi sit dimicationis præmium, missionis libellum mihi date, quẽadmodùm Imperatores militibus solent.* Vides Prælati, & Sacerdotis, hoc est Apostolici viri munus castrẽsi esse simillimũ. propositum .n. ei est hostili odio vitia persequi

Quies solitudinis præponderat omnibus sæculi commodis.

Auditores eloquentiã potius, quã fructũ quærentes taxantur.

Episcopi munus quasi castrense.

12 Quasi iã depositurus Episcopi munus. & abiturus, elegantèr admodùm, ac piè vltimum vale dicit Ecclesiæ suæ: *Ego vobis his verbis extremis compellabo. Vale Anastasia, nomen à pietate habens; tu enim in nobis fidei doctrinam excitasti; vale, inquam, communis victoriæ sedes, noua Silo, in qua primùm arcam fiximus in deserto vagantem. tuq; magnum hoc templum, & nobile, noua hæreditas quoad magnitudinẽ ab orthodoxa doctrina suscepisti.* Anastasiã vocat, nàm ἀνάστασις resurrectio est. hic erat principis templi titulus. Sequitur: *Vosque etiam aliæ ædes sacræ huic dignitate proximæ, alia aliam vrbis partem circumplectentes quasi vincula, seù nodi quidam, atq; compages.* græcè σύνδεσμα nodi simul colligati. pulchrè indicat templa, quæ circumdant vrbem, esse tanquàm auream catenã, & quasi vincula, nodosq; quibus fit, nè vrbs dissoluta prauis moribus sit, vel Dei vindicta vitijs irati destruatur.

Gregorij abscedẽtis, ac valedicentis suæ Ecclesiæ oratio.

Tẽpla vrbẽ cingentia instar aureæ catenæ ac nodi.

13 Tùm ad Apostolos conuersus sic: *Valete Apostoli, præclara colonia certaminis vestri magistri. etsi minus sæpè festa vestra celebraui, fortassè Pauli vestri Satanam ad vtilitatem meam in corpore circumferens, ob quem è vobis abscedo.* Mira prorsùs humilitas: tribuit paruæ suæ in Apostolos pietati meritum exilium, quod sibi indicit. Addit: *Vale cathedra, inuidiosum hoc, & periculosum fastigium.* Notabile dictũ de Episcopali sede, quæ & aliorum ambitioni, & maledictis, & alijs incommodis subiacet; & quod maximum est, periculo salutis.

Apostolorum præsertim festa celebranda.

Episcopatus inuidiosum, & periculosũ fastigium.

14 Deniq; sic item elegantèr: *Valete Nazaræorum chori, psalmodiarum harmoniæ, nocturnæ stationes, &c. valete domus, hospitales, &c. vale Oriens, & Occidens, pro quibus, & à quibus oppugnamur. præter omnia, & ante omnia, clamabo: valete Angeli huius Ecclesiæ præsides.* Vide quanti faciat religiosos viros, quos Nazaræos appellat, à quibus se abstrahi dicit; ac præcipuè nota, qua pietate esset affectus in tutelares ciuitatis Angelos. Xauerium quoq; legimus, cum primùm regionẽ aliquam intrabat, solitum se commendare illius patronis Angelis. sicut & de Angelo Persarum habes apud Danielem.

Gregorius quanti faceret religiosos.

Gregorij pietas in Angelos tutelares ciuitatis.

Ex Oratione XXXII.
De Theologia.

1 Arguit eos, qui erant ex Eunomij disciplina; quod eos, qui cum ipsis disputabant, sophismatis implicarent: *Vnum hoc spectant quid vel implicando ligẽt, vel dissoluant, quod ipsis obijcitur; prorsùs illorum more, qui in theatris luctantur,*

&

lerint, quàm rasas comas, quas prius aluerant. Cum canes, dicit, alludit ad Maximū Cynicum philosophum, qui Præsulis honorem affectabat; à canis enim impudentia dicti sunt Cynici. ac nota, vt Præsules attonderent comam, ab omni specie muliebris habitus abstinentes.

4 Mundi huius vanitatem eleganter describit: *Inambulabam ego, declinante iàm die. locus littus erat: quando nec neruus arcus semper tendi debet si nolumus inutilem reddi sagittario, vt eo rursùs sit vtendum: oculi in mare defixi erant. quid tùm accidit? vehementi vento concitari cœpit; ac fluctus partim procul exurgere, partim rupibus vicinis illisi, ac repulsi, in spumam, ac tenuē asperginem dissipari, ipsis intereà rupibus immotis, & inconcussis. dùm algæ, & ostrea iactantur. tùm sic ego mecum: Etiam vita nostra, & res humanæ quoddam mare sūt. in ea multum est salsuginis, & instabilitatis. venti tentationes sunt, & casus inopinati, partim nè paruo quidem momento res sustinere non valent; partim esse velut rupem, inconcussis animis, &c. hinc me non nihil vtilitatis ad philosophiam accepisse scio.* Vide vt, etiam cum à labore honestè relaxatur animus, debeat aliquid indè referre ad salutem; mare ex tranquillo mox perturbatum, sæculum præsens est. algas quidem, & ostrea, & arenas voluit, & iactat, sed solidas rupes, & scopulos haud concutit, imò ibi frangitur, & resilit. ità huius Mundi varietas imperfectos afficit, non item iustos.

Gregorius ex aspectu fluctuantis maris de Mundi instabilitate reputat.

Relaxatio licita, sed honesta, vt neruorum in arcu.

5 Afflictionis bonum eleganti parabola ostendit: *Fortasse me fabulatorem putabitis; sed indicabo tamen, quando sacras etiā literas scimus ad res dilucidius explicandas huiusmodi exemplis vti. Est quædam in fabulis arbor, quæ secta floret, & cum ferro certamen suscipit, & morte viuit, & sectione germinat, incrementum deniq; sumit cum abrumpitur. mihi verò videtur omninò quiddam simile esse philosophiæ: ærumnis inclarescit, rebus aduersis ornatur.* Huc refero illud Pauli: *Quasi morientes, & ecce viuimus, &c.* Interpres miratur cur nonnulli quærant, quænàm sit hæc arbor, cum Gregorius fabulam dicat. possumus tamen interpretari, hoc ænigmaticè dictum: vt arbor hæc vitis sit, quæ sectione amputata quasi moritur, & sic viuit, & regerminat: ità quiuis iustus, & Ecclesia ipsa, vitis instar, persecutionibus secta repullulat. Croniatas intelligit de hydra, quæ resectis capitibus pullulabat; sed hydra in malum sensum accipi solet, nec cū arbore aliquid habet commune; cæterùm quod ait, scripturam vti solere his ænigmatibus, apparet in apologo rhamni in regem ab arboribus delecti, &c.

Arbor quædam, quæ ferro secta tunc florescit, typus mortificationis.

Iud. 9.

6 Nobilitatem non tàm ex genere, quā ex Christiana philosophia agnoscit. Huiusmodi philosophus, inquit, in quocumq; statu patritius est; sanguini morum honestatem exhibebit, vt duplici ratione clarescat. Helias Cretensis legit, opponet, hoc est prælucet, ostendet morum nobilitatem cum generis splendore collatā. Certè Thomas Aquinas in primis hoc exhibuit: *Vt duplici ratione claresceret.* vt meritò Sol ille appingatur in pectore. huc spectant, quæ sequuntur.

Vera nobilitas non sine virtute.

7 Generis ignobilitatem non obesse iusto, ait: *Ignobili loco natus est: quantū hoc ad statuam, & lutum pertinet? si quid tamen magni inter lutum, & lutum interest. afferet certè eius loco nobilitatem illam, quam mente intelligimus, & qua seipsum quisque in meliùs fingit. aliam omnem nobilitatē à semine, vel rescriptis, velut adulterinam reijciet.* Rectè dicit, cum ex luto constemus omnes, perindè est nobilem ab ignobili discernere, ac luteam statuam ab alia item lutea. verum igitur decus in virtute est, quæ pretium facit iusto, & à mundanis distinguit, vt à re vili.

Virtus est, quæ distinguit nobilē ab ignobili.

8 Nobilitatem acutè partitur: *Triplex est genus; vnum, quod supernè originem duxit, cuius respectu omnes ex æquo nobiles sumus, ad Dei scilicet similitudinem, & imaginem facti; alterum à sanguine prouenit, cuius ratione nūm quis sit nobilis, equidem non video, quippè ortus eius cum interitu coniunctus est; tertium ex vitio, vel virtute agnoscitur, & æstimatur, cuius vel magis, vel minus participes sumus, prout vel seruauerimus imaginem, vel corrupèrimus. hanc nobilitatem diliget sapiens. nàm quartum genus ex scriptis, & edictis pendens apud me tunc erit in pretio, cum pulchritudinem sitam in coloribus amplexus fuero, & simiam cœpero venerari, quæ iussa sit esse leo.* Acutè hāc nō magni æstimat, quia ex alterius voluntate nobilis dicitur, non quod verè sit; ad primum genus pertinet illud adductum à Paulo: *Ipsius & genus sumus, genus ergò cum simus Dei, &c.* Vide igitur vbi sit sita prima nobilitas, non in seruandis fumosis maiorum imaginibus, sed in seruanda Dei splendida imagine, quam nobis impressit: corrumpitur imago alijs coloribus malis iniectis, vel luto, puluere, &c.

Triplex nobilitatis genus.

Præcipua nobilitas imago Dei in nobis.

9 Percurrit hominis ætates, ac status; & primò, qua ratione traducenda sit iuuenilis ætas, docet: *Iuuenis est: aduersus animi morbos se geret viriliter, & eum iuuentutis fructum feret, vt ijs, quæ iuuenum sunt, non sit obnoxius, sed prudentiam senilem ostendet: magis hac victoria delectabitur, quàm ij, qui in Olympia coronam consequuntur; vincet enim in publico totius terræ theatro; & quidem victoria nequaquam emptitia potietur.* Pulchrè iuuenem com-

Iuuenis victor passionum, vt Olympionices coronatur.

comparat cursori in Olympijs: huiusmodi cursor, & Olympionices fuit Thomas Aquinas. itē beatus iuuenis Aloysius noster Gonzaga, qui ad hunc finem vt celerius curreret, calcari vtebatur lateri admoto in stadio perfectionis. quantò autē hoc præstantius sit, docet Paulus: *Spectaculum facti sumus Deo, Angelis, & hominibus*. græcè est, theatrum. Sed quia in Olympijs sæpè robustiores pugiles lucri cupiditate adducti, victorias, sponte cedentes, vendebant alijs licet imbecillioribus, qui erant opulenti, & ambitiosi, ideò rectè ait, nostrorum pugilum victoriam non esse venalem.

Seni maximè æternitas sit in voto.

10 Transit ad mores senum: *Ad senectam vergit: at non animo quoq; senescit. perlubenter ad ea, quæ vitam banc sequuntur, transcribit; accipiet dissolutionem corporis tanquàm præscriptum tempus necessariæ libertatis*. Vide, vt in senio maximè aspirandum, suspirandumq; sit ad æterna: Helias Cretensis affert similitudinē æris, vel auri massæ, quæ in fornace diffingitur, sed vt indè pulchrior statua efformetur. id verò fit in morte iusti.

Virtus etiā cadit in deformē, vt odor in rosæ folliculo.

11 Pulchritudinis, vel deformitatis hęc monita dat: *Forma venustatem nactus est? animi pulchritudo fulgore suo pulchritudini corporis respondebit. Flos ætatis illæsus præteriįt, ad se ipsum se se conuertit, ac nè cerni quidem se nouit. Deformis est? quà sub aspectum cadit, sed interna parte sui venustus est; quemadmodùm in folliculo nec fragrante, nec florido rosa tùm florida, tùm fragrantissima latet*. Pulchrè ostēdit etiam deformem, modò virtute præditus sit, habere suam pulchritudinem, sed latentem in interiori homine; sicut rosæ nondùm apertæ, qui calyx dicitur, foris adhùc asperior, & rusticior, intus decus, & odorem claudit. His addit non minus pulchrè: *Formosus est, elegantia singulari super omnes? at philosophus nè tempus quidem spectandi externa concedit, sed spectatorem ad internum hominē conuertit*. Hoc est, qui verè, & Christianè philosophatur, cum videt pulcherrimam aliquam corporis compositionem, nō moratur, & inhęret in ea conspicienda, sed statim mentem transfert ad internam animi pulchritudinem positam in virtute.

In forma corporis non morādum, sed statim ad internam recurrendū

12 Qua ratione quis se gerere debeat in bona, vel mala valetudine, docet: *Proba valetudo est? ad optima quæque sanitate vtetur. vigilabit, in nuda humo cubabit, corporis molem extenuabit, summo studio mortem meditabitur, cœlestia speculabitur*. Vide quò robur, & vires conferendæ sint; quod ad religiosos in primis pertinet. egregiè hoc Borgias noster egit: *Corporis molem extenuabit; summo studio mortem meditabitur, &c*. Nempè ex aspectu mortuæ Au-

Viribus totis maximè mortificationi incumbat.

gustæ à Mundi fastu ad religiosam humilitatem transiens. Sequitur: *Aegrotat? pugnabit; quod si victus fuerit, vincet, hoc assecutus, vt nō amphùs pugnet*. Hoc sanè mirum, quod ægrotum quasi pugilem facit. sed nimirùm Paulus ait: *Cum infirmor, tùm fortior sum*. Luctandum cum febre, cum morbis, quam rectè Lyricus poeta cohortem vocat. acutè autē dicit, in hac pugna cadere, hoc est mori, vincere est, & immunem iā fieri onere militiæ.

Ægroto etiam pugnare licet vt athletæ.

13 De diuitis, vel pauperis statu sic: *Diues est? pauperem bonorum participem faciet, alienorum dispensator; vt & ille hac perceptione iuuetur, & ipse ad Deum colligatur, nihil præter crucem, & corpus habens*. Hoc seruauit in primis Carolus Borromæus, qui vno die ingens patrimonium pauperibus erogauit: *Nihil præter Crucē, & corpus habens*. Crucis enim, & passionis Christi amantissimus fuit. corpus autem ieiunijs tenuatum vix habuit. Sequitur: *Pauper est? pro diuitijs Deum habebit. diuites irridebit, qui maiore semper inflammātur cupiditate*. Præclara vox, *pro diuitijs habebit Deum*. Vides igitur, vt in omni statu, & cōditione virtus haberi possit, modò volūtas annuat. quò etiā spectāt sequētia.

Carolus Borrom. nihil præter crucem, & corpus habens

Virtus in omni statu teneri potest.

14 Incommoda vt ferenda sint, demōstrat: *Siti angitur? fontes, & flumina potū suppeditant, non ebriantem, nec dimensum*. Nota duo in aquis fontium; nec ebrietatis damnum inferunt, vt vinum; nec immensura habetur, aut emitur, vt idem vinum. Sequitur: *Algebit? est & quoddam indumentum; vt ait Iob: Eò quod, inquit veste carerent, petra induti sunt*. Vulgata habet: *Non habentes velamen, amplectuntur lapides*. Audi & verba Pauli: *Petra autem erat Christus. & Induite Dominum nostrum Iesum Christum*. Certè velamen illud, seù linum asbestinum, idest incombustibile, quo vtebātur in rogo, & ex quo mappę fiebant, ex lapide erat, nè cui mirū videatur, quod indui petra dicantur.

Aquæ beneficium.

Iob. 24.

Christus pro indumento est iusto.

15 Libentèr perferri incommoda omnia dicit, Christi passionem contemplando: *Multa adhùc, quamuis multa pertulerit, restabunt, acetum, fel, corona spinea, sceptrū ex arūdine, chlamys coccinea, crux, claui, latrones simul cruci affixi, prætereuntium contumelia, &c*. Hoc item supradixit de contumelijs perferendis: *Quota pars hæc est sputorum, & alaparū Christi? &c*.

Nulla nostra afflictio æquat passionem Christi.

16 Fortitudinem iusti in aduersis ostēdit: *Nihil philosophia fortiùs, nihil inexpugnabilius. omnia priùs cedant, quàm vt philosophus manus det. philosophus onager est in deserto, vt cum Iob loquar, solutus, & liber. vrbis tumultus ridens, ac præfecti tributorum expostulationem non audiens. vnicornis est, animi sui legibus viuens. si tibi seruire animum induxerit, videbis eum in pra-*

Religiosus vnicorni cōparatur ob fortitudinem tolerātię, &c.

Iob. 39

præsepi. Elegantèr ostendit, vbi posita sit vera philosophia, quàm religionis status maximè profitetur, in non cedendo aduersis, in fugiendo Mundi strepitum, & secularia negotia. cupiditatibus non obtéperat, sed Deo seruit cum omni humilitate; etiam si potens dignitate, & opibus in Mundo sit: cuiusmodi noster Borgias fuit Dux Candiæ, vnus ex regijs purpuratis, & alij. verba illa sunt quasi admirantis apud Iob: *Quis dimisit onagrum liberum, &c.? nunquid volet rhinoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? nunquid alligabis rhinocerota ad arãdum loro tuo, &c.? nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius, aut derelinques ei labores tuos?* Hæc, inquam, pulchrè ad Ignatium dici possunt de Borgia, cui Societatem gubernandam post Lainez reliquit Generalis præpositi munere. in vinculis vota intellige; in aratro, & confractis sulcis mortificationem eximiam, vel culturam ipsius Societatis, præsertim cum gentilitius illi sit in stemmate bos, aratro, & excolendæ telluri factus. idem tamen velut vnicornis fuit ob potẽtiã dignitatis, opũ, nobilitatis.

17 Iustum omni aduersitate superiorẽ præclarè demonstrat: *Si omnibus terra cõmodis arcetur, parata sunt ipsi alæ sicut aquilæ; ad Deum conuolabit*. Alludit ad mulierem illam Apocalypsis, cui cum draco insidiaretur: *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertũ*. Quod pulchrè ad eos, qui à sæculi periculis ad religionem confugiunt, facit; hoc est enim *ad Deum conuolare*. Tùm concludit item egregiè: *Vt in summa dicam, duo hæc corripi, & superari nequeunt, Deus, & Angelus; tertium est philosophus, in materia expers materiæ, in corpore incircumscriptus, in terra cœlestis, in passionibus impatibilis, omnibus rebus vinci se patiens, præter quã animi magnitudine, & ipso quod vinci se patitur, alios vincens*. Vides perfecti religiosi imaginem proponi eleganti antithesi; cuius & cœlestis cõuersatio, & mortificatio triumphalis maximè laudantur.

Perfecti religiosi egregiæ dotes.

18 Ostendit, seipsum nullis incommodis, aut iniurijs, aut aduersitatibus cõmoueri: *Indoctum me nominabunt? vnam hãc sapientiam scio, quæ in timore Domini sita est*. Rectè ab hoc incipit, quod expugnatu difficile est, vt vir tantæ doctrinæ indoctus habeatur. quotus quisque ingenio sibi detrahi patitur?

19 Pergit ad alia: *Paupertatem obijcies? meas scilicet opes, & copias: atque vtinam pannos hosce exuere possem, vt huius vitæ spinas nudus percurrerem. vtinam & grauem hanc tunicam celeriter abijcerem*. Vide quid agat paupertas: facit, vt cum nudi simus, vestis non adhæreat huius Mundi spinis, cùm eas pertransit, ac proindè cursus non impediatur ad Deum. præterea leues facit.

Gregorij humilitas parati ad omne genus obtrectationis

20 De morbo sic: *Inualetudinem obijcient? atqui nequaquam hoc totum carnea huius molis est, & naturæ. quiddam etiam ratio absumpsit: libet enim paulùm aliquid gloriari. nã tu quidem iucundum mihi spectaculum præfers obesus, & corpulentus. atque vtinam tibi quoque aliquid palloris offusum esset, vt existimationem saltem philosophiæ colligeres*. Lepidè irridet obesitatem. certè Apim illum bouẽ, quem Aegyptij colebant, à Nili aquis arcebant, quod bibentes faceret pingues & obesos. & vide, vt proprius sit sapientiæ pallor, nempè & auri color is est.

Macies obesitati præfertur

21 His incommodis adiungit: *Episcopatum abrogabunt, ac de throno deijcient? scilicet, quem prompto, atque hilari animo conscendi. quid illæ imprecationes, quas aduersus nos ipsos publicè concepimus? quid illæ lacrymæ, quarum tantam vim profudimus, vt vobis etiam commiserationem moueremus, quamuis propter obluctationem odio penè essemus*. Mira certè humilitas in Episcopatu recusando. maior huic honoris fuga, quàm alijs ambitio: imprecationẽ obiecit plausibus, lacrymas gratulationi.

Gregorius paratus ad deponendũ Episcopatum, quẽ ægre acceperat.

22 Ad hoc quoque pertinet, quod addit: *Præfecturam eripient? propter hanc Orbis terræ bello flagrat, eoq; surdo quodãmodò, ac nè nomen quidem habente. vtinam nullus esset principatus sedis, nec vlla loci prælatio, vt ex sola virtute cognosceremur; nunc autem dextrum hoc, & sinistrum latus, & medium; et sublimior, atque inferior gradus; & præcedere, et simul incedere multas nobis contentiones incassum pepererũt, & ad hircorum regionem adduxerunt*. Notabile hoc admodum est, nam & hoc tẽpore huiusmodi dissidia non nunquam accidunt, vel inter Ecclesiasticos ipsos, vel inter hos & sæculares Principes, & magistratus; de sublimiori videlicet sede, de præcedentia, de loco medio, vel dextero; quamobrem acutè ait: Vereor nè ob has contentiones de dextera, sortiamur sinistram, ad quam in iudicio improbi tanquã hirci ponentur: *Ponet oues à dextris, hædos autẽ à sinistris*. Nõ hic vsus, & ritus cuiusq; status improbatur, sed ambitio superba.

Dissensio de præcedentia honoris quã vitanda.

23 Nec alijs incommodis ab hæreticis inflictis se terreri ait: *Exulem me vocabũt, cui & omnis terra, & nulla terra patria est? tu verò nonne hospes es?* Egregiè ait: frustrà dicar exul, quia iusto *totus Mundus diuitiarum est*. & simul extra Mũdum est, quia totus ad Deum elatus. Sequitur: *E Ciuitate eijcient? at non ex ea, quæ in Cœlo est. quandiu hoc non poterunt, me vẽtis ferient, & in somnis ludunt. sic enim eorum bellum interpretor*. Vide quid sit persecutio hæreticorum, vanus, & inanis vẽ-

Iustus exul dici non potest.

Hæreticorũ persecutio nil nocet iusto.

tus

torum bacchātium strepitus, & nocturna quasi verberum in somnis ludificatio.

24 Deniquè pulchrè de rapinis: *Pecunias eripient? quas tandem? fimeas, quin & pennas, quibus careo, abscindant; si Ecclesiæ, Deum produnt.* Ostendit quàm pauper sit, etiam si Episcopus sit, vt nullas rapinas metuat, quia nullas habet opes. etsi pennas haberet, etiam se deplumari pateretur. sed ingenij certè pennis, & eximiæ virtutis Gregorius non caruit, quas illi nemo eripere potuit.

Mira Gregorij in Episcopatu paupertas

25 Extremo loco apostrophen habet ad Trinitatem: *Primarium illud, & maximum est, vt puriùs, pleniùsq; à te illuminati sitamus, quomodò & eadem vnitas intelligeris, & Trinitas reperiris, &c.* Rectè primariū hoc vocat, & maximum; nec nisi diuina illustratione cognosci posse dicit.

Ex Oratione XXVIII. De dogmate.

1 ELegantèr perfecti, ac religiosi viri statum describit: *Nihil eum eo comparandum videtur, qui clausis, compressisq; sensibus, atq; extra carnem, Mundumque positus, nihil rerum humanarum, nisi summa necessitate contingens; secumq; ipse, & cum Deo commercium habens, sublimiorem rebus visibilibus vitam traducit; ac diuinas rerum species, & imagines puras in se circumfert, velut purissimum speculum Dei, rerumque diuinarum existens; itàque se comparat, vt per lumen insuper lumen assumat; quousque ad radiorum vitæ futuræ fontem peruenerit, &c.* Insignis hic locus est de vita contemplatiua Deo vacantiū; præclarè dictum, eos tanquàm specula purissima esse, Deum quasi Solis radios excipientia, vt ex hoc lumine ad futurum illud plenius, & ineffabile gradum faciat. est hoc pro nonnullis Sanctis, vt Ignatio nostro, cuius facies explendescere solebat, præter internas illustrationes: ad quem etiam illa spectant de abstractione à rebus corporeis ad cœlestia, vndè miræ illius ecstases. ad eūdè etiā refer, quæ sequūtur.

Vitæ contemplatiuæ pulchra descriptio

2 De mortificatione hæc egregiè: *Vix porrò quemquam, nec nisi qui diuturna, & exacta philosophia carnem samsauerit, &c. priusquàm terrenam hanc molem deorsum trahentem superauerimus, tutò puto animarum curam suscipere.* Notabile dictum; ideò B. P. Ignatius Societatem ad animarum salutem instituens, penè nihil magis, ac sæpiùs inculcat, quàm mortificationē. neque enim sine hac armatura in aciem prodire tutus est. His addit: *Cum, vt ille Zacchæus super sycomorum euectus fuero, mortificatus nimirum membris, & corpore ina-*

Nemo nisi mortificatus accedere debet ad agendū cu proximo.

cie affecto, tunc verò Iesum excipiam. Referre potes hoc etiam ad Eucharistiam, quam præcedere mortificatio debet. sycomorus autem cum fatuam ficum significet, mortificationis est typus; & in nostris legibus de mortificatione est, vt etiā insani, ac fatui haberi optemus, modò occasionem ipsi non demus.

3 Ostendit, in diuinis tractandis diuina illustratione opus esse: *In prouerbijs dicitur: Stultissimus sum omnium hominum. at sapiens & cordis latitudinem arena maris vberiorem acceperat; sed hoc vult, propriā se nullam prudentiam habere sed diuinā, & perfectissima sapientia afflari. optauerim id & mihi contingere, vt de Deo, ac Trinitate verba facturus nihil meum, ac proprium loquar.* præclarum votum. Vides, vt humanum ingenium hallucinetur, & omnis acies mentis hebescat ad diuina: quod Salomon omnium sapientissimus de se fatetur. Adnotent hoc Theologi, nā Thomas Aquinas nunquàm nisi præuia oratione ad ista accedebat.

Prou. 30.

Sapiens quisque hebescit ad diuina

4 De Trinitate sic: *Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum adoramus: proprietates quidem distinguentes, diuinitatem autē copulantes. nequè tria in vnum contrahimus, nè Sabellij morbo laboremus; nec rursùs in tria diuersa, & aliena separamus, nè in Arij furorem incidamus: Arius enim rectè à furore cognominatur. quid enim necesse est, vt velut plantam in alteram partem propendentem ad alteram partem porrecti inflectamus, non autem potiùs eam ad medium dirigamus inter pietatis, ac fidei fines?* acutè plantæ similitudinem affert. Arius porrò græcè, & Martem ipsum, & bellicū furorem significat, vt supra diximus.

De Trinitate quid sentiēdum.

5 De filij generatione sic pulchrè: *Age tu voluntate ciuitatem describe, & statim ciuitas repræsentetur. opta tibi filium nasci, & protinùs tibi existat. nihil quidem horum voluntatem nostram sequitur, Dei autem voluntas actio est.* Vide quanta sit Dei perfectio, & quanta vis numinis; & quantum diuina super emineant nostris. Theologi nunc sic loquuntur, Filium produci à Patre per intellectionē, Spiritū sanctū ab vtroq; procedere per volitionē.

Verbi generatio quomodò fiat.

6 Trinitatem cum humilitate cognoscendam dicit: *Si in Filij productione, & Spiritus processione peruestiganda curiosū te præbes; ego quoq; de te requiram, quomodò puluis, & simul Dei imago es? quomodò cogitatio per sermonem impertitur, &c.* Rectè arguit, incredibile tibi videtur, quomodò hæc contineantur in Deo, vnitas & Trinitas: videtur enim primò alterum alteri repugnare. quid mirum, si hoc non potes percipere, qui neq; illud, quod minus est, percipere vales, quomodò scilicet in te res tàm oppositæ coalescant

Deficit omnis vis ingenij in inuestigatione Trinitatis.

simul, corpus, & spiritus; intellectus, & pulus. itaq; sic monet: *Ea parte, quæ in te manet, contentus esto. reliqua in supernos thesauros recondita manent. vis Theologus aliquādo fieri, ac diuinitate dignus? per Dei incede præcepta; actio enim gradus est ad contemplationem. sis tu licet alijs in disputando sublimior, at Deo inferior es. sis acutior, at veritate minor.* Elegantèr ait, ea, quæ nunc percipere nō possumus de Deo, recondita esse in thesauris cœlestibus, qui nobis in altera vita aperientur. Vides etiā, vt bona opera gradus quidā sint, vt ascendamus ad contemplandum Deum: laudāda igitur instituta eorum Ordinum, qui vtrumquè coniungunt,

Multa in supernis thesauris latent nobis ignota.

Ex Oratione XXIX. In electione Episcopi.

1 QVendam Episcopo aduersantem sic acritèr vrget: *Quid ais, fili Dathan, & Abiron, & dux militaris contumax, qui aduersus Mosem insurgere ausus es? non cohorruisti? non es collapsus in terram? vereor nè Dei gladius tandiù rubiginem contrahat, & conquiescat.* Vide quā impium existimet, sæcularem præsertim quātumuis publicis muneribus nobilem, in Ecclesiasticum insurgere, Episcopum maximè. Tùm sic Episcopum ipsum pulchrè compellat: *Adesdùm, ò pastorum optimè, ac præstantissimè; ac populum tuum accipe, quem Angeli offerunt, quem & vita, & morum probitas fidei tuæ credidit.* Nota qualis Episcopus esse debeat, & quomodò subditos curare, tanquàm à custodibus Angelis sibi creditos, vt Angelicis erudiat institutis,

Episcopus subditos quasi ab Angelis sibi commissos regere debet.

Ex Oratione XXX. In Matthæi cap. xjx.

1 QVanti Christus hominum salutem faceret, ostendit: *Iesus, qui piscatores elegerat, fit ipse piscator. ad omnes se demittit; euerriculo vtitur, omnia perfert, vt piscem è profundo extrahat, in altum efferat, hoc est hominem in salsis, & instabilibus vitæ fluctibus natantem.* Vide quāta industria vti debeat vir Apostolicus in procuranda salute animarū, exēplo Christi. nihil igitur piscatione animarū nobilius

Piscatio animarum quanti facienda.

2 Christum totum nostræ saluti, ac bono intentum elegantèr describit, & pulchrè: *Somnum capit, vt somnum benedicat. fatigatur, vt laborem sanctificet. lacrymas fundit, vt lacrymas laudabiles reddat. ex loco ad locum transit, qui nullis continetur spatijs. idem & erat, & fit. & supra tempus erat, & sub tempus venit, &c.* Nota, vt post Christi labores labor sanctificatus iām sit, & in bonum proximi libentèr accipiēdus eius exēplo, iuxtà illud Ieremiæ: *Dabis eis scutum cordis laborem tuum.* Vide quoq; quantum pretiū acceperint lacrymæ, postquam eas profudit ipse Christus.

Christus totus intētus nostræ saluti.

Ierem. 3.

3 De diuinis quàm modestè loquendum sit, ostendit: *In Ioannis Euangelij initio tertiò repetitur hoc verbum, erat, vt numero ipso confirmentur duæ naturæ in vnū concurrentes, non duo filij, &c.* Tū sic egregiè: *His, qui tantus est, tamque magnus: sed quid ego rursùs in humana verba prolabor? quo enim modo quod simplex est, tantum est? quod quantitatem nescit, tantæ magnitudinis? sed ignosce quæso; organo exiguo de rebus maximis loquor.*

De diuinis modestè loquēdum.

4 Exponit illud: *Secutæ sunt eum turbæ multæ. Nisi ad humanam infirmitatem maximè se demisisset, inaccessibilem se custodiens, pauci fortasiè secuti fuissent, atque haud scio an pauci. fortasiè Moses solus, ac tantùm, vt Dei posteriora videret, nubem quidem penetrauit, extrà corporis pondus positus, aut à sensibus collectus, ac reductus; at non Dei à corpore vacuitatem, ac subtilitatem vidit.* Vide quantum nobis profuerit humilitas Christi, quæ se nostræ infirmitati contemperauit.

Christus contemperans se nostræ infirmitati.

5 Arianos exagitat, Dei filium creaturam, nec coæternum Patri dicentes: *Velim ignoscatis; ira, & mœrore impleor propter meum Christum, cum hac de causa contemni video, propter quam esset maximè honorandus. an ideò abiectus est, quia propter te se abiecit? an ideò creatura, quia de creatura sollicitus? an ideò tempori subest, quia eos, qui tempori subsunt, inuisit?* pulchris antithetis arguit. Ariani ideò Filiū Dei æqualem Patri negabant, quia se hominem pro hominibus saluandis fecerat, quod potiùs amorem, & venerationem conciliare debuit.

Christus inde maximè honorādus, quod pro nobis se abiecit.

6 Dei tolerantiam de nostra circa ipsum ignorantia exaggerat: *Omnia fert, omnia excipit; etiam à nobis, qui fidei pietatem profitemur, lapidibus appetitur: etenim de incorporeo disputantem corporeis nominibus vti, vexantis fortasiè est, & lapidantis. lapidamus tamen haud libenter, sed quia aliter loqui non possumus. lucem superas, & lux nominaris, &c.* Discurrit per alia quoq; Dei nomina, ignis, gladij, ouis, &c. Vide quàm stulti simus, cum de scientia superbimus, vel de virtute diuina tractantes. cum Deum ineffabilem humano more loquendi nuncupamus; & tamen Deus fert insipientiā nostram: scilicet iactamus non tàm verba, quàm lapides.

Deus suffert nos de se loquentes licet abiectè.

7 Qua ratione tractanda sit vxor, docet: *Si illitos fuco, & cerussa colores, & pigmenta*

menta perspexerit, eam hoc ornatu spolia. si intempestiuos progressus, castiga. at nè à te dimittas; incertum enim est vtra pars perscindetur, ea nè quæ secat, an quæ secatur: Fons aquæ, ait ille, sit tibi proprius, & pullus gratiarum tuarum, & ceruus amicitiæ tuæ consuetudinem vitæ tecum habeat. Nota, vxores excusationis causa aiunt fuco se illini, vt viro placeant. imò ostendat vir id sibi displicere. pulchrè autem coniugiū limpidissimo fonti comparat, vt scilicèt purissimè seruetur; item ceruo, hinnulisq; ceruorum ob sobolem, propter quam est institutum. Est autem hoc animal veneno contrarium, & serpenti, quod indicat in matrimonio nullum odij, & discordiæ venenum inesse debere, quod lædat. vulgata habet: *Cerua charissima, & gratissimus hinnulus*. quod Ioseph, & Deiparæ coniugio pulcherrimè aptari potest. vt dicamus ad Ioseph, cum eā cōcepisse animaduertens: *voluit occulte dimittere eam*. his, inquam, verbis vtentes: *Nè dimittas eam fons aquæ tibi sit proprius, & pullus gratiarum tuarum, & cerua amicitiæ tuæ cō suetudinem vitæ tecum habeat*: Iesus scilicèt in vtero conceptus, seù recens natus quid nisi *pullus gratiarum est*? vt est in Cant. *Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloq; ceruorum*. Vis Deiparam quasi ceruam velocem super montes videre? *Abijt in montana cum festinatione*. Adde illud, quod subiungitur, & habet vulgata: *Vbera eius inebrient te*. Scitum est de eo, qui ab infancia in silua expositus, & ceruæ lacte pastus velocissimus euasit, saltu, cursuquè mōtes superans. si igitur huius ceruæ vberibus inhiantes lacte alamur, ad perfectionis montem ocyus contendemus.

Coniugium bonis immundus, & cōiux est cerua gratissima, & sobores pulli gratiarum.

Prou. 5.

Luc. 1.

8 Exponit illud: *Si ità est ratio cum vxore, non expedit nubere. An prius id nesciebas, cum viduitates, & orbitates videres, & prænaturas mortes, & funera thalamos excipientia, & sterilitates, & infelices liberorum procreationes, & imperfectos partus, atq; omnem huiusmodi esse comœdiam, siuè tragœdiam? vtrumq; enim aptissimè dici potest*. Rectè, ac pulchrè: comica, inquit, res est nubere, quia risu dignus est totus ille mundus mulicbris, & choreæ, & gaudium mox euanescens. an non etiam tragica res coniugium? vbi dolor in conceptu, abortus, labor in liberis educādis, qui interdum inobsequentes euadunt, & improbi, præter cætera, quæ commemorauit. ità res humanas Democritus risu prosequebatur, Heraclitus fletu.

Coniugium partim comœdia, partim tragœdia est.

9 Docet, in quo sit matrimonium laudandum: *Honorabile connubium, & torus immaculatus, sed moderatis expedit: est enim matrimonium prolis, & successionis cupiditas. sic bonum est, plures enim introducit, qui Deo placent. at cum carnis molem inflammat, vitijque quasi via est, tunc non expedit*. Pulchrè, & notabiliter quid sit in matrimonio spectandum, dicit, vt scilicet per prolem, Dei populus augeatur, vt plures sint, qui Deum glorificent. addit præclarum alium finem, nempè vt virginitas, quę Deo gratissima est, ampliùs efflorescat, virgines enim nascimur. Quāobrem sic hortatur: *Facite vt & virgines, & vxores vnum sitis in domino, mutuumq; aliæ aliarum ornamentum. nisi matrimonium esset, vndè in hanc vitam virgo prodiret? non esset honorificum matrimonium; nisi virginem proferret tùm Deo, tùm vitæ*. Itaq; si natura ferret, vt proles nasceretur grauida, sicut murem repertum narrat Aristoteles; non esset ex hoc capite laudabile matrimonium. est certè hoc notabile dictum. Vide vndè dignitas, & decus redundet in matrimonium: ex virginitate scilicèt adeò non modò in se decus habet, sed transfert. quò etiam discunt virgines non contemnere coniugatos: intuere Deiparam tunc maximè, cum virginitas diu no conceptu consecrata est, inuisentem Elisabeth cognatam prægnantem grauidam, & ei ministrantem.

Matrimonium ideò laudabile, quia virgines gignit.

10 Virginitatem matrimonio præfert: *Quæ sub iugo est, aliqua ex parte Christi est; quæ autem virgo, tota Christi. quod enim coniugatæ est pars, id virgini totum est*. Cogita quantò maius bonum sit totū esse Christi, quam esse Mundo diuisum.

Virginitas præfertur matrimonio.

11 Virginitatis decus ostendit: *Omnis gloria filiæ regis ab intus, circūdata varietate, gracè est πεποικιλμένη, variegata, siuè actionibus, siuè etiam speculationibus*. Nota, in quo posita sit hæc varietas ornamē torum, vt scilicèt tùm contemplatione, tùm variarum virtutum exercitationibus quasi variè colorata, & acu picta veste Christi virgo induatur.

Virginis decus contemplari, & bene operari.

12 Angelicum virginitatis statum amplificat egregiè, sic virginem compellans, & monens: *Angelorum politiam elegisti, in eorum ordinem te aggregasti, qui neque nubunt; nè in terram deijciaris: oculus lasciuus virginitatem minimè seruat, lingua impudica diabolo miscetur. virginitatem & animus colat, nè vagetur, nè aberret, nàm libidinis pars est impressa in animo forma*. Præclarum monitum de custodia sensuū, præsertim oculorum, & linguæ; ac vide quid sit aspectus non pudicus, penè incępta iam fornicatio.

Virginitas Angelorum politia est

Custodia sensuum virgini necessaria.

13 Pergit ostendere quàm eximia res sit virginitas: *Non omnes, inquit, capiunt verbum istud. Videte rei sublimitatem virginitas propemodum talis reperitur, vt nè concipi quidem, & comprehendi queat*. Præclara laus: nàm hoc propriè Deo cōpetit, vt sit incomprehensibilis. Tùm pulchrè subiungit: *An non Angelicum est in*

carne, modo ei consentaneo, non viuere, sed natura ipsa excelsiorem esse. caro eũ Mundo deuinxit, sed ratio ad Deum subuexit. caro repressit, sed ratio extulit; eique velut pennas addidit. caro vinculis adstrinxit, sed amor soluit. Elegans antithesis. virgo in carne fit carne superior; amor proprius ligat, amor diuinus soluit, liberam faciens. Pulchrè item pēnata virginitas dicitur, ad æterna se eleuans, atq; auis est illa Dauidica: *Penna colũba deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* siuè viriditate, vt alij legunt, ob certiorem spem beatitatis consecuturæ.

Virginitas pennata est & natura excelsior

14 Virginem ipsam alloquitur, ac monet officij: *O virgo, ad Deum intenta esto, nec quicquam tibi ex rebus omnibus pulchrum videatur; non generis splendor, non opes, non pulchritudo, temporis, & morbi ludibrium. si vim totam amoris in Deum effuderis.* græcè est παίγνιον, hoc est puerilis ludus: adeò forma, temporis, & morbi, quasi pila puerorum, in terram proijcitur, iactatur, &c. ideò nihil virgini pulchrum videtur præter Deum. Addit itē pulchrè: *An electa illa sagitta vsq; adeò sauciata es, sponsiq; pulchritudinem cognouisti, vt illud quoq; sponsalis dramatis, & cantici dicere queas. Dulcedo es & totius desiderabilis?* hoc ad Teresiam virginem egregiè pertinet, quæ amoris sagitta ab Angelo icta, sponsi Christi amore elanguens obijt.

Virgini nihil pulchrũ videtur præter Deũ

Virgo salubri amoris sagitta saucia.

Cant. 5.

15 Diuini amoris vi, naturæ obstacula vinci ostendit eleganti similitudine: *Videtis aquarum profluuia plumbeis canalibus inclusa, quæ quia multum comprimuntur, atq; ad vnum feruntur, adeò plerumq; ab aquæ natura excedunt, vt quod retrò impellitur, rursum semper tendat: consimili modo si amorem strinxeris, totaq; Deo coniuncta fueris, sursum tendens, nō humi prolaberis, atq; diffluens: tota eris Christi.* Nēpè aquæ proprium est descendere, tamen vi spiritus per tubos, & euripos, vbi constricta includitur, sursum extruditur. non itaquè amor diffundendus est per creaturas, sed constringendus, vt in solum Deum feratur.

Amor non fusus per creaturas, sic in Deũ tendit vt aqua per tubos.

16 Addit virgini præclara monita: *Inaccessibilem te ipsam custodi, & vita, & cogitatione, & motu. vndequaq; enim te prauus ille perscrutatur, & explorat vbi feriat, vbi vulneret, nunquid nudũ, et apertum inueniat, plagaq; obuium: quò puriorē cernit, eò enixius maculare, & inquinare contendit: splēdidæ enim vestis manifestiores sunt sordes.* Egregiè ait, virginem inaccessibilem esse debere. quò refero illud psalmi: *Dabis decori meo virtutem.* legunt alij: *montis meo*; decor enim, & pulchritudo quasi mons arduus, inaccessibilis esse debet; & vt ille à natura munitus, ità virginitas à gratia. scito, hostem vaferrimum indagare vndè sibi aditus fiat: vox enim græca, & inuiam significat, & inaccessam; quamobrem item rectè monet: *Nec oculus oculum trahat, nec risus risum, nec familiaritas noctem, nec nox exitium, & interitum.* Note de modestia virginis; & vt gradatim ex leuibus ad grauia deueniatur. Subiungit: *Paulatim attrahitur, ac tāquā surripitur: tametsi in præsens damnum non sentiatur, tamen in vitij summam occurrit.* Est autem illud in primis præclarè dictum obseruandum: *Splendidæ enim vestis manifestiores sunt sordes.* multò enim magis in virgine, & religioso defectus indignitas apparet, quā in sæculari: est enim tanquàm phrygionica vestis, auro, sericoquè contexta. Cornelia Gracchorum mater, cum aliæ matronæ ostentarent ipsi texta, quæ pulchrè elaborauerant, expectauit donec filij à se probè instituti redirent domum: Hæc, inquit, sunt quæ contexui ad ornatum: similitèr de iustis ad Ecclesiam dicitur per Esaiam: *Viuo ego, dicit Dominus, quia his omnibus velut ornamento vestieris, & circundabis eos tibi quasi sponsa.* quæ verba ad quamlibet etiam religiosorum familiam referri possunt.

Virgo inaccessibilis ãt alijs.

Psalm. 29.

Modestia in virgine necessaria

Diabolus ex leuibus gradum facit ad grauia.

Vitium magis se prodit in virgine, vel religioso; labes in splendida veste.

Esa. 49

17 Gratię necessitatem ostendit, & exponit illud Apostol.: *Non est volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei. Quia ob rectè facta quidam efferuntur, docet, quod ipsum rectè velle diuino auxilio indigeat. imò, vt rectius loquar, voluntas quoq; ipsa, & electio eorum, quæ sunt, diuinum quoddam donum est, atq; à Dei benignitate. Non volẽtis, inquit, id est non solùm volentis, nec currentis solùm, sed miserentis Dei: ità quoniã velle quoq; ipsum à Deo est, optimo iure totum Deo irrogauit; quantumlibet curras, quantumlibet certes, opus habes eo, qui dat coronam.* Notabilis interpretatio illorum verborum: *Non est volentis, neq; currentis*; non quod non requiratur voluntas, & studium, sed quod hoc solùm sine gratia vanum sit, quæ perducat ad brauium. Vide autem quantum gratiæ deferendum sit: *Quia enim velle quoque à Deo est, optimo iure totum Deo irrogauit.*

Gratiæ Dei quantum deferẽdum sit.

18 Ad prædestinationem hoc pertinet, quod liberum nō impedit arbitrium; soluit autem sic obiecta: *Sedere autem, inquit, à dextris, vel à sinistris, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo. Nihil igitur labor iuuat, ieiunia, lacryma, sed sorte quadã, & lege fatali Hieremias sanctificatur in vtero, & alij reijciuntur? vereor nè absurda illa cogitatio obrepat, quod anima alibi versata sit, ac prout illa se gesserit, hoc accipiat. ideò & quibus datum est, adiunge, qui digni sunt; quiq; vt tales sint non modò à patre acceperunt, sed sibi ipsi etiam dederunt.* Rectè ostendit, vt nulla fatali lege coacti simus,

Prædestinatio non tollit libertatem arbitrij.

sed

ſed liberi, etiam ſi Deus cõſtituerit de nobis, præuideritq; quid ſimus acturi.

19 De Trinitate in baptiſmo nuncupata, ſic pulchrè. Si Spiritus ſanctus creatura eſſet, incaſſùm baptizatus eſſes: *Pinge Trinitatem margaritam quandam eſſe, vndiq; ſibi ſimilem, & æque fulgentem: quæcunq; margaritæ pars læſa fuerit, tota eius gratia obſcuratur: ità cum filium contemnis, vt patrem honore afficias, tuum honorem non admittit; ad contemptum filij pater haudquaquàm glorificabitur. dimidiatam iſtam pietatem improbo, totum te pium eſſe volo.* Elegans cum margarita comparatio Trinitatis, & rectè vnio dicitur. ſit cor inſtar conchæ, vbi per fidem quaſi gignatur, & aperta oris confeſſione promatur.

Trinitas margaritæ cõparatur

20 Triplex genus Eunuchorum in Euangelio ſic interpretatur: *Alij naturæ indole ad virtutem tendunt, hoc eſt naturæ facilitate, & animi quoq; voluntate: alij à Doctoribus varijs exercentur: alij ratione ipſa. ſi tibi rationem inſitam mouẽs, ac virtutis igniculum per arbitrij libertatem exuſcitans, teipſum exacuiſti, vitij inſtrumenta depuliſti; tantum virtutis habitum comparaſti, vt iàm ad vitium ferri propemodum nequeas.* Vide quantam vim habeat exercitatio virtutis. pulchrè autem oſtendit quid libera voluntas agere debeat in nobis, ſcilicet. *ſuſcitare virtutis igniculum.* hoc eſt nobis inſitam rationem mouendo. in Sanctis certè igniculus ille Spiritus ſancti afflatu ingentem exardeſcit in flammam. Addit de Eunuchis ſic natis: *Bonum, quod à natura proficiſcitur, laudem non meretur, ſed quod à libera voluntate, & inſtituto. hoc da, vt corporis mole preſſus in altũ pẽnatus euadas; vt humilis creatus, cæleſtis inueniare.* præclarè dictum. Vide vt naturæ quaſi pennas addat virtutis exercitatio, quæ alioquin iaceret, & humi reperet.

Exercitatio exacuit, & exuſcitat virtutis igniculum.

Ex Oratione XXXI. De perſecutione.

1 ADuerſarium ſic vrget: *Tu parietes, ac tabulas arctè tenes; auro fulges; ignoras præſtantiorem eſſe fidem ſub diu degentem, quàm copioſam, & magnificam impietatem.* Vide quantum ſit fidei pretium, quantus ſplendor: quantũuis pauper videatur, omni Dynaſta iuſtus ſit diuior.

Ingens fidei pretium, vel in paupere.

2 Solatur ſuos præſidio Angelorum in Eccleſia, ac Ciuitate. Sic igitur egregiè, ac pulchrè: *Audire Dominum videbar loquentem ad populum. Introite per portas meas, & dilatamini. tum etiam ad Angelos, quibus huius vrbis cura commiſſa eſt; nec enim mihi dubium eſt, quin alij aliarum Eccleſiarum præſides ſint. Sternite viam populo meo, lapideſq; è via proijcite, nè quod offendiculum, aut impedimentum exiſtat, quod diuinum populi mei iter, atq; ingreſſũ remoretur, nunc quidem ad manufacta templa, poſt autem ad ſupernam Hieruſalem; quo in numero vos quoq; eſtis populus eximius. fluuius integer à gutta, à ſcintilla flamma ſublimis, & in Cœlum tendens, à ſinapis grano arbor.* Elegans ſanè apoſtrophe ad Angelos Ciuitatum protectores, & ad ciues ipſos. Vides Angelos cuique Ciuitati, ac Regno præſidere, præter cuſtodes ſingulorum. Vides ab his nos deduci ad templa in hac vita, & poſteà in Cœlum ſummi Dei primarium templum. quid hoc comitatu nobilius, & gratius? egregiè autem poteſt hoc referri, & multò magis ad eos, qui religionem ingrediuntur; Angeli enim amouent impedimenta ſæculi, vt opum cupiditatem, parẽtum obſtacula, &c. atq; ipſis dicitur: *Sternite viam populo meo, nè quod offendiculũ, aut impedimẽtum iter diuinũ, atq; ingreſſũ remoretur:* ad religionẽ ſcilicèt. Certè in egreſſu de Aegypto, qui typus eſt ſæculi, & itinere ad terram promiſſionis Angeli ſtrauerunt iter in mari rubro; imò *apparuit campus germinans.* legimus nonnullos apertè Angelis apparentibus, & hortantibus religionem ingreſſos. ad religioſos verò ipſos pulcherrimè pertinẽt hæc verba: *Vos eſtis populus eximius, fluuius integer à gutta, à ſcintilla flamma ſublimis, & in Cœlum tendens, à ſinapis grano arbor.* Primum pertinet ad excellentiam eius ſtatus, alterum ad integritatẽ, & quaſi limpidi amnis puritatem; reliqua ad feruorem ſpiritus. cæterùm nota illud de Angelis Ciuitatum patronis, græcè eſſe προστάτας quod ſignificat præfecturam gerere, itemq; tutelarem eſſe, & patrociniũ exercere. vndè προστατήριος dicebatur Apollo, qui antè fores ſtatuebatur ceù patronus, cuius ſtatuam ante ædes collocabatur. indicat autem Gregorius, paucos in ea vrbe Catholicos fuiſſe, deindè Angelorum præſidio in multos creuiſſe.

Apoc. 2.

Ciuiũ virtus debetur Angelorũ curæ.

Religioſorum fœlicitas eſt protectio Angelorum.

Angeli præſides Ciuitatum.

3 Elegans eſt Conſtantinopolis elogiũ: *Si Ciuitatem hanc Orbis oculum, terra, mariq; potentiſſimam, Orientis, & Occidentis veluti nodum, & vinculum, quo extremi totius terræ fines concurrunt, & vndè velut à communi fidei emporio incipiunt, fulſiſſe, ac firmaſſe doctrina pulchrum eſt: aliquam ipſi quoq; partem, liceat mihi nonnihil hoc nomine gloriari, contulimus. circumfer oculos quiſquis doctrinæ noſtræ cenſurã facis. vide textam hanc gloriæ coronam, vide presbyterorum concilium canitie, et prudentia ornatum, Diaconorum modeſtiam, Lectorum concinnitatem, populi diſcendi ſtudium; idq; vel in præfectis, vel in ſubditis,*

Conſtantinopolis egregia laus ex Gregorij inſtitutione.

tis, vel in nobilibus, vel in litteratis, &c. Notabilis, & egregius locus, quo ostenditur, vbi posita sit præstans Ciuitatis laus. & vide quantus fructus redundarit ex doctrina Gregorij in omne genus, ac statũ, tùm Ecclesiasticum, tùm sæcularem. hæc est Prælati vera gloria, ità excoluisse Ciuitatẽ. Sed occupãte nũc Constantinopolim Turca, nõ possum quin cum lacrymis adhibeam illud summi poetæ: Tàm culta nouaha miles habebit? barbarus has segetes? porrò, quæ laudes de illa dicuntur, eæ ferè omnes ad Romam pertinent: *Commune fides emporium*: quæ vrbs vrbium nunc Alexandri VII. hierarchæ opera, & splendore, & pietate in Ecclesiasticis inprimis viget: *Vide textam banc gloriæ coronam; vide presbyterorum modestiam, cõtinnitatẽ, &c.* addo, quod habet eminẽtiam quandam, etiam purpuratorum.

Romanę vrbis encomium

4 Pergit ostendere fructum ex sua doctrina, præsertim in hæresi profliganda: *Videtis eos, qui diuinitati bellũ indixerunt, nihil iàm molestiæ facessentes. id quoq; Spiritus, id quoq; agriculturæ nostræ est. non enim imperiũ docemus, nec aduersarios contumelijs, & conuicijs incessimus, vt quidam, nec cum sermone, sed cum loquente pugnãtes, & argumentorum infirmitatem maledictis interdum obtegentes; vt sepiæ atramentum ante se euomere aiunt, vt possint effugere, nos pro Christo bellum gerere sic ostendimus, qui mitis est, & pacatus est.* Vide quomodò vitia, & hęreses impugnãda sint; non tàm persona, quàm eius verba, & doctrina praua arguenda est, & exagitanda. quod optimè seruauit Bellarminus noster in controuersijs. eleganti autẽ similitudine sæpiæ ostendit, quosdam, cum videant infirmas se habere rationes in argumentando, vti conuicijs, & maledictis, sicut sepia, nè capiatur, offundit atramentum. Demùm ait, se quicquid docuit, gratis docuisse: *Virtutem mercedis expertem esse oportet, vt virtus maneat, nihil sibi præter bonum ipsum proponens.* Id Ignatius noster egregiè præcepit, vt quod gratis accepimus, gratis demus, nulla prorsùs mercede humana laborum.

Fructus ciuitatis ex institutione Gregorij.

Iudicandum non contumelijs, sed rationibus agendum.

Gratis docendum sine spe mercedis.

5 Ecclesiasticorum tria genera distinguit eleganti similitudine: *Sicut aquæ subterraneæ partim in imo prorsùs occultantur, partim in angustias redactæ ebulliunt, atq; eruptionem iàm iàm pollicentur, partim denique in altum erumpunt: ità qui de Deo philosophantur, alij abditam, atque occultam omninò pietatem sibi habent. alij verò thesaurum in medium proferunt, pietatis fœtum parturientium instar retinere nequeunt. nec quod sibi ipsi salutem consequantur, salutem existimantes, nisi in alios quoq; bonum hoc redundet, quo in numero vtinam ipse collocer.* Præclarum votum, quod sanè, præter cęteros aliquarum religionũ Patriarchas, etiam nostri Ignatij fuit, vt in aliorum salutem opem impẽderemus. vbi nota pulchrè tres illos gradus in Societate Iesu inueniri; nàm Nouitij *abditam, atq; occultam animi pietatem sibi habent.* Scholastici, quos collegiales vocamus, *quasi à partus doloribus non longè absunt.* laborãt in eo, quod edituri breui sunt; cæteri verò prouectiores, vt professi, *thesaurum in medium proferunt, pietatis fœtum, parturientium instar, retinere nequeunt, &c.*

Aliud vitæ præclarum institutum.

In Societate Iesu tres status perfectionis.

6 Veram de Trinitate doctrinam theologicè profert: *Nec per vnum, Sabellij more, tria conuellentes; nec per tria Arij instar vnum oppugnantes; neq; enim malum malo permutandum est: nàm profectò diaboli ludi hæc sunt.* græcè παίγνια, idest puerilis ludus. Vide vt diabolus illudat, malum opponens malo, & extrema diligens. quamobrem rectè monet: *Nos verò media, & regia via incedentes, credimus tria quantũ ad hypostases, siue personas, vt nonnulli malunt πρόσωπα: desinant enim, qui de his inter se contendunt, ineptire; perinde ac fidei nostræ pietas in nominibus, non in rebus consistat.* Rectè arguit. huc spectat illud Demosthenis, cui de rebus serijs loquenti cũ ab Aeschine obiecta esset dictio quædam minus græca; respondit, non in eo verbo positas esse fortunas Gręciæ. est tamen in rebus fidei cautio etiam in verbis summa adhibenda; nàm per vnius literulæ variationem, vt ait Hieronymus, Orbis terræ Arianum se esse ingemuit.

De Trinitate quid sentiendũ sit.

7 Hæreticorum arrogantiam sic abominatur: *Moabitis, & Ammonitis aditus ad Ecclesiam Dei non patet, hoc est dialecticis, & malè curiosis sermonibus, qui Dei generationem, & processionem inexplicabilẽ inquirentes, temerè aduersus diuinitatem insurgunt.* Vide, quæ de vtraq; gente habentur in Num. & Deut.

Cap. 13. & 23.

8 Episcopatu se exonerari petit: *Laborum præmium mihi date. quod tandem? non quod alius suspicetur, sed quod mihi tutò postulare licet. diuturnis laboribus me leuate. moueat hæc canities; alium subrogate, qui pro vobis vexetur, qui puris sit manibus, qui voce vos erudiat, qui curas Ecclesiæ perferre possit. quid vobis timido, & ignauo sene opus est?* Mira humilitas de abdicatione sacri magistratus: se *ignauum senem* appellat. Tùm vide, quæ sint partes, & munera veri Præsulis, & admirare potiùs hęc in tàm eximio Doctore.

Gregorij humilitas in renunciando Episcopatu

Episcopi partes quæ sint.

9 Cur Episcopatum deponere velit, ostendit; ob discordias scilicet, & prauos mores: *Quomodò feram hoc bellum? Oriens, & Occidens diuisi sunt, vt non iàm minus voluntatum, quàm finium discrimina esse videantur. non fero Circos vestros, & thea-*

tro

tro contraria loqui non erubescimus, nec nobis constamus. atque Euripos esse nunc exundantes, nunc reciproco fluctu assistentes. Eleganter indicat subditorum inconstantiam in recte dictis, & factis, sicut variæ sunt Euripi reciprocationes. Sequitur: *Non mihi cum vulgo conuenit. quæ alijs voluptatem gignunt, mihi molesta sunt; vt non mirum sit, si alicui desipere videar, vt ethnico cuidam philosopho accidit, cui prudentia vitio vertebatur, quod omnia irrideret, quæ risu digna videret.* Democritum intelligit. Vide quantum negotij facessat Prælato subditorũ improbitas. huc spectãt sequentia.

Subditorũ improbitas difficile facit regimẽ Prælati.

10 Ostendit humilitatem, paupertatẽ, & similia mundanis insaniam videri: *Exprobrant, quod nec mensa lauta, & opipara; nec magnifica veste vtimur, nec splendidè in publicum prodimus, nec eos, à quibus conuenimur, grauitatem, & fastum adhibemus. nesciebam scilicet nobis cum Consulibus, & Præfectis, qui tot opibus, copijsq; circumfluunt, æmulationem, & certamen esse, vt & nos pauperum bonis ad luxum abuteremur, & cum fastu, & pompa deduci, atque omnes nobis perindè, ac belluis de via decedere.* Ironicè loquitur. Sciebam, inquit, hæc mũdanorum esse propria. & pulchrè irridet fastum, quo magistratus per lictores, & satellites populum à se remoueri iubet; nàm etiam immanes belluæ hoc habent, vt nemo accedere audeat propius. itaq; præclarè concludit: *Mihi solitudinẽ, & rusticitatem date, Deumq; cui soli per tenuem victum, & cultum placebo.*

Gregorium mundani arguebant, quod Episcopus fine fastu esset.

11 Respondet obiectis: *At graue est concionibus, & publicis cõuentibus, & plausibus his, quibus quasi pennis in sublime ferimur, & subleuamur, & Vrbis pulchritudine priuari, &c. at minus hoc graue est, quã in tumultu versari, & ad vulgi mores inflecti: non enim iàm Sacerdotes, sed rhetores quærunt.* Rectè ait, præponderare quietem animi omnibus, vel honoribus, vel commodis. quod ad eos maximè pertinet, qui in sæculo splendidè viuere possent, sed quietis causa religionis statum eligũt, cuiusmodi Borgias noster fuit Cãdiæ Dux, quem alij item è regia stirpe sunt imitati. Et nota, cur solitudinem eligeret Gregorius, quia videbat paruum fructum se facere, cum homines non tàm solida doctrina, quàm rhetorico artificio in dicendo delectarentur; quod vtinam non & nostra ætate contingeret: *Non enim iàm concionatores, sed rhetores quærunt.* itaq; tanquàm inutilis sit ad pugnandum cum vitijs, pulchrè ait: *Hoc mihi sit dimicationis præmium, missionis libellum mihi date, quẽadmodùm Imperatores militibus solent.* Vides Prælati, & Sacerdotis, hoc est Apostolici viri munus castrẽsi esse simillimũ. propositum.n. ei est hostili odio vitia persequi

Quies solitudinis præponderat omnibus sæculi commodis.

Auditores eloquentiã potius, quã fructũ quærentes taxantur.

Episcopi munus quasi castrense.

12 Quasi iã depositurus Episcopi munus, & abiturus, elegantèr admodùm, ac piè vltimum vale dicit Ecclesiæ suæ: *Ego vobis his verbis extremis compellabo. Vale Anastasia, nomen à pietate habens; tu enim in nobis fidei doctrinam excitasti; vale, inquam, communis victoriæ sedes, noua Silo, in qua primùm arcam fiximus in deserto vagantem. tuq; magnum hoc templum, & nobile, noua hæreditas quoad magnitudinẽ ab orthodoxa doctrina suscepisti.* Anastasiã vocat, nàm ἀνάστασις resurrectio est. hic erat principis templi titulus. Sequitur: *Vosque etiam aliæ ædes sacræ huic dignitati proximæ, aliæ aliam vrbis partem circumplectentes quasi vincula, seu nodi quidam, atq; compages.* græcè σύνδεσμοι, nodi simul colligati. pulchrè indicat templa, quæ circumdant vrbem, esse tanquàm auream catenã, & quasi vincula, nodosq; quibus fit, nè vrbs dissoluta prauis moribus sit, vel Dei vindicta vitijs irati destruatur.

Gregorij abscedẽtis, ac valedicentis suæ Ecclesiæ oratio.

Tẽpla vrbẽ cingentia instar aureæ catenæ ac nodi.

13 Tùm ad Apostolos conuersus sic: *Valete Apostoli, præclara colonia certaminis vestri magistri. etsi minus sæpè festa vestra celebraui, fortasse Pauli vestri Satanam ad vtilitatem meam in corpore circumferens, ob quem è vobis abscedo.* Mira prorsùs humilitas: tribuit paruæ suæ in Apostolos pietati meritum exilium, quod sibi indicit. Addit: *Vale cathedra, inuidiosum hoc, & periculosum fastigium.* Notabile dictũ de Episcopali sede, quæ & aliorum ambitioni, & maledictis, & alijs incommodis subiacet; & quod maximum est, periculo salutis.

Apostolorum præsertim festa celebranda.

Episcopatus inuidiosum, & periculosũ fastigium.

14 Deniq; sic item elegantèr: *Valete Nazaræorum chori, psalmodiarum harmoniæ, nocturnæ stationes, &c. valete domus, hospitales, &c. vale Oriens, & Occidens, pro quibus, & à quibus oppugnamur. præter omnia, & ante omnia, clamabo: valete Angeli huius Ecclesiæ præsides.* Vide quanti faciat religiosos viros, quos Nazaræos appellat, à quibus se abstrahi dicit; ac præcipuè nota, qua pietate esset affectus in tutelares ciuitatis Angelos. Xauerium quoq; legimus, cum primùm regionẽ aliquam intrabat, solitum se commendare illius patronis Angelis. sicut & de Angelo Persarum habes apud Danielem.

Gregorius quanti faceret religiosos.

Gregorij pietas in Angelos tutelares ciuitatis.

Ex Oratione XXXII. De Theologia.

1 ARguit eos, qui erant ex Eunomij disciplina; quod eos, qui cum ipsis disputabant, sophismatis implicarent: *Vnum hoc spectant quid vel implicando ligẽt, vel dissoluant, quod ipsis obijcitur; prorsùs illorum more, qui in theatris luctantur,*

&

& ea non vsurpant. quæ legibus athletarū ad adipiscendam de aduersario victoriam præscripta continentur. sed qui deceptos imperitorum oculos in stuporē rapiant. Athletas legitimè certare oportebat; præscriptus erat enim certandi modus: ità in disputando proponamus ante oculos agonothetā Deū. &c. Porrò sicut circulatores fucū faciūt, vt alitèr res appareat, quā verè sit, delusoria quadā arte, & fallaciæ plena; ità sophistæ, præsertim hæretici.

Hæretici athletę exleges sunt, & circulatores fallaces.

2 Proindè ait ad diuina discutienda non temerè accedendū: *Non cuiusuis est doctrinæ de Deo pertractare. non adeò res vilis est, & quæ in quemlibet humi repentem cadat. imò nec semper, nec omnibus, nec omnia; sed spectandum est quando, & ad quos, & quantum: non est enim omnium, sed exercitatorum, & qui in contemplatione penetrando progressi sint, & purgati: nā hominem non purum tractare quod purum est, non fuerit tutum. sicut debiles oculos in radios Solis conuerti, periculo non caret. quando autem, tunc nimirùm, cum ab externis sordibus, ac perturbatione liberi sumus, neq; vis animi princeps per erroris plena simulacra confunditur; sicut vsu ventre videmus fœdis literis eleganti scriptura, vel cœno fragrantibus vnguento immixto. ad eos autem de diuinis rebus agendum, quibus res cordi est, & qui eam non nugatoriæ voluptatis gratia post ludos equestres, post theatra, post cantiores, &c. tractant.* Pulchrè, ac seriò monet de circumstantijs in disputatione diuinarum rerum. primò vt qui hoc agit, exercitus in illis contemplādis sit, & puritate præstet. quis hæc in Thoma Aquinate non agnoscit? secundò tempus quoque idoneum requirit, cum mens phantasmatum, & perturbationum tumultu caret; alioquin idem erit, ac si paginæ eleganti charactere scriptæ, vel aureis notis, malus scriptor interserat suas; vel si cœno vnguētum misceas; rectè enim vnguenti fragrantiæ comparat disputationem de Deo. tertiò requiritur auditoris addiscentis animus omninò intentus, nè curiositatis tantùm, & tempus variè transmittēdi causa accedat post spectacula theatrica, &c.

Non temerè de diuinis disputādum, sed obseruatis circumstātijs temporis, personarū, etc.

3 Quod de Deo, nec cuiuis, nec semper tractare dixit, intelligendum ait de contentiosa disputatione. Cæterùm *non tam sæpè spiritum ducere, quàm Dei meminisse debemus, ac si fieri potest nihil præter hoc nobis agendū.* Præclara vox. quò refero illud Ieremiæ: *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, sub vmbra illius viuemus.* in Hebræo est, respiratio oris nostri Christus Dominus; & ideò oris spiritus, seù respiratio, quia pro nobis expirauit, seù emisit spiritum; & quia vita continetur respiratione, aptè subiungitur: *viuemus.*

Magis necessaria est Dei memoria, quā respiratio

Thr. 3.

4 Diuina profanis auribus impendi vetat. nàm *Ethnici ipsi cruorem potiùs sui, quàm sermones quosdam arcanos non initiatis ijsdem sacris impertirent.* Huc etiam refero, quod Hebræi in Babylone apud hostes extraneos diuina concinere recusarint. de se autem sic ait: *Decorem quendā in verbo teneamus, cum Verbum colamus.* elegantèr ludit, & in eadem voce tùm latina, tùm græca; quia enim diuini Verbi adoratores sumus, par est, vt verbis non vtamur nisi diuinis, colloquēdo s. de Deo.

Sermo de Deo proprius Christiani.

5 Eos arguit, qui de diuinis insolentiùs disputant, & clamosiùs, quàm sanctius, & religiosius: *Cur manibus vinctis linguam armamus? non corpus ieiunijs premimus, nō per preces ad Deum peregrinamur; non irā increscentem, non arrogantiam domamus, &c.* Vide quid in Theologo requirat, præter scientiam, bonas operationes, vt ieiunia, preces, mortificationem passionum: habes hæc in Thoma, habes in Bonauentura, & similibus.

Clamosa disputatio de rebus theologicis sine bona operatione inutilis.

6 Arrogantiam carpit Eunomij, qui in disputationem admittebat sciolos quosdam: *Quid vnius diei Theologos creas? eruditionemq; eis velut inspiras, & multa imperitè Doctorum conciliabula facis?* Rectè ait, Theologum fieri, non esse opus parui tēporis, sed longi laboris. Tū pulchrè, & acutè monet, vt si linguam contentiosè lubricam frenare non potest, prius disputet contra nugas veterum philosophorū: *Pythagoræ silentiū, & fabulosas illas Orphicas insectare; recentemq; illorum verborū arrogantiam, Ipse dixit. Platonis Ideas impete, animorum migrationes, circuitiones, ac reminiscentias, ac deniq. non pulchros amores per pulchra corpora in animum subeuntes; Epicuri impium numinis contemptum, atq; atomos, & voluptatem philosopho indignam. exagita Aristotelis præparcam, & angustis finibus circumscriptam prouidentiam, & mortales de animis sermones.* Item de erroribus in alijs sectis. acutè illud; si adeò natura loquax es, argue potiùs Pythagoræ silentium, quàm nostrorum de Deo sermonē. eiusdem fabulosum, seù superstitiosum edictum ab Orpheo acceptū irridet. Sic concludit: *Cum Deo in hac vita parcius, aliquantò post autē fortasse pleniùs cōmercijs habebimus.* quia, vt supradixit, spectādæ nūc sūt circūstātiæ personarū, temporis, &c. cūr loquimur theologicè.

Non cuiuslibet est disputare de diuinis

Prius disputandum cōtra gentiles philosophos, quam de rebus sacris.

Ex Oratione XXXIII. De Theologia.

1 RVrsus monet, non temerè de diuinis disputandum: *Theologum quā ma-*

maximè purum esse necesse est, vt luce lumen percipiat, & apud studiosos auditores dicere, & cum ab externarum reru iactatione tranquillum animum habuerimus, nè quod singultientibus accidere solet, spiritus nobis interrumpatur. Vide quæ necessaria sint Theologo tàm ex persona sua, quàm ex persona auditorum: præsertim tranquillitas animæ, nam perturbatio singultus quidam est, qui ferè ex magno dolore, & gemitu fit; & vt istæ respirationem, sic illa spiritum diuinum impedit.

2 Aggressurus de diuinis dicere, Trinitatis personas piè inuocat: *Pater propensa in nos voluntate sit, & filius adiutricem manum porrigat, & Spiritus sanctus vim suam afflet: vel vt rectiùs loquar, vnus ab vna, eademq; diuinitate ortus fulgor nos illustret, coniunctim distinctus, ac distinctim coniunctus, rem admirandam.* Pulchrè itē grecè ὁ τὸ παράδοξον; paradoxum vocat mysterium Trinitatis, quia præter imperitorum opinionem, sed verissimum. sic paradoxum illud à Stoicis vocatur: Quod omnis sapiens diues, &c. & nota Patri propensum in nos amorem tribuit; græcè est εὐδοκεῖν, quod est benè ergà aliquem affici, benè ei cupere, eoq; oblectari. Filio autē συνέργειν, hoc est cooperari, Spiritui.s. afflatū. est aūt hæc Trinitatis inuocatio Theologo in primis disputanti peragenda.

In disputatione Theologica quid seruandum

Inuocanda Trinitas in dispu ando

3 Elegātèr admodùm de diuinis acturus, amouet à se profanos, hoc est hæreticos, &c. *Mihi porrò in montem ascendenti, vel vt veriùs dicam, ascendere proponenti simul, ac trepidi anti illud propter spem, hoc est propter imbecillitatem, vt nubem penetrem, & cum Deo commercium habeā; si quis Aaron est, comitem se ascensus prabeat; sed extra nubem tamen manere contentus sit. si quis ex ordine seniorum, ascendat, sed procul insistat si quis è vulgo, modò purgatus, infrà subsistat, ac solam vocem, & buccinam audiat, pietatis verba percipiat; montem fumo circumfusum, & coruscantem cernat, terrore simul, & admiratione perculsus. quod si mala, & saua bestia est, siuè pardus sit varijs notis, ac maculis, siuè leo dictionum nostrarum vorax, siuè aper pellucidas veritatis margaritas conculcans, siuè lupus Arabicus, & alienus, siuè vulpis versuta per captiones, & sophismata; recedat à monte, nè malè perdatur.* Pulchrè ostendit, qui apti sint ad diuina percipienda, & quo gradu; qui contra inepti. nec Aaron ipse vltra nubem audet ingredi, nec seniores propè nubem. Mosis tantùm est ingredi, Deum alloqui, nempè is Deus alter dictus est. adeò magnum, & rarum est adyta illa diuinitatis subire. subeat hic Gregorius, subeat Augustinus, Thomas Aquinas, & si quis est Mosi similis. alij Theologi ascendant, sed pro scientiæ, & virtutis gradu propius, vel lōgius. apud vulgus licet purgatum, de Deo ità tractādum, vt tantùm de eius maiestate, & iudicio quasi coruscatione, & tubæ clangore, & tonitruis commotus Deum vereatur. impij, siuè hæretici quasi bestiæ procul à monte sint, hoc est ab alta, & sublimi de Deo disputatione; nec pardus multicolor, & maculosus, quasi versipellis ad Dei simplicissimam naturam indagandam admitti debet; nec superbus, & qui mordax est in aliorum dictis carpēdis vt leo; nec dialecticis sophismatis fallax, vt vulpes; nec tenebris ignorantiæ gaudēs, vt lupus vespertinus Arabicus; nec qui cœno, ac sordibus voluptatum assuetus, margaritas, hoc est res diuinas contemnit, & proterit, vt aper. tales ferè sunt hæretici. si bestia ad mōtem accederet, lapidibus obrui iubebatur. huc pertinet, quod sequitur.

Diuina quàm trepide, ac reuerenter sermone tractanda.

4 Dei naturam non ex se, sed ex rebus creatis, & effectis attingi posse ait, hoc est; vt loqui solent, à posteriori, non à priori; quantumuis altè de Deo disputes: *Verùm quid mihi accidit? currebam hoc animo quasi Deum percepturus, sicq; montem ascendi, ac penetraui nubem, vt materialibus rebus secretus, & in me ipsum, quantum fieri potest, collectus. vt autem oculorum aciem intendi, vix hoc sum assecutus, vt Dei posteriora cernerem, idq; petrâ contectus, hoc est in Verbo nostræ salutis causa incarnato; atque aliquantulùm prospiciens, non primam illam, & purissimam naturam, sibiq; ipsi, idest Trinitati notam, quaq; primo velo obtenditur, & à Cherubim obtegitur, conspicatus sum, sed postremam, atque ad nos pertingentem. Ea autem est maiestas illa, vel magnificentia, vt Dauid appellat, quæ in rebus à Deo creatis, & gubernatis elucet. Dei quippè posteriora sunt ea, quæ post eum extiterunt, nobisq; ipsius numen declarant, non secus, ac Solis in aquis vmbræ, atque simulacra infirmis oculis Solem repræsentant, quandoquidem eum obtueri non possumus, vtpote lucis puritate sensum omnem superante. ad hunc igitur modum Theologi munus obibis, quamuis etiam Moses sis, ac Pharaonis Deus.* Addit, quamuis & Paulus euectus ad tertium Cœlum, quamuis Angelus; quoad naturæ vires loqui videtur, vel dùm sumus viatores, nàm Beati Deum vident in se, licet omninò minimè comprehendant.

Deum in se ipso quantumuis perfectus in hac vita nosse nō potest

Psalm 8.

5 Pulchrè, & elegantèr ostendit ex creatis rebus naturalitèr agnosci Deum, & opificē: *Quod Deus sit, et princeps quædam causa, quæ res omnes procrearit, atque conseruet, tùm oculi ipsi, tùm lex naturalis docet: quemadmodùm enim quispiam citharam pulcherrimè confectam, & elaboratam conspiciens, eiusq; concinnitatem, & constitutionem, aut ipsius citharæ cantum audiens,*

Deum esse natura docet.

diens, nihil aliud, quàm ipsum citharæ conditorem, ac citharœdum mente reputat, atque ad eum cogitatione fertur, etiam si de facie ignotum: eodem modo nobis, is, qui res efficit, effectasque mouet, & conseruat, manifestus est, etiam si mente minimè comprehendatur. Vides, Mundũ esse instar instrumenti aptè temperati; quò spectat illud Iob: *Cœlorum concentum quis silere faciat?* quod certè de Pythagorico non est intelligendum: caueamus, nè nos ob desidiam, quasi laxæ chordæ, vel per grauiora peccata cœno oblitæ absonum, & absurdũ sonum reddamus. huc facit, quod narrat Dion; Seuero, paulò ante quàm imperium capesseret, oblatum per speciem quendam, qui lyram ipsi in manus traderet, hoc est Orbem terræ temperandum sceptro, quasi plectro.

Mundus quasi cithara, Deus citharœdus.

6 Tres affert causas, cur de Deo dicatur in psalmo: *Posuit tenebras latibulum suũ.* Primò, quia vilescit, & abijcitur, quod facilè capitur. secundò, nè, vt Lucifer, ex sapientiæ magnitudine insolescamus. tertiò, vt magis accendatur desiderium. Tùm rectè monet: *Quod si quis Deum, scriptura teste, coguouisse dicatur, intelligendus est, quatenùs vberioris splẽdoris particeps fuerit, quàm qui minus luminis accepit. quocirca Enos quidem sperauit fore, vt Dominum inuocaret. vides spem dumtaxat in eo laudari, eamq; non cognitionis, sed inuocationis?* Pulchrè hoc pertinet ad minimam nostram Societatem Iesu. Enos enim laudatur tãtũ, quod sperauit hoc nomẽ inuocare, at nos habemus. spes.n. est de futuro.

Psalm.

Gen. 4.

Imperfecta est nunc de Deo cognitio.

7 Pergit ad alios, qui Deum vidisse, vel cognouisse dicuntur, nemo tamẽ perfectè: *Iacob licet sublimem illam scalã viderit, & cum Deo quasi certamen inierit, illud tamen nec ipse, nec quisquam sublimior iactare possit, se Dei naturam, & aspectum omninò comprehendisse. neque verò Heliæ, vel spiritus vehemens, vel ignis, vel terræ concussio, sed aura quædam tenuis Dei præsentiam, non naturam ipsam adumbrauit: at quẽ virum dico? nempè eum, quem igneus currus euexit in Cœlum: significans, vt opinor, singularem hominis virtutem, atque humanum fastigium excedentem.* Rectè notat, sublimis ascendit igneo curru, sed ad aerem, non ad videndum Deum.

Nec Iacob in scala, nec Helias in spiritu viderunt Deũ vt est.

8 Idem de Prophetis dicit: *Esaias Dominum Sabaoth in gloriæ throno sedentem vidit, eumque à Seraphim senis alis præditis in orbem cinctum, & laudatum, & occultatum.* græcè est κυκλούμενον. Nota situm horũ Seraphim: in orbem cingebant Deũ, eum quasi coronantes, aut potiùs amplexantes ipsum ignitis alis, quippè cuius amore ardent; vident quidem Seraphim Deum, sed non omninò comprehendunt. Sequitur: *Ezechiel vehiculum Dei, hoc est Cherubim describit; thronumque ipsis excelsiorem, &c. cæterùm nemo eorum, neque quisquam alius eiusdem ordinis in substantiã, & essẽtiã Domini, vt scriptura loquitur, stetit.* græcè est ἐν ὑποστήματι, καὶ οὐσίᾳ. vbi nota Theologicas voces scripturæ proprias.

Deus incomprehensibilis vel à Seraphim.

9 Quàm arduum sit diuina cognoscere, eleganti exemplo demonstrat: *Disputatio, quæ de Deo suscipitur, quò perfectior, eò difficilior, pluribusque obiectionibus patet. occurrunt, quæ cursum interrumpunt, quemadmodùm qui equos ad cursum incitatos repentè frœno retrahunt, ac per inopinatam, & repentinam excussionem retrorsum agũt. Salomon, qui omnibus ab omni memoria hominibus sapientia præstitit, quò altiùs in has profunditates penetrat, hoc magis æstuat, ac finem sapientiæ constituit hunc, nimirùm quod inuenisset quãtum ea à se effugisset.* Notabile dictum; nõ enim dicit se scire quantum ipse sapientiam attigisset, sed quantum illa à se recessisset. Vide igitur quàm imperfecta sit nostra cognitio de Deo; est autem pulchra metaphora, vt ingenium sit tanquàm generosus equus, sed audacior, ideò freno coercendus ab auriga, qui est Dei timor. Addit: *Paulus non dico Dei naturam, sed solùm eius iudicia cognitione assequi conatur; quoniam nec exitum illum, nec ascensũ reperiebat, orationẽ admiratione circũscribit, idq; Dei opes, & profundum appellat.*

Ingenium generosus equus, sed indigens freno.

10 Mirum non esse ait, si nos diuina assequi ingenio non valeamus, cum res ipsas naturales perfectè non percipiamus, incipiẽdo ab ipso homine: *Vndè hæc mixtio? quomodò mortale cum immortali copuletur? quomodò deorsum fluo, & sursum feror? quomodò anima circumfertur? vitam impertit? affectuum fit particeps, &c.?* Rectè arguit, cum nec nos ipsos cognoscamus, vt supra dixit: quomodò enim res tã diuersæ in nobis coalescunt, spiritus, & corpus, puluis, & mens, ratio in sublime ferens, & pondus mortalitatis in ima? Mater Machabæorum dicebat: *Nescio quomodò in vtero meo apparuistis.* Tùm per membra discurrit singula: *Multa proferrem de oculis, qui modo quodam ineffabili cum ijs rebus, quas cernimus, commercium habent, &c.* Pulchrè commercium vocat oculi cum obiecto per species, & intermedium aerem quasi vehiculum. Lege Galenũ de partibus, qui eximium naturæ artificium admiratur in singulis.

11 Trãsit ad cętera animalia, vel parua. de cicada sic pulchrè: *Quis lyram cicadis in pectore dedit, & cantus illos, atque garritus? quos, cum meridiano Solis æstu ad musicam incitantur, in arborum ramis fundunt, ac nemora sono implent.* græcè μαγάδα partem scilicet lyræ, vbi resonat plectrũ. huc refer illud psalmi: *Exaudiuit orationẽ hu-*

Cicada lyram habẽt in pectore.

humilium. legunt quidam in orationem cicadæ. ac certè oranti meliùs competit hoc nomen lyræ, cum æstu, & feruore spiritus, & cum quadam quasi pertinacia cantus, hoc est perseuerantia in orando, & ex corde; hoc enim est, quod ait: *Quis lyram cicadis dedit in pectore?* quò etiam refert, quod de cygno ait: *Quis cantum illū cum cygno contexit, cum in auras pennis expassis melos, & sibilum reddit?* græcè est, symphoniam contexit, cum melos, & fistulæ sonum reddit pennis in auras expassis: qui certè orantis est habitus, expassis manibus quasi pennis cū innocentiæ candore; hoc est, vt loquitur scriptura: *Leuare puras manus.* in morte quoq; dulcius, & suauius iustus canit. Est igitur oratio quasi cygneus cantus harmonicus.

Oratio quasi cygneus cantus.

12 De pauone sic venustè: *Qui fit, vt pauo arrogans ità sit amans pulchritudinis, & honoris? vt quoties aliquem propius accedentem viderit, aut etiam fœmellæ, vt aiunt, se ostentare voluerit, confestim elata ceruice, atque alis aureum fulgorem referentibus, ac siderum splendorem imitantibus in orbem concinnatis, suam venustatem cum superbo incessu velut in theatro spectandam proponat.* græcè pro, *amans pulchritudinis, & honoris.* elegātiùs habetur: φιλόκαλος, καὶ φιλότιμος. & pro, *in theatro proponit*, est θεατρίζει; non mirum igitur, quod Saba regina ad Salomonem inter cætera munera pauonem attulerit. Et nota modestiam Gregorij, dùm indicat proprietatem illam id agendi cum fœmella, addit; *vt aiunt*; neque enim spectator otiosus erat huiusmodi rerum. vtinam certè vir coniugi suarum virtutum pompam, humilitèr tamen, faceret. quod autem id etiam pauonem facere ait, cum aliquis accedit, velut in theatro: nempè hoc est, quod aiebat Paulus, vt græca habent: *Theatrum facti sumus Deo, & Angelis, & hominibus.* ac sæpè commendat, vt alijs exempla bonorum operum præbeamus.

Pauonis elegans descriptio

Bonū exemplum alijs exhibendū.

13 Verba illa Iob: *Quis dedit gallo intelligentiam, &c.* sic legit, & interpretatur: *Scriptura quidem sacra mulierum in contexendis telis solertiam his verbis admiratur: Quis dedit mulieri texturæ sapiētiam, rerumq; variandarum scientiam? est enim hoc animātis ratione præditi, eximiaque sapientia instructi, atque ad cœlestia vsque tendentis.* Pulchrè hoc ad S. Teresiam referri potest; quis enim non admiretur eius instituti, ac regularum præclaram quasi texturam, ipsiusq; Ordinem tot virtutibus ornatum, tanquàm aulæum Babylonicum, aut Britannicum, egregijs figuris variegatum. & acu pictum? quod græca indicāt, ποικιλτικὴν, ὑφαντικὴν. vtique opus hoc fuit Virginis diuinitùs, *Eximia sapiētia instructa, & ad cœlestia vsq; tendentis.*

Iob. 37.

Teresiæ quasi textura eius institutum.

14 Pergit ad alia in natura mira, quæ cognitionem nostram superant: *Dic, quomodò apes fauos construunt, ac sexangularum fistularum, sibiq; inuicem respondentium adiumento continentur, idq; in obscuris aluaribus? dic quomodò aranea per vsque adeò tenuia stamina multipliciter intensa sinuosas telas contexant? & quis Euclides hoc artificium vnquàm imitando expressit, de lineis pertractans nusquàm extantibus?* Rectè miratur, vel in apibus sexangulas illas cellulas ità dispositas, vel in araneis tenuissimas illas lineas sic in orbem compositas. quid quod diuina prouidentia huius animalculi tela vsus est pro rotundo clypeo ad tuēdos suos ab hoste? Dauid, inquam, & Felicem Nolanum.

Apis mira industria.

Araneæ mirum artificium.

15 Transit ad aues. de gruum dispositione in volando, literato ordine quasi aciem præseferentium, sic pulchrè: *Et quis Palamedes, qui aciei instruendæ artem, motus, & figuras non alijs magistris, quàm gruibus didicisse fertur? &c. quinam Phidiæ, aut Polygnoti, &c. formarum elegantiū pingendarum, aut sculpendarum peritia clari? quis Gnosius Dædali chorus ad musicos numeros sese mouens? quis Cretensis labyrinthus difficiles exitus, & ambages habens, itidemq; se per artis industriam incurrens, &c.* Dædalus artifex ingeniosissimus statuas componebat sese ad citharæ sonum mouentes, nec tamen gruum volatum tàm industrium æquauit.

Gruum in volādo dispositio eleganter descripta.

16 De terra communi omnium parēte pulchrè habet: *Quo pacto partim in montium vertices assurgit, partim in campos subsidit? &c.* Item de mari, quod quasi vinculis cum terra colligatur ad vsum hominis, licet inter se natura differant: *Iàm quomodò terrestrē nautilum exiguo ligno, ac vento ducis? hoc cum cernis nonnè admiratione defigeris?* Pulchrè nauigantem hominem vocat *terrestrem nautilum*; qui piscis nauigantis effigiem refert. Tùm de amœnitate fontium item pulchrè: *Patet hoc mihi, vt deliciosò dictū genere sunt, dùm Dei delicias oratione complector.*

17 De aereis, ac cœlestibus sic elegātèr: *Sed iàm dimissa tellure, indutis animi pennis in aerem conuola, atque illinc ad cœlestia, Cœlumq; adeò ipsum, & quæ Cœlo superiora sunt, euehere. quis aerem hunc fudit, hoc autem vbiculum, hanc ventorum sedem? quis nouit, quæ vētorum promptuaria, quis thesauri niuis? quam tu rationem afferes de fulgetris, ac de tonitruis? tu inquam, qui è terra tonas, ac nè tenuissimi quidem veritatis igniculis fulges?* Rectè arguit hominis arrogantiam, qui cum nullo splendore naturæ fulgeat, sed vilissimus puluis sit, & in ignorantiæ caligine positus; cum fastu tamen doctrinæ tonat, minatur, irascitur, strepit. adde nouum inuē-

Iob. 36.

Arrogantia hominis de doctrina, &c. taxatur.

tum pulueris tormentarij. quid hoc est, nisi è *terra tonare*? A.utè autem dicit, tonitru habere coruscationem: at homo perstrepit, & tumultuatur, ēt cū nullis prorsùs dotibus coruscat: *Tonas. ac nè tenuissimis quidem veritatis igniculis fulges.*

Sol cœlestis chori coryphęus, &c.

18 Deindè Cœlum ipsum contemplatur, & quàm superet nostram cognitionē, ostendit: *Quis Cœlum circumegit, & tornauit? quis stellas ordine collocauit? imò verò, vt quæ priora sunt dicam, quid Cœlum ipsum, quid stella? vndè habet Sol, vt Orbi vniuerso, atque omnium oculis tanquàm chori cuiusdā coryphaus sit? pulcher vt sponsus. celer vt gigas. calefacit, non vrit; omnibus præsto est, omnia æquè comprehendit. quanti tandem æstimandum est, quod prophanus quidam auctor scribit, id in sensilibus Solem esse, quod Deum in intelligibilibus? vt enim hic mentem. sic ille oculos illustrat. atque vt hic res eas omnes, quæ animo, & ratione percipiuntur, pulchritudine vincit; ità ille eas, quæ oculis subiacent, à quo perpetuo motu agitatur. infatigabilis verè vitæ dator, animantium pater, & quibuscunq; titulis laudum affici solet; nunquàm motui, nunquàm beneficijs suis finem constituens.* Præclarum sanè Solis elogium; qui, vt Plato ait, tanquàm visibile quoddā simulacrum est inuisibilis Dei, cui verè cōpetit hoc in primis: *Nunquàm beneficijs suis finem constituens.* Vides etiam Principis partes, & munus: *Omnibus præsto est, omnia æquè comprehendit.* Illud verò pulcherrimè de Sole dictum: *Orbi vniuerso tanquā chori cuiusdam coryphaus*, est præpositus: ducit quippè non modò siderum choros, sed elementorum, &c. tanquàm in chorea quadam anni tempora in orbē, & gyrum ducens, præcentor carminis, & laudis in Deum omnium conditorē. quid igitur nobis, qui sub Sole sumus, agendum, nisi vt eidem carmini succinamus? Idem sic elegantèr exprimit: *Quomodò Sol anni partes efficit, & ità diuidit, vt certis, & cōstitutis vicibus accedant, & recedant, ac velut in chorea complexu quodam inter se hæreant, simulq; distinguantur, illud amicitiæ lege, hoc ordinis præscripto.* Egregiè ostendit, elementa, & anni tempora inter se amicitiæ fœdere nexa, sed in tātum variationem illam, & oppositionem præseferre, in quantum ità illis Deus præscribit ob bonum Vniuersi. Porrò cum anni partes inter se nexæ, *velut in chorea complexu quodam inter se hæreant*, quàm absurdum est, hāc anni choream interturbare odijs, ac discordijs, & malis, ac dissonis moribus? huius quasi choreæ annuum orbem videtur & psalmista indicasse, cum ait ad D[illegible]: *Benedices coronæ āni benignitatis tuæ.*

Solis elogium.

Anni partes velut in chorea inter se nexæ

19 Pergit de cœlestibus dicere: *Quis naturam tu Lunæ, & affectiones, & luminis mensuras, cursusq; per noctis? præsidet diei Sol, Luna nocti. hæc feris libertatem concedit, ille hominem ob vtilitatem ad laborem excitat.* Alludit ad illud psalmi: *Ortus est Sol, & in cubilibus suis collocabuntur. exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsq; ad vesperam.* Vides integrum diem ad laborem datum, nullam partem otio, & hoc Sole excitante rapidissimi sui cursus exemplo? Addit ex Iob: *An tu Pleiadis vinculum, siue nodū, aut Orionis maceriam intelligis? vt is, qui numerat multitudinem stellarum, gloriæq; cuiusq; discrimen perspectum habet? hic consistam, nec vltrà res eas, quæ materia constant, oculisq; cernuntur, orationem diffundam.* Vinculum illud, siuè nodus Pleiadum ad religiosorum concordiam rectè referri potest sanè admirabilē, nec nisi diuinæ dexteræ opus, vulgata habet: *Nunquid coniungere potes stellas Pleiadas?* Rectè autem in visibilibus sistit, quorum cognitio cum perfecta haberi nequeat, quomodò habebitur de inuisibili Deo, & super omnia inscrutabili?

Sol oriens excitator hominis ad laborē

Iob.

Pleiadum nodus cōcordiæ symbolum

20 Cum ostēdisset quàm imperfectam cognitionē habeamus de visibilibus creaturis, ostendit nunc de inuisibilibus, & incorporeis, vt indè constet multò imperfectiorem haberi de Deo. pulchrè autem vtramque cognitionem in tabernaculo à Mose extructo agnoscit: *An potiùs Mosaicum illud tabernaculum, Mundi totius figuram, & imaginem fuisse scriptura testatur? Mundus porrò ex visibilibus, & inuisibilibus constat; idcircò penetrato primo velo, atq; transcensis ijs, quæ sensum mouent, in Sancta prospiciemus, hoc est in superCœlestem naturam, quæ nonnisi ratione, & intelligentia percipitur. at vltrà progredi non possumus, quā quòd Angelos quosdam, & Archangelos scimus, Thronos, Potestates, Principatus, Dominationes, splendores, ascensus intelligentes, Virtutes, siuè mētes, puras naturas, non adulterinas, ad malū immobiles, perpetuò choros circa principem illam causam agitantes, purissimo splendore illinc perfusas, ac pro natura ordinis cuiusq; portione, alias alio modo collustratas; quæ etiam à summa illa pulchritudine adeò informantur, & imprimuntur, vt ipsæ alia quoq; lumina efficiantur, ac per primi luminis influxus, & communicationes alios illuminare possint. hæ diuinæ volūtatis ministræ sunt, loca omnia peragrant, omnibus vbiq; impigrè adsunt, tùm ob ministerij promptitudinem, tùm ob naturæ leuitatem. aliæ aliam quandam Orbis partem complectuntur; aut alijs quædam pars commissa est, vt nouit qui hæc ordinauit, atq; distribuit.* Elegāter admodùm, & egregiè angelicam naturam describit, gradus dignitatis, ordinesq; partitur. munera describit; in quo exerceantur, ostendit, in laudan-

Hebr.

Angelicorū ordinum preclara munera.

dando scilicet Deo: *Perpetuò choros circa Principem illum agitātes.* in aliorum etiā salutem miro studio incumbentes: *Loca omnia peragrant, omnibus vbiq; impigri adsunt.* nempè habemus, quos imitemur in terris contemplatione, & actione. & vide quales esse debeamus ipsis associandi; appellat Angelos, *puras naturas, purissimo splendore perfusas*. imò splendores ipsos, & fulgores λαμπρότητας: Item ait à summa pulchritudine informari, & imprimi μορφούμενας, καὶ τυπούμενας. vt fit in figuris, signaculis, & in typis librorum. quasi Dei imaginem in se recipiant, & referant, & ijs Deus imprimat characteres arcanæ sapientiæ suæ.

21 Pergit pulchrè de Angelorum natura dicere: *Qui facit, inquit, Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis. Spiritus, atq; ignis Angelus appellatur: illud, quia intellectualis natura est praditus; hoc quia purgandis animis nostris adhibetur.* Præclara ratio, cur ignis appelletur Angelus, quia nimirùm nos illustrando, & bona suadendo animum purgat. Cæterùm vox græca pro ministris habet λειτουργοὺς, quæ propriè vox significat castrense munus exercere, vndè illud: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.* hebraicè est, castrametabitur. & apud Aristotelem eadem vox est publicum reipublicæ opus sustinere; & apud Xenophontem subire munera magni sumptus: quod autem opus maioris sumptus, quàm salus animarum? Addit de Angelis: *Ad vnum Creatoris nutum omnia in vnum cogunt, maiestatis diuinæ hymnos concinunt, ac sēpiternam illam gloriam semper intuentur.* Nota obedientiæ promptitudinem cum lætitia in laudando.

Psal. 103.

Angelica natura quā præstās ut

Psalm. 33.

22 Concludit hæc de Angelis sic: *Hæc si pro rei dignitate dicta, habenda est gratia Trinitati, atq; vni in tribus personis diuinitati. quod si minus, satisfactum est cupiditati; sic etiam habet oratio victoriam: hoc enim contendebamus ostendere, nè ipsā quidem secundarum rerum naturam ingenio comprehendi posse, nedùm primam illā, & solam, vereor enim dicere, super omnia.* acutè ait, & pulchrè. Si de Angelis minus dignè locutus sum, in hoc ipso vincit oratio, quia conuincit Deum esse incomprehensibilem, cum nè Angelos quidem, qui ab ipso creati sunt, comprehendere valeamus. Tùm vide quàm cautè de Deo loquatur: veretur dicere, eum *esse super omnia*, quia idem est, ac dicere excelsiorem, at nulla comparatio esse potest inter Deum, & creaturas.

Angelica natura supe at intellectum humanum, multò magis diuina

Ex Oratione XXXIV. De Theologia.

1 DEI naturam sic eruditè, & præclarè ostendit: *Tres antiquissima de Deo sententia sunt, Anarchia, Polyarchia, & Monarchia. ac dua quidem prima ab ethnicis ipsis delusa sunt, & sanè deludantur. nàm & quod nullius imperio gubernatur, confusum est, & perturbatum; & quod à pluribus dominis, ac principibus gubernatur, nec ordine vllo, nec disciplina continetur. nos vnius Dei principatum colimus, non quem persona vna circumscribat, sed quem aqualis natura dignitas constituat, & voluntatis consensio.* Rectè & eos arguit, qui Mūdū à nemine regi dixerūt, & qui à pluribus Dijs. restat igitur, vt ab vno regatur.

In diuinis nec anarchia, nec polyarchia locum habet, sed monarchia

2 De Filio, & Spiritu sancto sic: *Alter soboles, alter processio dicitur, neq; enim hanc superfusionem dicere audebimus; tametsi quispiam, qui apud Ethnicos philosophia claruerunt, ità sit locutus: Velut poculum quoddam superfluxit. verendum enim esset, nè coactam quandam generationem inueheremus.* græcè est κρατὴρ crater. quasi Pater instar crateris esset diuinitatis mero plenissimi, ac proindè quod exuberaret, & redundaret, diceretur Filius, & Spiritus sanctus. Sed hoc obloquentes verè ipsi ebrij amenti doctrina dicendi sunt. Tū subiungit: *Quomodò Filius genitus est, inquis? Dei generatio silentio honoretur. satis magnum tibi est scire eum genitum esse; quo autem modo, nè Angelis quidem, nedùm tibi, intelligere concesserim. vis declarem quo modo? quo scit Pater, qui genuit, & Filius, qui genitus est. quod supra est, occultatur.* Affert & scripturæ testimonia: Apostolus ait: *Splēdor gloria, & character substantia eius.* græcè ὑποστάσεως, hypostasis & Ioannes: *Quem Pater signauit Deus.* græcè ἐσφράγισεν idest sigillauit, vndè σφραγῖδες gēmæ, quibus signū imprimitur, seù nota.

Generatio Filij malè explicata per superessfluentiā.

Filij generatio superat captum etiā Angelorū

3 Christum hominem simul, & Deum elegantèr admodùm, & venustè describit per antitheta: *Nascitur, sed iā olim genitus erat; ex muliere, sed virgine; illud humanū, hoc diuinū. Patris expers hic, matris expers illic; vtrumq; horum diuinitatis est. fascijs inuolutus est, at sepultura fascias rediuiuus excussit. baptizatus vt homo, nec indigens, sed sanctificans, peccata sustulit, vt Deus. fame affectus, sed hominum millia aluit. vectigal pendit, sed ex pisce. venditur vili pretio, sed Mundum magno pretio, hoc est cruore suo redemit. aceto, ac felle potatus, sed qui aquam commutauit in vinum, totus ipse dulcedo, totus desiderium. animam fudit, sed mortuos prius reuocat ad vitam.*

Gen. 19.

Christi generatio æterna, & temporalis pulchrè describitur.

in

in inferos descendit, sed animas sursum ducit. ergò si illa erroris ansam afferunt, hæc errorem tuum discutiunt. Nota singula pulchrè opposita, vt illud de fascijs infantilibus, & sepulchralibus, de vectigali per piscem, &c.

Ex Oratione XXXV. De Theologia.

1 DE Christo vt homine tentato sic: *Maius illi est, quod hostis eum persecutus sit, quàm nobis, quod nos capiat.* Rectè; quia cū Filius Dei sit, maius est, quod ipse dignatus sit tentari nostra de causa, quàm quod nos tentatio captiuos faciat, cum viles simus.

Magna dignatio Christi, quod se tentari siuerit in deserto.

2 Exponit illud Apostoli: *Erit Deus omnia in omnibus. Non quod Filius resoluendus in Patrem, vt si aliqua fax à rogo abstracta in eum rursùs iungatur, vt errant Sabelliani; sed totus Deus tunc: nempè illo restitutionis tempore, iàm non multi erimus, sed toti deiformes; hæc enim est ea perfectio, ad quam properamus.* ergò dicitur, Tunc erit subiectus Christus Patri, ideſt nos in eo. Vide quàm præstans sit illud, quò aspiramus, *vt deiformes simus.* Itaq; Beati in Cœlo non videbuntur multi, sed ipsum Deum in se referētes, in vnū quodammodò transformabuntur Deum.

Heb. 3.

Beati omnes deiformes erunt vnū repræsentantes Deum.

3 Docet ineffabilem esse Deum: *Deus nullo nomine exprimi potest, idq; ostendūt Hebræorum doctissimi, & antiquissimi; nā qui proprijs notis summum illud nomen honorandum duxerūt, ac nè ijsdem quidem literis, aliud quiddam eorum, quæ post Deū sunt, ac Deum ipsum scribi substituerunt; tanquàm scilicèt Deum huc etiam vsq; à rerum nostrarum commercio distinctū esse oporteat. ecquando tamen solutili voce naturam illam insolutilem, nec cū alijs cōmunem explicari pateretur? quemadmodū enim aerem totum nemo vnquàm hauserit, ità Dei naturam, nec mens vlla, nec vox cōplecti potest.* Rectè assimilat; neque enim magis nobis ad vitam aeris respiratio necessaria est, quàm Deus ipse. Sed vide quota portio aeris à nobis attrahitur ex immenso hoc aere? ità, & multò minus de Deo cognoscimus. neq; verò voce exprimi potest, nàm vox statim dissoluitur, cum contra Deus permanens sit.

Deus ineffabilis est.

4 Dei nomen eruditè definit: *Dei vox, nempè θεὸς, vel à verbo θέειν, vel ab αἴθειν originem ducere putant, hoc est, vel à currendo, vel ab vrendo. tùm propter sempiternam agitationem, tùm propter vim illam consumptricem vitiosarum affectionum, ob quam & ignis consumens dicitur.* Notabile est vtrumque etymon; quid enim Deo ad benefaciendum velociùs? quamquam etiā id ad planetarum, quos colebant, cursum id referebant; hinc illud psalmi: *Qui ambulas super pēnas ventorū.* & apud Malachiā: *Sanitas in pēnis eius, &c.* porrò quid Deus per gratiam intrans in animam tàm impensè agit, quàm vt feruore spiritus vitiosas affectiones consumat?

Deut. 4.

Deus græcè vel à currendo, vel ab vrēdo dictus.

Psalm 103.

Malach. 4.

5 Item de Dei nomine sic: *Entis vox aptior est ad significandam Dei essentiam; nàm & Dei, & Domini voces, non absoluta sunt, sed ad aliud referuntur.* Doctè satis, & theologicè; nàm vox entis per se Deum absolutè significat. hinc illud: *Ego sum, qui sum.* Subiungit: *Alia nomina partim sunt potestatis, vt cum Rex dicitur; partim œconomiæ, vt cum Deus vltionum, vel Deus saluos faciendi, vel pacis, & iustitiæ, quæ œconomiæ sunt nomina: quoniam enim tribus his rebus gubernamur, nempè & supplicij metu, & salutis gloriæq; spe, & cultu virtutum, quibus salus, & gloria comparatur; vltionum quidem nomine metus prouocatur, salutis autem spes, virtutum deniq; probitatis studiū.* Pulchrè ostendit, in quibus posita sit œconomia, & dispositio Dei nos ad æternam felicitatē dirigentis.

Ens propriè conuenit Deo.

Dei gubernatio per tria disponitur, metum, spem, & virtutis studium.

Ex Oratione XXXVI. De Theologia.

1 HÆreticorum in veram religionem odium carpit: *Sicut in vijs, & fluminibus videmus, vt à se inuicem secentur, & rursùs inter se coeant; ità fit in hæreticis: tanta est impietatis vbertas, & copia, vt cum in alijs rebus inter se dissentiant, in quibusdam consentiant.* Nostra quoq; ætate id cernitur: cum tot sectæ hæreticorum inter se discrepantes, & diffidentes sint, in Romanam tamen Ecclesiam coniurati irruunt: quam naturam in canibus Pyrrhus rex agnouit, qui dùm inter se oblatrant, si fortè prēda se offerat, in eam coniunctim rabiem vertunt.

Hæretici inter se diuisi, contra Ecclesiam vniti.

2 Probat ex scripturis, Spiritum sanctū esse Deum: *Pneumatomachi aiunt: Vnde nobis peregrinum Deum, nulloq; scripturæ loco prædictum introducitis? at hoc est, quod Dauid velut per imaginem conspicatus dixit: In lumine tuo videbimus lumen ex luce nimirùm, ideſt ex Patre, lucem hoc est Filiū in luce, hoc est in Spiritu sancto.* Stultè peregrinū Deum vocant, cum ipsi potiùs longè peregrinentur à veritate. Tùm pulchrè admodùm, ac piè sic: *In montem excelsum ascēdemus, & clamabimus; siquidem ex inferiori loco minus audiemur, Spiritum efferemus.* Rectè ostēdit, se zelo veritatis accensum libera, & clara voce tanquàm ab alta specula, Mundo audiente,

Psalm 35.

Hæretici vocant Spiritum sanctum peregrinū Deū.

Gregorius ardens zelus de veritate Spiritus sancti

fa-

fateri velle Spiritum sanctum Deum. quid mirū? quādo & in igneis linguis apparuit.

3 Respondet obiectis hæreticorum: *Obijciunt: Si ingenitus Spiritus sanctus, ergò duplex principium ingenitum; si genitus, ergò duo filij, & duo fratres, gemellos etiam finge, si lubet, quando ità corporeis rebus imminet sus et.* meritò illudit stultè dictum. Sequitur: *Quæ est hæc processio, inquies? dic tu, quæ Patris ingenitura sit, & ego Filij generationem, & Spiritus processionem dicere aggrediar; & ambo mentis vesania præcipites agemur, in Dei mysteria oculos inijcientes.* nempè vtrumq; audaciæ esset. Subiungit: *Quid deest, inquis, vt Spiritus sanctus filius dicatur? Deo nihil deest, sed manifestationis, vt ità dicam, mutuaq; relationis differentia diuersa quoq; nomina procreauit.* scilicèt, vt nunc Theologi loquuntur, Filius per intellectionem, & per modū imaginis gignitur; Spiritus sanctus per volitionem, & amorem procedit.

Diuina natura nō temere discutiēda.

4 Arium sic exagitat: *Desine, vel Patrē in Filij contumeliam malè honorare; malus enim honor est Patrem Filio priuare, vtcumq; eum præstantiorem creaturam esse cōcesseris, & Filius in Spiritus sancti ignominiam; non enim conserui opifex est, sed est eo, qui à pari dignitate est glorificatur.* Detegit videlicet fraudē Arij, quasi zelo honoris ergà Patrem moueretur, vt diceret Filium minorem. item Marcionem irridet, qui aiebat: *Deum cum voluntate sua congressum, Filium genuisse.* hermaphroditum igitur genuisset.

Ineptiæ hæreticorū de Spiritu sancto.

5 Nostræ salutis œconomiam eruditè ostendit: *Duo ex omni æuo illustres vitarū mutationes extiterunt, quæ etiam duo testamēta, atq; ob rei celebritatem σεισμοὶ, hoc est terræmotus appellantur: altera à simulacrorum cultu ad legem, altera à lege ad euangelium; ac tertium quoq; terræmotum scriptura nobis annunciat, nempè migrationem ab hac vita ad alteram illam, motus omnis, & iactationis expertē.* Insignis planè hic locus est. tres ait variationes circa hominum instituta, moresq; inueniri, easq; pulchrè terræmotus vocari, quasi ab vno statu ad alteram conuersionem, in terræmotu.n. sæpè noua flumina apparēt, vetera reconduntur, &c. prima conuersio ex idololatria ad legem, secunda ad euangelium, tertia ex hac misera ad alterius vitæ felicitatem; quod equidem maximè terræmotum appellarim, cum per mortem ad districtum Dei tribunal transeundum sit, quo nihil horribilius ob salutis periculum. porrò quod conuersionem ab idololatria ad euangelium terræmotum vocat, idem de conuersione à vitijs ad pietatem dixerim. & sanè in cōuersione Ignatij nostri terræmotū accidisse ferunt, quo vitreę domus ipsius fenestræ diruptæ sunt.

Tres hominis status quasi terræmotus.

6 Docet, cur nō statim in aduētu Christi facta fuerit omnimoda mutatio: *Duo testamenta non repentè commutata sunt, vt persuasione adduceremur, non vi traheremur: quod enim voluntarium non est, nè diuturnum quidem est: quemadmodùm nec fluenta, & stirpes, quæ per vim vertuntur. quocircà Deus minimè faciēdum esse duxit, vt inuitos beneficijs afficeret, sed vt de voluntate benemereretur; ac proindè pædagogi more patrios ritus partim subtraxit, partim cōcessit. primùm sublatis simulacris sacrificia permisit, deindè submotis sacrificijs circumcisionem non prohibuit, ac posteà ethnici sacrificijs, Iudæi circumcisione cesserunt.* Vide quàm sapiētèr Deus gradatim salutē nostrā operetur, vt liberè nos agamus, ac voluntatem pleniùs coronet.

Christus gradatim, ac leniter instituit ad fidem, vt liberè ageremus.

7 Pergit ostendere, vt Deus quasi per gradus quosdam salutem disponat: *In alijs rebus ex subtractione mutatio fiebat, in diuinitatis verò doctrina, & accessione, & incremento ad perfectionem ventum est. ità vetus testamentum Patrem apertè prædicabat, Filium obscuriùs; nouum autem præcipuè Filium ostendit, & Spiritus diuinitatem subobscurè quodammodò indicauit; nunc verò Spiritus ipse nobiscum versatur, seq; nobis apertiùs declarat; neq; enim tutum erat Patris diuinitate nondùm confessa, Filium apertè prædicari; nec Filij diuinitate nondùm admissa, Spiritum sanctum ingeri: nè Solis radijs oculos inijciētes, ijs quoque viribus, quibus eramus præditi, periclitaremur; quin tacitis potiùs accessionibus, & vt Dauid loquitur ascensionibus, atq; ex gloria in gloriam processionibus, & incrementis splendidioribus Trinitatis lumen illucesceret.* Præclarè Dei œconomiam ostendit, nobis se attemperantis, & gradatim nostra disponentis. Quod Trinitatem Soli comparat, pulchrè illis verbis Sapiēs indicat: *Sol tripliciter exurens montes, radios igneos exsufflans, & refulgens radijs suis obcæcat oculos.* & quod ait de progressu cognitionis, alludere videtur ad illud psalmi: *Ascensiones in corde suo disposuit.* vbi de iusto loquitur. & ad illud Pauli: *Transformamur de claritate in claritatem tanquàm à Domini gloria.* quò etiam refero illud de iustorū semita, quæ *crescit vsq; ad perfectum diem.* huc spectāt, quæ addit: *Ob hanc causam Spiritus primùm insufflatus, posteà in linguis igneis apparens. quin etiam ab ipso Iesu paulatim Spiritus declaratur. primū, Rogabo, inquit, Patrem meū, & alium Paraclitū dabit vobis; nè ab alia potestate quàm Dei loqui videretur; posteà mittet quidem, sed in nomine meo, omisso rogandi verbo. mox, mittam, vt propriam auctoritatem ostendat. tùm deniq; veniet; quo verbo Spiritus potestas indicatur.* Acutè admodùm hæc notat, itàq; concludit:

Cur Trinitatis cognitio reseruata nouo testamento.

Trinitatis mysterium Soli comparatum

Eccl.

Psal. 83.

Cognitio de Trinitate paulatim succreuit.

Vides

Vides illuminationes paulatim nobis affulgentes? tùm Spiritus sancti diuinitas erat apertiùs declaranda, cum ob tàm insigne miraculum fides nõ abrogaretur: quid enim hoc maius vel ille polliceri, vel hic docere potuit? si modò magnum existimandum est, Deiq; magnificentia dignum, quod promittebat, aut docebatur.

8 Veram de Trinitate doctrinam proponit: *Colimus Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum, vnam diuinitatem, nec honore, nec essentia, nec regno diuisam. quisquis verò aliter sentit, nec Luciferum exorientem videat, vt cum Iob loquar, nec cœlestis gloriæ splendorem.* huc refero etiam illud Pauli: *Donec Lucifer oriatur in cordibus vestris.* idest gratia: vulgata in Iob ait: *Nec videat lumen surgentis Auroræ.* Aurora enim, ac Lucifer gratia præueniens pulchrè dicitur. Trinitatis igitur cognitioni tanquàm splendidissimo Soli præit gratia per fidẽ tanquã vel Aurora, vel Lucifer. gratia porrò hũc Solem subsequens quid nisi Hesperus est?

Doctrina vera de Trinitate quæ sit.

Iob.

Gratia Auroræ ac Lucifero comparata.

9 Item de Spiritus sãcti diuinitate sic: *Si Spiritus sanctus adorandus non est, quomodò me Deũ efficit per baptismum? si autẽ adorandus, nonnè etiam venerandus? si autem venerandus, nonnè Deus? vnum vni cohæret? ac verè aurea quædam, & salutaris est hæc catena. & quidem à Spiritu regenerationem habemus, à regeneratione instaurationem, ab instauratione cognitionem dignitatis, à quo sumus instaurati.* Pulchrè autem, ac præclarè vocat *aureã catenam*, quasi ex varijs anulis cõtextam, hoc est deductis argumentis, & medijs, quibus cognitio diuinitatis Spiritus sancti tenetur. huc refer auream illam catenam Homericam è Cœlo pendentem, & colligantem omnia, quam Plato Solem interpretatur. sed melius Spiritus sãcti vis, qua vniuersa compaginantur, intelligi potest, idest *hoc, quod continet omnia.*

Cognitio Spiritus sãcti per aureæ catenæ contextum indicata.

10 Pergit ostendere Spiritus sancti diuinitatem aduersus hæreticos: *Iàm tibi testimoniorum examen, siuè legio prodibit, ex quibus à scriptura confirmatam esse Spiritus sancti diuinitatem ostendetur.* græcè est σμῆνος propriè examen apum. & pro testimonijs, martyria. quod etiam interpretari possumus de Martyribus ipsis, qui tãquàm apum examen extiterunt, fidemq; Trinitatis testati sunt. quæ etiam rectè legio appellatur ob multitudinem Martyrum pro veritate pugnãtium, sicut & Legio Thebæa. argumẽta quoq; multa, quę affert, quasi militare agmen est idẽ agens.

11 Aggreditur probationem: *Nascitur Christus, præcurrit Spiritus. baptizatur ille, hic testis est. tentatur ille, hic abducit. miracula edit ille, hic comitatur. ascẽdit ille, hic succedit: quid enim adeò magnũ, ac diuinum est, quod ipse non possit?* Egregiè ostendit æqualitatem cum Filio. nàm & in eius incarnatione reperitur Spiritus sanctus obumbrans Virginem matrem; & in baptismo visus instar columbæ; & in tentatione in deserto à Spiritu ductus est; & miracula edit in digito Dei, hoc est, vt alter Euãgelista ait, in Spiritu Dei. & post ascensionem instar ignis afflauit Apostolos. Ad hæc addit: *Quod tàm diuinum nomen est, quo non, excepto Ingeniti, & geniti nomine, appelletur? Patris enim, & Filij proprietates incolumes, atq; integras ipsis remanere conueniebat, nè confusio extiteret. equidem ipse ad tantam nominum copiam totus horresco. Spiritus Dei dicitur, Spiritus Domini, ac Dominus ipse; Spiritus adoptionis, Spiritus sapientiæ, consilij, omnia essentia sua implens, omnia continens, Mundum implens, interim ipse maior. bonus natũra, non gratia; Dei digitus, tanquã Deus eiusdem essentiæ, qui templa efficit, ædificat, perficit; ità vt & baptismum anteuertat, & post baptismum requiratur Spiritus, omnia lustrans, ac penetrans. qui mẽtiti sunt, Deo, non homini mentiti dicuntur.* Rectè se horrore quodã venerationis perfundi ait ad tàm præclara nomina & præstantes titulos. & nota, cur dicatur, digitus Dei, quia digitus eiusdem naturæ est cum reliquo corpore.

Spiritus sãcti æqualitas cum Verbo.

Spiritus sãcti excellẽtia, & elogium.

Act. 5.

12 Ostẽdit, nullam inueniri posse similitudinem adæquatam, quæ diuinas personas exprimat: *Cùm multùm, diùq; mecum considerassem, exquirens, & indagans, cui tandem rerum inferiorum diuina illa natura cõparanda sit, reperire non potui: quãquam enim exiguam aliquam similitudinẽ inuenerim, maior tamen me pars fugit, humiq; me cũ meo exemplo relinquit. oculum, fontem, ac fluuium mihi proposui, vt viderem, num Pater cum oculo, Filius cum fonte, Spiritus cum fluuio proportione quadam conueniret; hæc enim nec tempore distinguuntur, nec continuitate à se inuicem abrumpuntur, ac tribus insuper proprietatibus quodammodò scindi videntur. Sed subijt me timor, nè vnũ introducatur, &c. vt ista sunt. Solem, radium, ac lucem cogitaui; verùm hic quoq; metuendũ, nè Patri quidem essentiam tribuamus, reliquas verò personas facultates quasdam Dei constituamus, quæ ipsi quidem insint, nec tamen per se subsistant, &c. figurabat quidam splendorẽ quendam solarem parieti effulgentem, atq; ex aquarum motu tremiscentem, quem cum radius per intermedium aerem susceperit, postea solido, & renitente corpore repressus, mirabilis quædam subsultatio existit: multis enim, crebrisq; agitationibus subsilit, tãtaq; celeritate coit vicissim, ac distinguitur, vt non magis vnum sit, quàm multa, nec rursùs magis multa, quàm vnũ; priùs enim quàm*

Nulla apta in creaturis similitudo de Deo, ne solis quidẽ

quàm oculis teneatur, fuga se proripit. Sed quid splendori illi motum afferat, constat; at Deus causam non habet; deindè suspicio occurrit inserta, instabilisq; natura, &c. nisi quis velit vnum aliquid ex proposita imagine accipere, reliqua verò abijciat. Rectè monet; nulla similitudo rei creatæ aptè competit Deo. nàm plus est, quod in ea dissimile reperias, quàm quod simile. acuta sanè est illa similitudo splendoris solaris per reflexionem in aquis facta, vbi radius & vnus, & multiplex apparet; sed in ipsa similitudine lucis hebescit ingenium, cum magna diuersitas inter hæc, & Deum reperiatur: quamobrē sic concludit: *Itaq; mihi consultissimum visum est, vt dimissis imaginibus, atq; vmbris, piam ipse cogitationem, fidemq; mordicus teneam, ac duce Spiritu sancto vtens, quemq; hic splēdorem accepi, hunc ad extremum vsq; tanquàm fidum socium, & συνόμιλον custodiā.* συνομιλέω significat familiaritèr cum aliquo versari, colloqui, & confabulari. rectè ergò dicitur: *Spiritus tuus sicut mel dulcis.* præclarū verò propositum; vt ad extremum vsque spiritum, Spiritus sancti ductu feramur. hic pro duce, & Cynosura sit; hic pro solatio viæ, iuxtà illud: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.*

Spiritus s. fidus socius, & dux viæ.

Eccl. 24.

Psalm. 142.

Ex Oratione XXXVII. De Christi natiuitate.

1 PVlchrè gratulationē instituit: *Christus è Cœlis, occurrite; Christus in terris, subuehimini.* græcè ὑψώω est exaltari, in sublime erigi. vbi nota antithesin, quia Christus in terris humi iacet in præsepio, ideò vos in sublime erigemini. nēpè ad hoc se abiecit, vt nos exaltaret, & ad cœlestia trāsferret, terrenis rebus cōtemptis. Tùm exponit illud psalmi: *Lætetur Cœli, & exultet terra,* propter cœlestē videlicet, & terrestrem: quia & Deus, & homo est. Addit hanc parænesin: *Christus ex Virgine; virginitatem colite, vt matres Christi fiti.* Vides, vt & virginitas fœcunda sit, sed partu omnium nobilissimo. virgines, & Deipara vnum quiddam quodāmodò constituunt.

Christi demissio exaltatio nostra.

Virginitas nunc primum consecrata.

2 Et hoc egregiè dictum: *Quis eum, qui à principio est, non adoret? quis eum, qui postremus est, non commendet?* ob incredibilem videlicet pietatem ergà nos. Addit: *Rursùs Israel per columnam illuminatur.* Confer hic columnā illam igneā, & nubem ducentem in locum melle, & lacte manantem, cum stella Magorum ad Christum lactentem. instar columnæ dicenda est, quæ Magos tàm constanter in fide direxit.

Columna in deserto collata cū stella Magorum.

3 Quàm integrè, & piè celebrandum sit Christi natale, ostendit: *Non mundanè, sed diuinè, non vt in publicis festis celebremus. id fiet, si nec domus vestibula coronis cingamus, nec choros agitemus, nec oculos pascamus, nec aures cantu mulceamus, nec olfactum muliebriter deliniamus, nec gustui latrocinemur, nec tactui gratificemur, promptis, inquam, illis ad vitium vijs, & peccati ianuis. nec circumfluentibus vestibus emolliamur, nec gemmarum splendore, nec auri fulgore, nec colorum artificijs aduersus diuinam imaginem excogitatis.* Vide quomodò appellet sensus, *promptas ad vitium vias, & peccati ianuas.* & rectè in Christi natali quinque sensuum maximè custodiam suadet: quo enim alio iucūdiore spectaculo pascere decet oculos, quàm infante Deo? quo cantu magis aures mulceamus, quàm illo gratulantium Angelorum? cur olfactum vnguentis, & floribus oblectemus, in stabuli simetum abijciente se Deo? cur alio cibo gustū demulceamus, cum liceat vti cœlesti manna, & pane Angelorum in vrbe Bethleem, hoc est in domo panis oblato? cur tactui blandiamur, dùm Deus infans acutis, & rigidis stipulis pungitur, & gelidis aquilonibus verberatur? an vestiū pompa inter viles illos Dei pannos locum habebit? Tùm nota, quod ait, faciei, genarumq; pigmentis, & accersitis coloribus decolorari natiuam imaginem Dei: ornatus externus deformat internum. Nota etiam morem Ethnicorum in festis, & natalitijs coronādi domus vestibula, & choros agitandi; at hìc Magorum, hoc est regum coronas ad infantis Dei pedes abiectas, & Angelorum concinentium choros habemus. deniq; omnia Mundi oblectamenta præ his quàm parui facienda sint, ostendit: *Nec terra, & mare pretiosum nobis stercus dono offerant, hoc enim nomine delicias afficere soleo.* Vide quo nomine appellet pellucidas margaritas, gemmasque fulgentes, & similia, quæ tanti à mundanis fiunt. huc spectat illud Apostoli: *Omnia arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* & quid mirum hoc, aut magnum? cum de ipso Diabolo dicat Iob: *Sternit sibi aurum quasi lutum.*

Mos in die natali vestibula coronis ornandi, &c.

Mortificatio, & custodia sensuum præcipuam votum in Christi natali.

Sēsus peccati ianuæ sunt.

Imago Dei in nobis decolorata mundano fœco.

Iob. 1.

4 Sublimitèr, ac theologicè sic de Deo loquitur: *Deus & erat semper, & est, & erit; vel, vt rectius loquar, semper: vniuersum enim id, quod est, in se complectitur, nec principium habens, nec finem habiturum, velut pelagus quoddam essentiæ immēsum, & inseminatum, &c. priusquàm teneatur effugiens, & priusquàm intellectu percipiatur, sese proripiēs.* huc facit, quod narrat Eusebius, Deum solitum effingi cum penna in capite: quia dùm eū assequi putamus, ipse sublimius euolat. hinc illud psalmi: *Accēdet homo ad cor altum, & exal-*

Dei natura superexcellens.

Psalm. 63.

tabitur Deus. Elegantèr autem de immensitate, & æternitate Dei hic disputat. Tū concludit. *Atq; hac satis; nàm hoc loco non de diuinitate, sed de œconomia instituta oratio est.* hoc est de Dei dispositione circa salutem nostram.

5 De Angelica natura iterùm pulchrè: *Quoniam bonū diffundi, & propagari oportebat, secundi splēdores procreati sunt, primi splendoris administri. Gestit quidem animus dicere ad bonum dumtaxat agitationem habentes, vtpote Deum circumstantes, ac primario Dei fulgore collucentes. verùm vt non omninò immobiles dicas, mihi persuadet ille ob splendorem Lucifer dictus, qui propter superbiam caligo est effectus, ac subiectæ ipsi rebelles Potestates, &c.* Vide quàm iucundum sit de Angelica natura dicere: *Gestit animus, & commutabilitati tamen obnoxios facit,* vt patet in Lucifero; tametsi boni confirmati sint idm in gratia. & nota, vt superbia nō modò splendorem, vt putatur, non habeat, sed potiùs ex Lucifero fecerit principem tenebrarum.

Angelicæ naturę elogium.

Angeli secundi splēdores sunt.

6 Transit ad creationem Mundi, & hominis: *Posteà alterum Mundum materia constantem, & aspectabilem condidit, hunc nimirùm ex Cœlo, ac terra, & c. hominem autem ex visibili, & inuisibili materia condidit, ac velut alterum quendam Mundum in paruo magnum; Angelum alterum, visibilis naturæ spectatorem, intelligentiū mysten; eorum quæ in terra sunt, regem, superis autem subditum; terrenum, & cælestem; caducum, & immortalem; visibilem, & intelligibilem; medium inter magnitudinem, & humilitatem; animal hic gubernatum, & aliò demigrans. & quod mysterij extremum est, per animi ad Deum affectionem diuinitatem consequens: eò enim veritatis ille splendor, qui hic exiguè hauritur, tendit, vt Dei claritatem videat.* Præclarè, & elegantèr hominis naturam describit per antithesin, inter se longè diuersa continentem. & vide quem ad finem illustratio mentis nobis in hac vita detur, vt nimirùm scintilla hæc, siuè radius in Deum lucis fontem refundatur per visionem beatificam.

Hominis elegans elogium

7 Cur Deus hominem mori permiserit, docet: *Homo mortem, ac peccati præcisionem lucratur, ne malū immortale esset: itá pœna ipsa in misericordiā cessit: sic enim Deum supplicia inferre mihi persuasum habeo.* Rectè ait, cum Deus in hac vita punit, id ex misericordia facere, vt scilicèt frænum peccanti ponat. rectè item lucrū dicit mortem; neq; n. paruus quæstus est nō peccare. similitèr & Paulus locutus est: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.*

Mors beneficij loco data.

Phil. 1.

8 Cur Deus incarnationem distulerit, docet. Cum scilicèt Mundus plurimis scatebat malis, præsertim idololatriæ cultu: *Maius auxilium requirebat; hoc autem erat ipse Dei Filius, ille sæculis antiquior, ille incōprehensibilis, ille ex principio principium, ille fons immortalitatis, ac vitæ; ille archetypi expressio, illa per omnia similis imago, ille Patris terminus, ac ratio.* ὅρος, καὶ λόγος græcè, terminus, quoad generationem; ratio, quia Verbum. Sequitur: *Ille, inquam, ad imaginem suam se confert, & carnem ob carnem gerit, vt simile per simile purum faciat, conceptus ex Virgine, animo, & corpore, & spiritu præpurgata: nàm & procreationem honore affici, & virginitatē præferri oportebat.* Egregiè ait, Deū, & humanam generationē honorasse nascendo, & virginitatem sine semine nascēdo. græcè est, & genesim honorari, & virginitatem pręhonorari oportebat. est autem valdè notabile illud de Deipara, quā ait: *præpurgatam animo, & corpore, & spiritu.* quid enim præpurgatio indicat, nisi vt esset Dei mater, etiam originali maculæ præreptam?

Cur Deus distulerit Incarnationē fi[illegible].

Diuini Verbi elogium.

Deipara pręhonorata, & præpurgata, vt esset Dei mater.

9 Pergit item elegantèr de Incarnatione: *O admirandam temperationem: qui est, fit; carnis paupertatem subit, vt ego diuinitatis ipsius opes consequar. quænam hæ bonitatis diuitiæ? quodnàm hoc circà me mysterium? anteà quod præstantius erat, nobis impertiỹ, diuinam imaginem, nunc ipse carnis, quod deterius erat, particeps efficitur. hoc priori illo diuinius, &c.* Vide vt Deus in sua paupertate diuitias maximè profuderit, suæ scilicèt pietatis.

Incarnatio ingens beneficium.

10 Arianos arguit, qui ex Christi humilitate propter nos suscepta, negabant eius diuinitatem. sic igitur elegātèr vrget: *Quid ad hæc nobis Sycophantæ dicunt? acerbi est diuinitatis expensores, circa lucem tenebrosi, circa sapientiam imperiti. siccinè Dei beneficium in crimen obijcis? an propterea paruus est, quia propter te humilis? quia te errantem ouem, & inuentam ijsdem humeris, quibus crucem tulit, subuexit ad vitam? quia lucernam hoc est carnem suam accendit, & domum euerrit, Mundum scilicèt à peccato repurgans? & drachmam, hoc est regiam imaginem vitiosis affectibus obrutam conquisiuit? Angelos inuenta conuocat, ac lætitiæ participes facit, quos etiam œconomiæ suæ conscios habuerat. haccinè Deo obijcis, atq; idcircò eum inferiorem esse censes, quia linteo se præcingit, vt discipulorum pedes lauet, &c.? nisi quis ideò medicum accuset, quod ad morbos se inclinet, fœtoremq; sustineat, vt curet ægrum. traditus dicitur, & se tradere: illud beneplaciti, hoc potestatis. tu, quæ minuendi tantùm vim habent, profers, non ea, quæ augendi.* Rectè arguit, tùm quod Dei beneficiis in sui praui dogmatis venenum vertat; tùm quod vafrè ea tantùm ex scripturis colligat, quæ hominem indicant, non quæ itē Deum.

Arius beneficium humilitatis Christi vertit in opprobrium.

Deum.

Deum. nam si dicitur: *Deus pro nobis tradidit illam.* dicitur etiam: *Si tradiderit animam suam, &c.* Egregiè autem interpretatur parabolam illam de dracma, & lucerna accensa; & carnem Christi accensam dicit, splendentem scilicet miraculis, ipso tactu, & charitate flagrantem. vt vel hinc intelligas, quanto cum feruore charitatis manducanda sit illa caro in Eucharistia. vndè pulchrè Chrysostomus: *Nemo, inquit, resolutus accedat, omnes accensi, omnes feruentes, & excitati.* Amissam verò dracmam cum Imperatoris imagine, pauimenti puluere sordescentem animam humanam dicit, habentem, ob terrenos affectus, imaginem Dei deturpatam. certè hominis nascentis cor dracmæ pondus habere aiunt physici. pulchrè item illud dictum: *Iisdem humeris, quibus crucem tulit ad mortem, ouem inuentam subuexit ad vitam.*

Caro Christi lucerna accensa.

11 Est & hoc illustre natalis elogium: *Festorum omnium Christi hoc vnum caput est. mea perfectio, & instauratio, atque ad primum illum Adamum reditus.* græcè est ἀνάπλασις, replasmatio, quasi confractum vas, & refectum. cogita quàm fœlici conditione Adam primò diuinis manibus sit plasmatus, & quàm miserè fractus, sed nūc refictus. Addit: *Partum nūc accipe, & præsulta, si minus vt Ioannes ab vtero, certè vt Dauid ob requiem arcæ.* Vide quantò cum gaudio, ac tripudio simul, & humilitate celebrandus sit Christi natalis. nàm Dauid præuidens in arca Christum nasciturum in præsepi nudum, abiecit purpuram, ac nudus exiliit, vxoriq; exprobanti ait: *Vilior fiam quàm factus sum, & ero humilis in oculis meis.*

Christi natiuitas replasmatio nostra

Tripudium Dauid coram arca ex præuisa Christi natiuitate

12 De ipso natali piè sic monet: *Descriptionem hanc reuerere, propter quam in Cœlis ipse describeris; & paruam illam Bethleem honora, quæ te in paradisum reduxit; & præsepe adora, propter quod cum rationis esses expers, à Verbo nutritus es. cognosce possessorem tuum, vt bos mundus sis, ac legi subiectus, siuè ad sacrificium idoneus. siuè adhùc immundus, & ethnicæ partis.* Egregiè ait, nos in præsepi bouis instar offerri debere, vel ad iugum præceptorū accipiendum paratos, vel ad victimæ sacrificium; nec tamē excluditur instar aselli rudis ethnicus resipiscens.

Christi natale quā piè celebrandum.

13 Et hæc parænesis pulchra: *Cum stella curre, cum Magis fer dona, cum pastoribus celebra, cum Angelis tripudia, nàm & cœlestes virtutes lætitia gestire confido; siquidem hominum, Deiq; amore sunt prædita, quemadmodùm illæ, quæ ascendente Christo, simul occurrentes se inuicè ad portas attollendas hortantur. solùm in hac natiuitate detestare puerorum cædem: imò verò hanc venerare, hanc, inquam, coætaneam Christo victimam; quæ ante nouam victimam mactata est.* Nota de Innocentibus, qui præcidanea victima aptè dici possunt, quæ Christo præmactata est, iuxtà veterū ritum. elegantèr autem dictum: *Cum stella curre.* habes ducem. *cum Angelis tripudia*; infer te ipsorum choris. græcè est χόρευσον, choreas age. adeò cōmune est hoc tripudiū nobis cū Angelis; quid fœlicius?

Tripudium de Christo nato nobis cōmune cū Angelis.

Innocētes præcidaneæ Christi victima.

14 Addit hæc præclarè de imitatione Christi: *Si in Aegyptum profugit, comitem te illi adiunge. per omnes Christi ætates, ac virtutes incede; purificare, circumcidere. velum à natiuitate contractum abscide. postea in templo sacrilegas nundinationes eijce; lapidibus, si necesse sit, te appeti patere: lapidatores, mihi crede, falles, & per medium ipsorum quasi Deus fugies. ad Herodem adductus nè respondeas. flagello cæsus quæ supersunt, exposce. fel gusta propter gustum, aceto potare, sputa require, colaphos accipe. fac, spinis, hoc est piæ vitæ asperitate, coroneris. coccinum induas, arundinem accipias; denique prompto animo simul crucifigaris, moriaris, sepeliaris, vt simul quoque resurgas, glorisque doneris, ac regnes, Deū, quantus est, conspiciens, vicissimque conspectus ab eo, qui in Trinitate adoratur.* Insignis planè locus. & nota in primis, quod ait, nos exposcere debere reliqua flagella, quæ Christo supersunt, iuxtà illud Pauli: *Adimpleo, quæ desunt passionis Christi.* dicamusq; cum illo: *Quoniam & ego in flagella paratus sū.* Vide etiam quid sit imitari coronam spineam, vitæ scilicèt asperitatem sequi, &c.

Christus pulchrè per omnia imitandus.

Ex Oratione XXXVIII. In S. Lumina.

1 DE Christi baptismo, simul & Epiphania, quia in eundem incidunt diem, elegantèr agit. ac de baptismo quidem sic: *Rursùs mysterium, nec indecorum, ac gentilis erroris, & temulentiæ; sed mysterium excelsum, ac diuinum, & supernum splendorem concilians. Sanctus hic luminū dies pro principio, Christi, hoc est veræ lucis, baptismum habet, atq; adiumentum affert et lumini, quod ab initio sublimitùs acceptum peccati caligine obduximus: Accedite, inquit, ad eum, & illuminamini, & facies vestra vero lumine consignatæ non confundentur.* græcè σημειωθήτω. quàm fœlix eorum sors, qui hoc lumen, baptismalem videlicet innocentiam, nunquàm extinxerunt, iuxtà illud Apostoli monitum: *Spiritum nolite extinguere.*

Baptismi dies dictus sacra lumina.

Psalm. 33.

2 Natalis Christi celebritatem Ethnicorum festis, ac mysterijs opponit eruditè admodùm, & elegantèr: *Videte huius*

dici gratiam. an non è terra in altum sublati estis? an non in Cœlo perspicuè positi? non hic Iouis partus, ac furta, illius, inquã, Cretensium tyranni; nec Curetum soni, ac plausus, armataq; saltationes Dei vagientis clamorem obruentes, vt crudelem patrẽ effugeret; indignum erat eum, qui vt lapis deuoratus fuerat, eiulare. Rectè illudit Iouis natali, cui infanti Curetes eius nutritij armati Pyrrhicam saltationem instituisse dicebantur, & cum fistris, & crotalis egisse, nè eius vagitus audiretur, oblato etiam lapide; ac sic Saturni patris ingluuiem vitasse. at hic tripudium Angelorum fit, & quasi armatorum, nàm dicitur: *Facta est multitudo militiæ cœlestis laudãtium Deũ.* non tumultuosè crepitantium ebriorum.

Iouis natalis illuditur præ Christi natali

3 Pergit opponere hũc diẽ alijs Ethnicorum festis: *Nec Phrygum exectiones, & tibiæ, atq; Corybantes, & quæcumq; circa Rheam homines insani Deorum matri initiati peragunt.* Loquitur de Cybeles execrandis sacris, in cuius honorem se euirabant. at hic verè Dei matri potiùs dicantur virgines ipsæ. Sequitur: *Nec puella apud nos rapitur, nec vagatur Ceres, ac Celeos quosdam, & Triptolemos, & dracones iungit. pudet me nocturnum sacrum in diẽ, lucemq; proferre.* Alludit ad Cererem, dũ Proserpinam cũ facibus quæreret. at hic sancta sunt lumina. item ad currum Triptolemi à draconibus per aerem vecti, & triticum in terram disseminantis. at hic in Bethleem, hoc est domo panis, Angelorũ donatur panis, & frumentum electorum. Tùm nocturnis ijs sacris sic illudit: *Nouit hæc Eleusis, atq; illi tacitorum, ac sanè silẽtio dignorum sacrorum spectatores.* acutè, infame illud silentium in sacris Cereris dignum esse ait, quod sileatur. at hic Angelorum concentus auditur. Addit: *Nec Bacchi hæc mysteria sunt; nec femur, nec ebriorum chorus, & Thebanorum amentia, ac Semele tonitruum adoratur.* Rectè irridet Bacchi ortum, ex Semele matre à Ioue tonante percussa fulmine, eoq; suo femori insuto, & eius posteà Bacchi insana Orgia, atque thyrsos. at in hoc natali nihil non castum, integra matris virginitate, nihilque non sobrium.

Natalis Christi à gentilium sacris, & Bacchi natali quam dispar.

4 Commemorat & alia stulta, atque indigna Gentilium festa, quibus Christi natalem opponit: *Nec meretricis Veneris mysteria turpiter, & procreatæ, & cultæ; nec Phalli, & Ithyphalli, tùm gestu, tùm rebus fœdi, atq; obscœni; nec Taurorum feritas in hospites; nec aræ effusus Spartanorũ cruor, flagris se inuicem lacerantium, atq; hac vna in re malè viriles animos gerentium; à quibus Dea colitur, eaq; virgo.* Rectè Veneris turpitèr procreatæ, ex spuma scilicèt maris ortum taxat; & fortitudinẽ Laconum stultam, & inutilem in cruore spontè fundendo ad aram Tauricæ Dianæ. Subiungit: *Nàm Pelopis dilanationem esuriẽtes Deos satiantem quo loco pones?* de eburneo Pelopis humero nota est fabula. Addit: *Quo itẽ loco pones horrenda, et caliginosa Hecates spectra, ac Trophonis subterranea vaticinia, aut Dodonææ quercus deliramenta, aut Delphicæ tripodis præstigia, aut fatidicos Castalij fontis latices? quæ omnia hoc vnum vaticinari minimè potuerunt, nimirùm silentium suum.* Acutè irridet oracula Ethnicorum, quæ cum futura præuidere profiterentur, nõ præuiderunt se in aduentu Christi muta reddenda. vndè illud Plutarchi de oraculorum defectu. Sic & Mathematicorum diuinationes irridet: *Nec Caldæorum astrologia, & natiuitatum obseruatio res nostras eodem cum sideribus motu voluens; cum tamen ipsi quid futuri sint, cognitum habere nequeant.* Rectè natalem Christi cum stella, opponit Chaldæorum vanis horoscopis.

Festa gentilium stulta, vel fœda opposita nostris.

Oracula taxantur gẽtilium, quæ non præuiderunt suũ defectum sub Christo.

Horoscopi, & genethliaca taxantur

5 His addit: *Nec Thracum Orgia hæc sunt, à quibus religionem natam aiunt; nec Orphei sacra, & mysteria, quæ adeò ob sapientiam suspexerunt, vt eius lyram effinxerint fidium pulsibus omnia trahentem.* Rectè his opponit concinentes in Christi natali Angelorum choros, & cœlestem symphoniam. Subiungit: *Nec Mythræ iustum aduersus eos supplicium, quod eiusmodi sacris initiati sustinent.* Nẽpè qui Mythræ Persico more initiandi erant, anteà per varia supplicia spontè inflicta, & per opprobria probabantur, vt alibi dictum est. Præterea: *Nec Osiridis lacerationes, nec Isidis infortunia, atq; hircus Mendesij ipsis venerabiliora; nec Apidis præsepe, hoc est vituli Memphitici vecordia ad luxum abutentis.* Rectè opponit præsẽpi Ægyptio, vbi Apis bos colebatur, præsepe Christi, vbi bos potiùs velut adorãs erat. in eo præsepi Reges ipsi offerre solebant fœnum, quod si recusaret, ominosum habebatur. at in Christi præsepi Magi reges offerunt, non fœnum, sed aurum, &c. huc spectat illud psalmi: *In similitudinem vituli comedentis fœnum.* non quod verum putẽ, quod Rabbini aiunt, aureum illum vitulum ab Hebræis effictum verè fœnum comedisse, sed quod in deserto vitulum adorauerint aureum, positum in ornato aliquo præsepi, ac fœno fortassè itèm aureo apposito, qui representaret Apim, siuè bouem illum, quem Aegyptij adorabant.

Orphei lyra vilis est præ concẽtu Angelorum in Christi natali.

Mythræ sacris per varia supplicia initiati.

Apidis præsepi oppositũ Christi præsepe.

6 Deniquè ait: *Nec omnes ij honores, quibus Nilum dedecorant, illum, inquam, frugum parentem, vt ipsi prædicant, spicis camporum vbertatem cubitis metientem.* Aegyptij Nilum adorabant, quod is, cum imbribus carerent, inundans campos fœcundaret. ex mensura autem incrementi prænoscebant vbertatem. rectè appellat

Decus Idolis exhibitum dedecus est.

ho-

honores Nilo exhibitos, potiùs probra, & dedecora, cum nihil diuinitatis haberet, quapropter à Mose virga percussus cruentatus est.

7 Idololatriæ originem, causamq; demonstrat: *Mitto reptilium, & animalculorum honores, quibus sacra propria. dæmones quippè è paradiso exturbati, velut iàm infirmiores, gubernatrice mente abrepta, ianuaque vitiosis affectibus patefacta, Dei honorem ad se ipsos detorserunt; nec ferre poterant terrenos supernis bonis frui, cum ipsi è Cœlo corruissent in terras. ità persecutio cōcitata, ità Dei imago probro, et dedecore affecta.* rectè appellat *gubernatricem mentem*, tanquàm nauis clauum tractantem, quæ si dormitet, aut auferatur, animę nauis in scopulos allidatur oportet errorū, ac vitiorū. tùm vide diaboli inuidiā, ꝙ ipsius bonis in Cœlo nos terreni fruamur.

Dæmonum inuidia de donis amissis, & nobis collatis.

8 Item de idololatria sic: *Cum ad opificem & laudandum, & imitandum creati simus per bona opera, non solùm vitiorum sedes, & propugnaculum facti sumus, sed etiam Deos vitiorum patronos effecimus, vt peccatum non modò crimine careat, sed etiā diuinum censeatur.* Hinc adolescens ille Terentianus de stupro reprehensus, ostēdit Iouem in tabula depictū, Danaes virginis pudori insidiantem. tùm nota, quem ad finem creati simus, non solùm ad laudandum Mundi opificem, sed ad imitandum, bonitate scilicet, &c.

Idololatria inuenta ad vitiorum probrum tegendum exemplo Deorum

9 Ad mortificationem hoc pertinet: *Caro nubis cuiusdam instar, animæ lumen obscurat, nec diuini radij splendorem purè intueri sinit. quamobrem se quemq; prius purgare oportet, ac purum reddere, atque ità demùm cum puro consuetudinem habere.* Multò magis hac purgatione egēt, qui frequentèr ipsi Christo vniuntur per Eucharistiæ sumptionem, & indè illustrationes, velut è Sole lucis fonte excipiūt, iuxillud: *Accedite ad eū, & illuminamini.* Rectè autem carnem nostram nubi comparat; statim enim euanescit, ac dissipatur leui quolibet morbo, quasi vēto. nubes etiā est, vbi perturbationes quasi tonitrua tēpestatem cient. huc spectat, quod addit: *Cum, vt Zacchæus ille super sycomorū euectus fueris, mortificatis videlicet membris, quæ sunt super terram, atque humilitatis corpore superato, tum Verbum excipias.* & hoc ad Eucharistiæ sumptionem facit, quā mortificatio præcedat oportet. sycomorus ficus fatua dicitur; & Apostolus ait: *Nos stulti propter Christum.* & alibi: *Prædicamus Christū crucifixū, gētibus stultitiā.*

Caro nostra nubis instar diuini luminis radios intercipiens

10 Quid diebus festis maximè, sit agēdum, docet: *Dei memoria præcipuum festi caput est; nàm nec eorum sonum, qui in altero sæculo, in quo lætātium omnium habitatio est, festū celebrant, quicquam aliud esse censeo, quàm laudes eas, quibus Deus ab illis, qui in eam politiam admissi sunt, celebratur.* Vide, vt nos in terris quasi è regione alternatim cum ijs, qui in Cœlo sūt, choros agamus. hinc ait Dauid: *In conspectu Angelum psallam tibi.* græcè est, è regione, ex aduerso.

Festa celebrāda in memoriā, & laudem [illegible] in Cœlo

11 Quanta cum reuerentia de Deo loquendum sit, & Trinitas adoranda, docet: *Equidem lingua, & mente, & cogitatione perhorresco, quoties de Deo sermonem habeo. Deum porrò cum dico, vno, eodemque triplici lumine perstringamini: triplici quidem quantum ad proprietates, siuè hypostases, si cui hoc verbum magis placet, siuè personas, neq; enim de vocabulis dissidemus, quandiù syllabæ ad eandem sententiam ferant; vno autem quantum ad substantia, siuè essentia, hoc est diuinitatis rationem.* Rectè arguit eos, qui inutiles quæstiones, & lites faciunt. sic patrem filij causam appellare ex Patribus nonnulli solent. grecè αἴτιον, cum tamen propriè causa non sit, vt nunc loquimur, sed origo. est tamen in his omnis cautio adhibēda, nè ansa detur errandi. Tùm sic: *Spiritus sanctus ex Patre, non tamen filiationis modo, vt nec generationis, verum processionis. liceat perspicuitatis causa noua nomina fingere.* facit hoc pro Theologis, cum explicationis causa quibusdam formulis vtuntur verborum.

De Trinitate cautè, & cū horrore loquendum

Spiritui sācto processionis nomen competit.

12 Ostendit, cur homo creatus sit: *Cū Dei adorationem non solùm supernis spiritibus circumscriptam esse conueniret, sed etiam in inferioribus adoratores esse deceret; ac omnia Dei gloriam, cuius omnia sūt, implerentur: eam ob causam creatus est homo diuina manu, & imagine honoratus.* Vide quo fine homo creatus sit, & cur ad imaginem Dei, vt scilicet non solùm in Cœlis, sed in terris essent, qui Deum laudarent: *Vt omnia Dei gloria implerentur.* Præclarè igitur Ignatius noster Societatē instituit, hanc vocem vsurpans: Ad maiorem Dei gloriam: per Apostolicos viros omnes nationes quantumuis abditas ad eius adorationem, cultumq; excitans.

Homo creatus, vt vnà cum Angelis. Dei gloria capax esset

13 Natalis Christi excellentiam ostendit: *Magnum circa nos mysterium innouātur naturæ, Deus homo efficitur; & qui super Cœlum Cœli ad gloria suæ, & splendoris Orientem ascendit; in vilitatis, & humilitatis nostræ occasu celebratur; vt qui natura sua comprehendi non potest, intermedia carne, quasi velo quodam interiecto, nobiscum versaretur.* Rectè opponit splēdentem Orientem diuinæ gloriæ occasui vilis nostræ conditionis obscuræ, quam subijt. pulchrè etiam quasi velum carnem Christi dicit diuinitati oppassum, vt cum Deo versari possemus, sicut filij Israel Mosis vultui exsplendescēti velum imposuerunt. apud Indos quoque alicubi in more

Incarnatio quasi velū oppassum, vt cum Deo versari possemus

more positum est, vt ve'ati Reges subditos alloquantur.

14 Ill usum diabolum Christi humanitate demonstrat: *Aduersarius, qui nos diuinitatis spe obiecta, tanquàm illecebra quadam in fraudem induxerat. ipse quoq; carnis pratextu inescatur; vt, dùm quasi in Adamum impetum facit, in Deum incurrat.* Acutè ait, qui esca diuinitatis oblata nos cepit, eâ falsò promittens, esca Christi humanitatis est captus.

Diabolus nos inescans inescatus est per incarnationem

15 De Christi tùm natali, & Ephiphania, tùm baptismo sic pulchrè: *Cum stella cucurrimus, cum Magis adorauimus, cum pastoribus luce circumfusi sumus, cum Angelis diuinam gloriam prædicauimus; cum Simeone in vlnis accepimus. nùc verò aliud mysterium sequitur: animi voluptatem tenere nequeo. diuino furore corripior. Ioannis instar faustum nuncium profero, non quidem vt ille prodromus, cæterùm à solitudine veniens. Christus illuminatur, simul illuminemur; Christus baptizatur, simul descendamus, vt simul ascendamus.* Nota, qui verè celebrent natalem Christi, qui scilicèt vnà cum stella ad ipsum currunt, cum muneribus Magorû; itê qui in vlnis excipiunt, &c. Egregiè autem dicit, se enthusiasmo quodam ad hæc diuinitùs rapi. græcè est ἔνθεος γίνομαι, hoc est Deo plenus, afflatus, entheus fio. hæ veræ sunt ecstases.

Christi natale, & c. quomodò celebrandû velut ecstatice.

16 Christi exemplo docet, qualis debeat esse, qui concionatoris munus aggreditur: *Spectandum sedulò est, quis, & à quo, & quomodò baptizatur. purus videlicet à Ioanne, & tùm, cum signorum edendorum initium faceret: quia purgatio, & animi demissio priùs adhibenda; nec ante cõcionandi prouincia suscipiêda, quàm ad spiritalis, & corporeæ ætatis perfectionis ventum fuerit.* Acutè adnotat, Christum cum primùm aggressus est prædicationem, voluisse antè humiliari in baptismo: quia nimirùm is, qui hoc munus suscipit, debet priùs in humilitate exerceri, nè illud ad plausum, vt ferè nunc fit, suscipi videatur; & esse planè ablutus, & purgatus à terrenis, qui purgaturus est alios. Addit: *Tu ante lanuginem senes doces?* rectè arguit. nec obstat, quod Daniel iuuenis dicitur; nàm *nec birsùo vna ver facit, nec geometram vna linea, nec nautam vna nauigatio.* dispensatio hæc Dei fuit.

Concionator adultus & purgatus esse debet.

17 Exponit Ioannis ad Christum verba de baptismo Christi: *Ego debeo à te baptizari. Lucerna ait ad Solem, vox ad Verbum, maior inter natos mulierum omnis creaturæ primogenito.* Elegans antithesis per relata; Pergit item pulchrè: *Ego à te baptizari debeo, adde, & pro te; exploratum enim habebat, fore, vt martyrio baptizaretur.* acutè hoc dictum. Subiungit: *Et tu venis ad me? hoc quoq; propheticum: futurû enim, vt se priùs vita functum Christus sequeretur.* Iturus videlicet ad locum patrum, atque indè & illos, & Ioannem ipsum extracturus.

Ioannis humilitas

18 Exponit illud eiusdem Ioannis dictum: *Non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti. Quid calceamenti corrigia, quam non soluis, licet nouus Helias, licet plusquàm propheta? an fortasè aduentus, & carnis actionem, cuius nè extrema quidem explicari possunt, atq; ijs, qui spiritu Ioannem referunt?* Præclarè interpretatur, Incarnationis mysterium tantum esse, vt nè minima quidem, & vltima eius pars, per calceamentum indicata, explicari possit, etiam si alter Ioannes sis.

Incarnationis mysterium ineffabile.

19 De eodem baptismo sic pulchrè: *Iesus ex aquis adscendens, Mundum etiam secum in altum effert; ac Cœlos, quos Adamus, quemadmodum & paradisum gladio flammeo clauserat, aperiri cernit.* nempè dicitur: *Cœli aperti sunt.* Rectè, & egregiè flammeum gladium impedientem paradisi aditum extinctum indicat ijs aquis, quas humilitèr contra Adami superbiam Christus baptizandus est ingressus. & cû indè ascendit, Mundum quoq; purgatum, nempè in ipso capite, secum extulit illaturus Cœlo aperto. Tùm de columba Christi capiti insistente sic: *Spiritus deitatem testatur, nimirùm ad parem accurrit. olim diluuij finem, & columba renunciauit.* confer vtramq; illa cum oliuæ ramo, hæc cum Christo, de quo dicitur: *Oleum effusum nomen tuum.* nempè ideò Christus dicitur, quia vnctus est: *Vnxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* vtraque columba Deum placatum denotauit, & Mundi naufragium cessans.

Christus aquis sui baptismi extinxit flammeum gladium paradisi.

Columba Noe collata cum columba in Christi baptismo.

20 Numerat elegantèr admodùm, & pulchrè sex genera baptismi; primò mysticum illum, de quo dicitur: *Omnes baptizati sunt in Mose, & in mari.* deindè baptismum pœnitentiæ à Ioanne promulgatum. tertium perfectionem à Christo institutam in spiritu. *quartum baptismi genus noui, quod martyrio, & sanguine comparatur, quo ipse Christus baptizatus est; & quidem eò cæteris augustius, quod nullis post sordibus contaminatur.* Rectè hoc augustius dicit, quia post martyrium peccari non potest. *quintum locum lacrymarum baptismus tenet, verùm asperior, & laboriosior: Lauabo, inquit, per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meû rigabo.* Rectè asperum dicit, & laboriosû; quia diuturnius martyrij genus. adde, quod legunt alij: Natare faciam lectum meum lacrymis, scilicet vberrimis. Subiûgit de hoc baptismo, & lauacro, *cui ipsæ quoq; cicatrices vitij fœtent:* alludit ad illud psalmi: *Putruerunt, & corrupta sunt cicatrices meæ*, in tãtum autem peccator, cum

Baptismi sex genera

Psalm. 6.

Psalm. 37.

cū resipuit, odit peccatū, vt nō modò recentia vulnera lauet lacrymis, sed etiam postea quàm per confessionem remissa, & sanata sunt, cicatrices ipsas, hoc est, eorū speciem, & imaginem, & memoriam lacrymis prosequatur. hoc est *cicatrices ipsa ei fœtent*. De se autem hac in re sic humilitèr addit: *Hominem me fateor, animal mutabile, fluxæ, fragilisq; naturæ; atque hunc baptismum libentèr amplector, eiusq; donatorem adoro, alijsq; tribuo*. Vide, quo affectu, amplexātis modo, teneretur in hoc lauacrum, & baptismum lacrymarum rectè donum vocat. atque hoc Nouatianos arguit, qui se Catharos, hoc est mundos, purosque vocabant. Denique sic de sexto baptismi genere: *In altero suo igni fortassè baptizabuntur, qui postremus est baptismus*. Fortassè inquit, qui enim ex hac vita omninò purus decesserit, eo igni non indigebit. Porrò circà hāc purgationē B. Aloysius Gōzaga morti proximus Bellarminū, qui aderat, interrogauit, nū putaret quēpiā rectà in Cœlum tendere sine purgatorio igni? annuit ille, dixitq; se hoc de ipso benè sperare. accipiter solus, vt aiūt, rectà in sublime fertur, cum aliæ volucres obliquo cursu ferantur. Eucherius sanctos viros accipitri comparat se renouanti, de quo Iob: *Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad Austrum?* Spiritum sanctum intellige. Refert aūt Prophetę locū, & interpretatur: *Si peccato rubri estis, minusq; sanguinei, quasi nix dealbamini; si autem coccinei, atq; omninò viri sanguinum, etiam vsq; ad lanæ candorem peruenietis*. Apparet hoc in Paulo, Augustino, Ignatio nostro, &c. qui ad mirum sanctimoniæ, innocentiæq; cādorem migrarunt post conuersionem.

Iob.

Esa.

Ex Oratione XXXIX. De Baptismo.

1 DE triplici natiuitate sic: *Triplex natiuitatis genus agnoscit scriptura. primum ex corporibus, alterum ex baptismo, tertium ex resurrectione. primum seruum, & cum libidine coniunctum. alterum liberum, & depellendi vitiosas affectiones vim habens. tertium formidabile, creaturas cogens, vt creatori sistantur. has omnes natiuitates honore Christus afficit. primam per primam illam, & vitalem insufflationem. secundam per incarnationē, & baptismum. tertiam per resurrectionem, quam ipse auspicatus est, vt primogenitus ex mortuis*. Pulchrè distinguit, ostenditq; Christum singulas natiuitates honorare voluisse. formidabilem vocat vltimā natiuitatem, rectè, quia initium æternæ vitæ, vel mortis. huc refer illud Iob: *Expecto donec veniat immutatio mea*. legunt alij, natiuitas mea. & illud: *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies*. græcè etiā phœnix auis intelligi potest, præsertim cū de nidulo fiat mentio. Cùm addit: *Nos de media natiuitate, qui luminum dies dicitur, agemus*.

Triplex hominis natiuitas

Iob.

2 Elegans admodùm baptismi elogiū affert: *Baptismus splendor est animarum, spiritus affectatio, Verbi participatio. baptismus vehiculum ad Deum, fidei adminiculum, cœlestis regni clauis, seruitutis depulsio, vinculorum solutio*. Pulchrè baptismus dicitur, *vehiculum ad Deum*, siuè currus ὄχημα. certè non minus nobilis, quàm currus Heliæ igneus, licet hic per aquam. huc spectat Hieronymi expositio in illud: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*: instar aurigæ, inquit. pulchrè itē baptismus dicitur, *cœlestis regni clauis*. hinc in baptismo Christi: *Cœli aperti sunt*. sponsæ de more claues dabantur; & per Oseæ dicitur: *Sponsabo te mihi in fide*. quæ fides in baptismo recipitur. Addit egregiè: *Omniū Dei beneficiorum praeclarissimum, & præstantissimum baptismus est, nàm quædam ob præcipuam dignitatem dicuntur Sancta sanctorum, Cantica canticorum, &c. ità baptismus illuminatio dicitur, quod omnes alias illuminationes sāctitate superet*. hinc collige quam præclarum sit, hoc lumen semper accensum, & inextinctum seruare per totam vitam, nunquàm obnoxium tenebris peccati.

Baptismi elegās elogiū, vehiculum ad Deū, Cœli clauis, &c.

Baptismi mira excellentia

3 Varijs baptismum nominibus appellari dicit, vel ob gratiæ magnitudinem, vt solent amantes; vel ob multiplicem vtilitatem: *Baptismum donū vocamus, gratiam, vnctionem, incorruptionis indumentum, regenerationis lauacrum. sigilli baptismus dicitur, quia peccata in aquis sepeliuntur. vnctio, quia sacer, & regius est. indumentū, quia ignominiæ nostræ velamen. sigillum, quia conseruatio est, ac dominationis significatio. huic gratulantur Cœli, hūc Angeli celebrant ob splendoris cognationē. hic beatitudinis illius simulacrum gerit*. Vides, vt in baptismo quasi reges inungamur, & inauguremur. nihil igitur vile admittendum. item sigillum, domini enim est annulo signatorio vti; cauendum autē, nè bona animi hoc sigillo consignata resignemus, ac perdamus. quod autem ait: *Baptismus supernæ beatitudinis simulacrū gerit*; ob puritatem scilicet eius lauacri. puto ad hunc finem aquas super Cœlos positas, vt eo aspectu recreentur Beati, memores primæ originis felicitatis, hoc est baptismi.

Baptismus indumentū, & regia vnctio, &c.

4 Cum baptismum vocarit luminum diem, per varia luminum genera elegantèr, & pulchrè discurrit: *Deus summum*

Baptismus dies luminum.

&

& inaccessibile lumen est, hoc in intelligibilibus, quod Sol in sensibilibus. secundum lumen est Angelus primi illius luminis velut riuulus quidam, aut participatio, per ministerium illuminationem habens. tertium lumen est homo, quod externis etiam perspicuum est; φῶς enim idest lumen, præsertim ijs, qui Deo similiores sunt, propiusq; ad Deum accedũt. Præclarè incipit à Deo, quem rectè Solis instar dicit, quem vocat Iacobus *patrem luminum*. Tùm nota, Angeli, & Cherubim tanta scientia præditi quid sint, *illius luminis velut riuulus quidam*. tertiò homo ipse φῶς dictus est, scilicet lumen; est enim ratio in anima tanquã illa Aegypti turris clara lumine, Pharos dicta, dux itinerum. Vide ergò quàm dedecerat hominem, mancipium fieri principis tenebrarum: certè Sanctis quibusdã adhùc viuentibus lux effulgere solita, & promicare è vultu, vt Ignatio nostro, &c. apud Hebrços quoq; homo, siuè vir dicitur isc ab esc igne, cuius proprius est splẽdor. rectè iustis dicitur: *Vos estis lux Mũdi.*

Tria luminum genera Deus, Angelus, Homo.

5 Pergit ad alia luminum genera: *Aliud quoq; lumen agnosco, quo primigeniæ tenebræ depulsæ, aut intercisæ sunt: quæ diuisio Mundũ illuminat vniuersũ. lumẽ etiã erat illud primigenium mandatum primo homini datum, iuxtà illud: Et lumina præcepta tua in terra. lumen item lex scripta erat, quippè & Mosis vultu eo perfusus gloria afficitur. lumen erat in nube; lumen item, quod in columna ignis præibat Israeli, ac deserti asperitatem mitigabat. lumen item, quod Heliam in igneo curru rapuit: lumen insuper, quod tùm pastores circumfulsit, cũ lumen temporis expers temporali miscebatur. lumen quoq; pulchrum illud sidus præcurrens, vt & Magis via dux esset, & lumen illud sublimius nobis ad nos demissum, nobis coniunctum veluti stiparet. lumen item erat diuinitas illa discipulis in monte velut obiter ostensa. lumen visio illa, quæ Paulum splendore circumfudit, ac per oculorum plagam tenebris animæ medelam attulit. lumen etiam illius vitæ claritas, cum iusti fulgebunt sicut Sol, ac Deus in medio Deorum, & Regum stabit, beatitudinis illius gradus, ac dignitates distinguens, & diuidens. lumen postremò proprio, & peculiari modo est baptismi splendor.* Singula sunt hic egregiè dicta, sed in primis perpende illud de lumine, quod & pastores in natali Christi, & Paulum in conuersione *circumfudit*. græcè enim est περιέλαμψε, idest circũfulgurauit, vt fit in nube corusca, cum tonat: & rectè cum Verbum carne se, quasi nube tegeret fulgurante miraculis. Paulo quoque prædicationis tonitruum significatum est; de quo pulchrè ait: *per oculorũ plagam animæ tenebris lumen allatum.* nã dicitur, *nihil videbat*. Elegantèr quoque ait, luminosam Magorum stellam non modò ducem fuisse viæ, sed apparitoris munere functam. δορυφορῶν, hoc est satellitis hastati more fuit stipans regẽ, & protegens: at certè eius radij Herodem feriebant inuidum. & illud de dote corporum beatorum, claritate simul, & lumine gloriæ præclarè dictum est, quod iuxtà merita sicut maius, & minus est, ità per illud Deus *beatitudinis gradus, ac dignitates distinguet, & diuidet*. magis minusuè clara visione. proh quantus eius vrbis decor, cum *Deus in medio Deorum, & Regum stabit*. de Roma dixit Pyrrhi legatus, vidisse se Ciuitatem regum: quid si addas, etiam Deorum? per participationẽ scilicet. Denique nota ferè quindecim, quæ affert, luminum nomina. Lumen enim primò dicitur Deus, dein Angelus, tùm homo. lumen item consideratur in distinctione à tenebris; in mandato primi parentis, & in lege scripta, nàm dicitur: *In manu eius ignea lex.* in rubo, in columna deserti, in Heliæ curru, item circà pastores, & in stella Magorum, & in transfiguratione Christi, & in Pauli conuersione, & in dote beatorum claritatis, & lumine gloriæ, denique in baptismo. tãtùm est lucis decus quasi Dei primogenitæ, nàm primò dicitur facta, ac proindè in præcipuis mysterijs locum habet. apud Dyonisium Areopagitam plurima lucis priuilegia inuenies.

Lucis priuilegia, ac decora multa.

6 Deum solùm impeccabilem ostendit: *Omni peccati labe carere Dei est, primæque, & incompositæ naturæ; simplicitas enim pacata est, atq; ab omni dissidio remota. audacter etiam addam, & Angelicæ, quæ aut prorsùs extrà peccandi aleam est, aut ad id proximè accedit ob propinquitatem, quam ad Deum habet.* Si audet hoc dicere de Angelo, cur non ego audeam de eius matre? & si ratio affertur, quod proximè ille accedat, nempè ob *propinquitatem, quam ad Deum habet*. quæ maior propinquitas, quàm maternitas ipsa? ac certè in Canticis ei dicitur: *Veni amica mea, proxima mea.* quod igitur habet Deus per naturã, vt sit impeccabilis, hoc Angelus, & Deipara per gratiam, vt nõ peccarint. est autem admodùm acuta ratio, & pulchra, cur Deus natura sit impeccabilis; quia videlicet, cum peccatum sit ex deordinatione quadam, hæc non potest esse, vbi est mera simplicitas; at Angelus constat ex potentia, & actu. homo ex anima, & corpore. Quamobrem sic addit: *Peccare humana, ac terrenæ compositionis est: compositio enim est dissidij origo.*

Cur Deus sit impeccabilis.

7 Pergit in baptismi encomio: *Baptismus est collapsæ imaginis erectio.* Elegantèr ostendit, hominem fuisse factum, licet ex luto, & argilla, ceu quoddam Dei simulacrum pulcherrimum; quod veluti ter-

Baptismus est collapsæ imaginis Dei, ac simulacri erectio.

terræmotu concussum, vel aliquo impetu facto collapsum sit, semifractum humi iaceat; cuius eius fictor accedat, è terra eleuet, reficiat, in basi collocet. in integrum decorem, & statum restituat, hoc enim græca vox significat.

8 Ostendit seriò, quantum vinculum sit baptismus: *Baptismus pactum est rectè viuendi cum Deo initum; ac proindè nè illud violemus, maximo in metu esse debemus. cū enim ad mutua hominum pacta firmanda Deus medius adhiberi soleat, quantum periculum est, nè fœdera cum Deo ipso contracta perfregisse reperiamur, ac mendacij rei apud veritatis tribunal pertrahamur?* Rectè arguit. si pacta, & fœdera cum hominibus contracta violare nefas est, quia Deum testamur, quantò magis in eo pacto, quod immediatè cum ipso Deo contrahitur in baptismo, de eius præceptis seruandis? hoc ad religiosos maximè spectat, ob vota edita, & pacta cum ipso Deo, si ea non obseruarint, ac multò magis si sæculum repetant, perhorrescant, & hæc verba mente pertractent: *Quātum periculum est, nè fœdera cum Deo ipso contracta perfregisse reperiantur, ac mēdacij rei apud veritatis tribunal pertrahantur?*

Baptismus est pactū, & fœdus initum cū Deo.

9 Baptismi gratiam amittere per peccatum, quantum malum sit, ostendit: *Cum nulla post hac sit altera regeneratio, ac reformatio, quantumuis eam multis lacrymis requiramus, quibus licet cicatrix ægrè tandèm obducatur; obducitur enim, atq; vtinā ipsa vulnerum nota deleantur: præstat tamen secunda purificatione non indigere, sed in prima consistere, quæ communis est, & labore vacua. graue est proiecta misericordiæ gratia, supplicijs te ipsum obnoxium reddere, atq; admissa peccata correctione vitæ compensare: quantam enim lacrymarum vim impendemus, vt ea cum baptismi fonte exæquari possit?* Vide quanta fœlicitas sit, post baptismum non peccare, nàm etiā si posteà resipiscas, remanet cicatrix vulneris, inclinatio scilicèt ad peccādum, & species, & imago peccandi sordida obuersatur sępè menti. & licet peccata commissa fleas, rectè ait, immensam quandam vim lacrymarum requiri ad ea obliteranda, atque delenda; nec tamen istæ lacrymarum aquæ, adeò puræ sunt, vt aquæ baptismatis, quia hoc sacramentum est. Deindè affert aliam rationē, cur primæ gratiæ iacturam facere non debeamus, spe correctionis: *Quis autem nobis præstabit, vt vitæ finis curationem expectet, ac non potiùs ære alieno pressos, atq; ignis ardore opus habentes tribunal illud suscipiat?* Rectè monet, quia nescimus ob incertitudinem vitæ verùm tempus corrigēdi detur.

Post baptismum peccare quantum damnū sit.

Non est peccandū spe veniæ ex pœnitentia.

10 Ostendit, qua ratione tentationi resistendum sit: *Si te luminis persecutor post baptismum adortus fuerit, vt certè adorietur, nàm & Verbum, & Deum ausus; lumē illud, inquam, absconditum habet, quo eum superes; aquam, & spiritum oppone, vt ignita illius praui tela extinguantur.* Præclarum monitum. tentatio ignitum telum diaboli est; cum igitur tentat, oppone baptismi, seù lustralis aquæ memoriam, cum Deo militare, & obedire promisisti; quid enim igni tàm inimicum, quàm aqua? hoc prorsùs est, quod ait Apostolus: *Sumentes scutum fidei.* id est memoriæ baptismi, vbi primùm fidem professi sumus: *In quo possitis ignea tela nequissimi extinguere.*

Memoria aquæ baptismi extinguit ignea tela diaboli.

11 Tentationem Christi in deserto post baptismum exponit: *Mitte, inquit, te deorsum. Si hoc euicerit, nequaquàm hic consistet, expleri non potest, ad omnia grassatur.* Vide quàm perseuerans, & infatigabilis sit in pugnando diabolus.

Diabolus infatigabilis in tentando.

12 Diaboli vafritiam ex eius verbis colligit: *Scriptum est, inquit, Angelis suis Deus mandauit de te, &c. ò vitij sophista, cur id, quod sequitur, suppressisti? Super aspidem, & basiliscum ambulabis, &c.? id .n. intelligo, etiam si reticeas.* Acutè arguit, ac rectè appellat *vitij sophistam*; nempè sermone doloso, ac fallaci irretire studet; sicut initio fecit cum primis parentibus.

Diabolus vafij sophista.

Diaboli astutia in tentando Christo.

13 Exponit egregiè illud: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Si tibi regna omnia diabolus ostendet, eum vt pauperem contemne. dic signaculo fretus: Ego quoq; Dei imago sum; nondùm, vt tu, de superna gloria ob superbiam deiectus. Christo indutus sum, in Christo transmutatus sum. tu me potiùs adora. His verbis mihi crede, vt à Christo primo lumine, ità ab ijs, qui ab ipso illuminati sunt, victus, ac pudefactus recedet.* Præclara, & generosa vox in tentationibus vsurpanda contra diabolum. ac rectè eum, ostentantem licet Mūdi regna, eiusq; gloriam, appellat pauperem, nàm & apud Iob dicitur: *Faciem eius præcedit egestas.*

Diabolo tentanti quibus verbis respondendū sit.

14 Baptismum quamprimùm suscipiēdum esse dicit: *Nè beneficium tanquàm iniuriam differamus; nec expectemus, vt plura peccata congeramus, vt plura nobis condonentur; nec Christo cauponum, & negotiatorum more abutamur; nec grauiore onere deprimamur, nè vnà cū naui demergamur, et gratiæ dona per naufragiū amittamus, omniaq; perdamus.* Quod hìc, & in sequentibus de non differendo sacramento baptismi dicit, idem de sacramēto pœnitentiæ dici potest. vtraq; metaphora, & nauis, & cauponis, seù negotiatoris aptè ponitur, dum debito soluendo fit mora.

Sacramento baptismi, seu pœnitentia nō differenda.

15 Idem sic elegantèr vrget: *Quandiù mente integra es, accurre; quandiù lingua non titubat, nec sacræ initiationis pronunciandæ vim, & facultatem amisit; quandiù*

fidelis effici potes, non hominum coniectura, sed argumento explorato, & certo: non miserationem mouens, sed gratulationẽ; quando perspicuum tibi donum est, non autem obscurum, & dubium; & Gratia intimos animæ sinus attingit. Hoc nihilominùs ad pœnitentiæ, & confessionis sacramentum pertinet, nè differatur ad vltimum vitæ, quod in Ecclesiaste per varias metaphoras pulchrè ostenditur: *Memento Creatoris tui, antequàm veniat tempus afflictionis; antequàm obtenebrescant Sol, & Luna; antequàm rumpatur funiculus argenteus, &c.* & rectè ait, cum quis de sua salute decernit in mortis articulo, dubium relinquere, an verè contritus decesserit. difficilem tunc aditum inuenit Gratia, vt intimè penetret animam: impedit enim vis morbi, impedit sollicitudo, dispositio bonorum inter hæredes, &c.

Differre sacramentum pœnitentiæ, &c. ad finem vitæ, periculosum est.

Eccl. 2.

16 Pergit item elegantèr suadere non differendum baptismum: *Quandiù corpus non funebri aqua abluitur, quandiù non circum te lacrymæ discessus indices.* Acutè, & pulchrè hoc dicit, indignum videlicèt esse confundere sacras aquas baptismi cũ prophanis aquis; vt tunc sacro lauacro tingaris, cũ corpus partim lacrymis amicorum aspergitur, partim post mortem aquis de more abluitur. itá etiam ego dicã de lacrymis pœnitentiæ, nõ esse diffendas, & confundendas cum lacrymis amicorum in morte, &c.

Baptismus, ac pœnitẽtia nõ differenda ad finem vitę.

17 Et hæc ad baptismi, seù pœnitentiæ sacramenti moram tollendam faciunt: *Quandiù lateri tuo non hæret medicus sine arte, horas tibi largiens, quarum potestas apud ipsum non est, capitisque nutu velut ad lancem expendens, ac de morbo post mortem disputans, aut recessibus suis mercedem augens.* Pulchrè, & acutè dictum. medicus nutu capitis vtitur arterias tangens, febrim vestigans, & ille nutus quasi nutus lãcium in libra est. cum potiùs de mortis, & iudicij examine, vbi omnia expenduntur ad libram, agendi tunc tempus sit. notat, & carpit etiam medicum, qui spem viuendi semper tribuit, ac fallit ægrum morientem, totus in lucro est, &c. medendum igitur est ægræ animæ per pœnitentiam, antequã opus sit medico corporis fallaci.

Medendã animæ ægræ antè curam corporis per medicum fallacem.

18 Ostendit item impedimẽta in morte, quæ obstant, vt baptismus piè suscipiatur, quod idem ad pœnitentiæ sacramentum refer: *Quandiù inter baptizantem Sacerdotem, & quæstuarium nulla pugna est; dùm ille morientem viatico instruere, hic hæres scribi contendit, nec vtrumque per tempus licet.* Vide quàm hęc opposita sint. itáque sic vrget: *Quid febrim expectas, quæ eo te beneficio afficiat, ac non Deum? quid tempus, ac non rationem? quid opus est, vt de exitu tuo ab alio fias certior, ac non potiùs de eo, vt præsenti cogitas? tibi ipse medere. inter gratiam, & mortem temporis aliquid intercedat; vt non solùm tibi praua literæ deleantur, sed etiam earum loco meliores inscribantur; nec solùm gratiam habeas, sed & pretium; nec ignis tantùm supplicium effugias, sed & gloriæ hæreditatem possideas, quam negotiatio dono adiuncta conciliat. paruis quidem, & abiectis animis amplum est vitare peccatum; at magno, & excelso animo præditi ad mercedem aspirãt. tres enim sunt classes eorum, qui saluantur, seruorum, mercenariorum, & filiorum. si seruus es, plagam metue; si mercenarius, mercedem dumtaxat specta. sin autem supra hoc assurgis, filius es, patrem verere, ac bonis operibus stude; quia bonum est obtemperare patri, etiam si ex ea re nihil quæstus ad te rediturum sit, quia hoc ipsum merces est, patri obsequi.* Egregiè distinguit triplex saluandorum genus; ac vilis animæ esse ostendit, satis habere, quod non æterno igni dãnetur. at Dauid dicit: *Qui exaltas me de portis mortis.* non ait, qui liberas tantùm, vt adnotauit Chrysostomus: curandum est enim, vt cum magna gloria Cœlum intremus. magnas; & multas merces nunc comparemus, quod nonnisi longa negotiatione fit. rectè etiam indignam rem dicit, in hac vita tandiù nos carere velle præclarissimo gratiæ dono, ac satis habere, si in morte eam aspiremus, vt nullum spatium interceda; inter vitiorum sordes ablatas, & gratiæ receptionem. rectè etiam monet, vt antequã à medico tibi mors indicatur, tu ipse de morte cogita, & res tuas disponas. Itáq; addit: *Absurdum est, cum ad benè de alijs merendum promptus sis, de te ipso benemereri nolle.*

Abiecti animi est egredi ex hac vita sine peccato, nisi etiã cum præclaris meritis.

19 Item moram omnem excludit: *Omne tibi tempus ad lauacrũ aptum est, quandoquidem nullum tempus mortis periculo vacat: Ecce, inquit, nunc tempus acceptabile est, &c. vbi, nunc, non certum aliquod tẽpus, sed omne designat. tibi ait diabolus: Da mihi præsens tempus, futurum Deo; mihi iuueniles annos, Deo seniles; mihi voluptates, Deo corpus effœtum, nullisque viribus aptum.* Sic illudit: interim mors nec opinantem occupat varijs casibus. Vide quã peruersus sit diabolus: sibi reponit, quod certũ est, & quod primũ præcipuũ in vita, Deo autem, quod vltimum, & ineptius.

Diabolus quibus verbis illudat mundanis differendo pœnitẽtiã.

20 Docet fructum baptismi: *Pecus signata non facilè insidijs appetitur, sed quæ non signata, à furibus rapi facilè potest.* Vide quàm periculosum sit hanc notam, & hoc signaculum peccando violare. hinc fit, vt sæpè Christianus vix discernatur ab infideli. adeò per peccatum signaculum illud baptismi violatur, ac proindè furto diaboli fit ouis obnoxia.

Christianus ouis est per baptismum signata.

21 Arguit eos, qui differunt baptismũ

sub

fub prætextu, nè fortè poſt acceptum incidant in peccatum, & ei iniuriam inferant: reſpondet acutè. Non igitur deberes fieri vnquàm Chriſtianus, quia periculum eſt, nè in perſecutione recedas à fide. itaquè ſic præclarè vrget: *O incautam cautionem, ô magnas praui illius verſutias. timet te cum armis dimicantem, ob id charifmate te ſpoliat*. Hoc idem dici poteſt contra eos, qui confeſſionem differunt, ſub prætextu, quod vereantur, nè iterùm in ea peccata caſuri ſint. timet ſcilicet diabolus, nè per gratiam acceptam contra ipsū armentur, ac muniantur.

Nullo prætextu differendum ſacramentum pœnit. vel bapt.

22 Oſtendit omni ætati competere baptiſmum: *Baptiſmus omnes ætatum gradus attingit. iuuenis es, contra turbulentos animi motus cum auxiliaribus copyjs in acie ſta; in Dei phalange nomen profitere*. Vide quàm longè abeſſe debeat iuuenis à delicijs, otio, & illecebris. in caſtris verſatur accinctus ſemper ad pugnam paſſionum, &c. itáq; addit: *Ità flore ætatis fruere, nec tuam iuuentutem marceſcere ſine*: hoc item referri poteſt ad religioſum ſtatum, vt ætatis flos Deo dicetur. quò ſpectat præclarum monitum, quod ſubiungit: *Omnia tibi pereant, pecuniæ, throni ſplēdores, ac cætera, quæ incertæ, & inſtabilis vitæ ſunt. tu verò tranquilla mente diem vltimum claude, nullo auxilio deſtitutus eorum, quæ tibi ad ſalutem Dei beneficio cōceſſa ſunt*. At tranquillè mori vbi nàm licet magis quā in religione? ſic igitur hæc maximè ætas ad eum ſtatum hortanda eſt: *Iuuenis es? in acie ſta, in Dei phalange nomen profitere*.

Iuuenis tēper omnibus ſit contra vitia.

Iuuentus Deo dicanda.

23 Pergit ad alias ætates: *Senilem ætatem agis? canitiem tuam venerare, paucis bis diebus tibi ſuccurre. turpe eſt, tu cum ætate ſenueris, libidinem tamen minimè cōſenuiſſe*. Rectè arguit, inter capitis niues, languido corpore, hoc vitium exardeſcere, ac vigere.

Senex minimè probus taxatur.

24 De infantibus baptizandis ſic: *Infans tibi eſt? ab infantia ſanctificetur, ab ipſis vnguiculis ſpiritui conſecretur. an propter imbecillitatem naturæ ſigillum metuis? at Anna Samuelem prius etiā quā natum Deo promiſit. nihil tibi cum amuletis, & incantationibus. Trinitatem ipſi da, magnum illud, & pulcherrimum amuletū*. Rectè infantiam ipſam Deo dicandam dicit, ac Trinitatis potiùs tutela, quàm præſtigijs infantem defendendum: græcè περίαμμα ſignificat res collo circumligatas, quæ ſuperſtitioſè ſuſpendūtur infantibus; quod qui agunt parentes, ſe potiùs ſcelere obſtringunt. ἐπᾴσμα verò incantamentum ſignificat, & cantiunculas nutricum, quibus ſæpè ſuperſtitioſa verba intermiſcent contra ſtriges, ac lamias. Trinitatis verò fidem elegantèr, *Magnum, & pulcherrimum amuletum* appellat, græcè φυλακτήριον à cuſtodiendo ſic dictum; & mēbranulæ erant, in quibus ſcribebant verba, quæ vim cuſtodiendi habere putabāt. at id potiùs baptiſmi verbis tribuendum. eadem vox ſtationem, vigilum excubias, munimētū, præſidiū ſignificat, cuiuſmodi arx, & propugnaculū eſt fides Trinitatis.

Infantium ſuperſtitioſa amuleta taxantur.

Trinitas magnum, ac pulcherrimum infantium amuletum.

25 Cum omni ætati congruere baptiſmum oſtenderit, addit omni ſtatui: *Virginitatem colis? baptiſmo conſignare. hic tibi & vitam, & verba moderetur, omnia mēbra, omnes animi motus, omnes ſenſus. hic te ornet, & capiti tuo coronam gratiarum nectat, & corona delitiarum protegat te*. Pulchrè ait, per baptiſmum nos coronari corona duplici, altera gratiarum, quaſi gemmata, aureaquè, altera quaſi florea deliciarum; illa ad regiam dignitatē ſpectat, vt nihil vile admittamus; hæc ad veram voluptatem rerum cœleſtium. Addit, baptiſmum etiam conuenire coniugio; quod tunc purum eſt, cum è pari conſenſu aliquid orationi tribuitur.

Duplex corona baptiſmi.

26 Alios quoque ſtatus baptiſmo idoneos dicit: *Quin ſi in poteſtate, & imperio es, frænum accipe*. Rectè frænum appellat; coercet enim dominum ab iracundia hæc cogitatio, ſeruum eodem ſigillo Trinitatis conſignatum eſſe, quo eſt ipſe. quāquam & omnium cupiditatum frænum eſt baptiſmi cogitatio, nè vt effrēnes, & indomiti equi in præceps agamur. Tùm de ſeruis: *Qui ſeruitute premeris, æquum honoris gradum accipe cum hero*. eſt certè hoc magnum eius conditionis ſolatium.

Baptiſmi accepti memoria frænum eſt paſſionum.

27 Reſpondet rursùs ijs, qui idcircò ſe baptiſmum differre dicebāt, nè iterùm inquinarentur peccando, præſertim cum inter ſæcularia negotia verſarentur, vbi facilè labi eſt. hortatur itaque ampliſſimis verbis, vt omni impedimento ſe ſoluant: *Forum quoque ipſum, ſi fieri poteſt, cum pulchro comitatu fuge, aquila, ſeù potiùs columbæ pennis tibi circūpoſitis, nec antè conquieſcas, quàm eò perueneris, vbi peccatum non eſt. abripe animam tuam ex hoc Mundo, incendium fuge, irretorto oculo gradere, nè in ſalis lapidem concreſcas, in montem ſalutis cauſa te confer*. Pulchriùs, & efficaciùs dici non potuit, quod ad ſæculi fugam pertineat. magnam vim habent hæc verba ad religionis ingreſſum, vt quaſi aquilæ, vel columbæ pennis acceptis euolemus ex inſidijs ſæculi; & ex eius incendio ſicuti Loth euadamus. vbi nota, licet Loth territus labore montis aſcenſus, impetrarit ab Angelo, vt in Segor parua ciuitate tutus remaneret, tamen vbi propinquare flammæ vim ingentem vidit, nec reuelationi ſiſum in montem profugiſſe: ità quātumuis ſcires in ſæculo te ſaluandum, religioſæ perfectionis culmen ad maiorem ſe-

Mundus fugiendus inductis aquilæ, vel columbæ pēnis.

securitatem præstat ascendere. quod ait: *Fuge, columba pennis tibi circumpositis, nec ante conquiescas, &c.* alludit ad verba psalmi: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?*

Psalm. 20.

28 Ostendit, nō quia necesse tibi sit esse in sæculo, hoc est inter pericula peccandi, ideò esse peccādū, saltē grauitèr: *Quod si nō datur in montem ascendere, præstat certè in publicorum negotiorum procuratione non nihil interdum sordium contraxisse, quàm omninò à gratia excidere; quando satius est à patre, vel hero obiurgari, quàm à domo ejci.* Nota discrimen inter peccatum veniale, & mortale.

Etiam sęculares abstinere possunt à mortali peccato.

29 Præclarè ostendit, nullum statum excusari à bono, quippè non nunquàm sęculares, & negotijs impediti antecellere solent virtute ijs, qui ea impedimenta nō habent: *Plerumque accidit, vt qui in ciuili vita, & in medio posita aliquid honestè, & ex virtute fecerit, in meliore causa sit, quā qui publicis muneribus feriatus officio suo perfectè functus non fuerit; quemadmodum mirabilius est hominem compedibus vinctum progredi, quàm nullo onere impeditum currere; aut eum, qui per cœnum incedit, leuiter aspergi, quàm per purum iter non inquinari. argumento est Rahab meretrix, cui alioqui parum laudatæ hospitalitas illa iustitiæ laudem attulit; & publicanus, quē vna tantùm humilitas extulit.* Est certè hoc admirabile in nonnullis sæcularibus, vt virtute, ac pietate religiosos ipsos superent. de quibus dicas admirabundus illud Iob: *Nunquid currere possunt in petris equi?* scilicet inter tot impedimenta sæculi velocius nobis currunt in stadio virtutis.

Nonnulli sæculares præeunt religiosos virtute.

30 Respondet obiectis differentium baptismum. Satiùs aiunt esse serò accipere, nàm qui vltimi venerunt ad vineam æquam acceperunt mercedem. At ibi nō agitur de baptismo, sed de labore in Ecclesiæ vinea, qua in re meliores inuenti sunt vltimi, quàm primi: *Primi enim non priùs crediderunt, nec ingressi sunt, quàm ipsis merces constituta fuisset; hi verò nulla condicta mercede, ad laborem accesserunt: ad hæc illi inuidæ, & ad murmurādum procliuis naturæ esse inuenti sunt, his nihil tale obijcitur.* Acutè adnotat cur primi operarij tandiù laborando non plus meruerint, quā vltimi. nēpè illi magis mercenarij visi sunt; audierunt enim priùs de denario, de pecunia determinata, & certa: at vltimis tantùm dicitur: *Quod iustū fuerit, dabo vobis.* ad libitum Domini contēti fuerunt. Addit; etiam si intelligas de baptismo, hi vocati tempus habuerunt ingrediendi vineam, sed quis te certum reddit differendo post diuturnum tempus ingressurum, cū tot sint humanæ vitæ casus?

Cur primi operarij non plus meruerint, quam vltimi.

31 Dices: sufficit, si intereà desiderium habeam baptismi. Respōdetur: at ità ego dicam: *Sufficiat tibi ad gloriam gloriæ cupiditas, cum tu gloriam ipsam differri nolis,* excusas scilicet, vt ait Propheta, *excusationes in peccatis. luminum, inquis, diem expecto, Paschatis diem pluris facio, Pentecosten expecto. quid posteà? veniet repentè finis in die, quem non expectas, ac tū aduenset quasi malus viator penuria gratiæ.* Idem planè de his, qui differunt cōfessionem, dici potest: dùm moraris vsque ad diem Paschatis, quem expectas, pręueniet te dies mortis, quem non expectas. & vide quàm parca sit gratia in ijs, qui eam nōnisi in morte quærunt, cum alioquin Apostolus vocet *diuitias gratiæ.*

Non sufficit desiderium tantū bene agendi, sed non differendū.

32 Excitat ad baptismum quamprimū suscipiendum: *Instar cerui magna celeritate in siti ad fontes accurre; nec, quod poetæ fabulantur, in medio fonte siti crucieris.* ad Tantalum alludit. Affert Eunuchi reginæ Cādacis exemplum, qui oblata aqua ait statum: *Ecce aqua, quis me prohibet baptizari? temporis igitur occasionem arripe.* idem de cæteris actibus bonis dicendum. pulchrè autem ad baptismum accedentes, quasi ceruos dicit, qui hausto serpentis veneno, siticbundi ad fontem, accurrūt. ità & nos originalis peccati veneno per antiquū serpētē accepto ad fōtē baptismi.

Sitibundi cerui more ad aquam baptismi currendum.

33 Item moram omnem abrumpit à bono opere: *Miserum est, cum nundinæ effluxerint, negotiationem quærere.* Rectè monet. mercatus est quidam hæc vita, vbi lucri opportunitas datur; igitur *Nè tardetis ad gratiā, sed celerate; nè Latro vos antecedat, qui per vim in regnum irrupit, ac rapuit. vltrò enim vim patitur, & propter bonitatem, tyrannidem suffert.* græcè est Τυραννεῖται. pulchrè ait. Cœlorum regnum quia bonitate, & pietate plenum est, libètèr sufferre, vt à nobis quasi tyrannicè capiatur; nàm tyrannus proprius dominus non est, sed vi rapit: ità nec nobis Cœlum debetur. sed vide quanta vi opus sit, vt illos muros deturbes, *qui quasi ex ære fusi sunt,* vt ait Iob. rectè autem hanc vitam nundinarū tempus appellat, quando multum lucrari licet. Nulla autem negotiatio maior, quàm salutis; nullum emporiū, aut veteris Græcię mercatus conferendus.

Præsens vita nundinæ, & mercatus est.

34 Excusationem differendi baptismū tollit: *Turpe est dicere: Vbi est munus, quod propter baptismum offeram? vbi splendida vestis, in qua explendescam? sublimius est hoc sacramentum ijs rebus, quæ in aspectum cadunt; teipsum offer, Christum indue. nihil apud Deum magnum est, quod non pauper donare possit: qui promptior, & alacrior est, idem ditior est.* Nota, fuisse solitos in baptismo munera offerre, & splendida veste indui: sed rectè monet, eam esse verè splēdidam vestem, de qua loquitur Paulus: *In-*

Mos in baptismo splendida indui veste.

Induite Dominum Iesum Christum. & verè acceptum munus esse, seipsum offerre.

35 Eorum quoque excusationem reijcit, qui Episcopi opportunitatem dicebāt se expectare non contenti quolibet Sacerdote: *Nè dicas: Baptizet me Episcopus, atq; is metropolitanus, aut Hierosolymitanus; non enim locorum est Gratia, sed spiritus. sint enim duo annuli, alter aureus, alter ferreus, æquè ambo eandē Imperatoris imaginem insculptam habeant, ac deindè ceram imprimant; quid tandem hoc signum ab illo differt? sic in baptismo, quisquis tibi initiator est, modò eadē fide informatus sit.* Egregiè ostendit exemplo hoc, annulum, siuè aureum, siuè ferreum, modò imaginem imprimat Imperatoris, nihil pertinere ad valorem impressæ rei. nām ideircò Ioanni Baptistæ reuelatum est de Christo: *Hic est, qui baptizat*; vt adnotauit Augustinus. & nota, Hierosolymæ in primis Episcopum exoptari solitum ob reuerentiam, puto Christi passionis, sed pulchrè ait: *Nō est locorum Gratia, sed spiritus.*

Baptismus æquè confertur à simplici sacerdote, ac ab Episcopo, vt imago Imperatoris similiter in ferreo, ac in aureo numo honoratur.

36 Præclarum est hoc de confessione monitum: *Peccatum tuum confiteri graue non ducas, vt per huius vitæ pudorem futuræ ignominiam effugias. ac perspicuum facias, te seriò, atq; ex animo peccatum odisse, ac detestari, dum illud tanquàm contumelia dignum traducis, deq; eo triumphas.* græcè pro, traducis, est παραδειγματίζων, quod est ostentui habere, in exemplum opprobrij omnibus proferre, infamare. itā dum confitemur, palàm facimus peccatum, vt rem detestabilem, & ignominia notādam. pulchrè autem in confessione triumphum agi dicit, vbi peccata more captiuorum vincta ducuntur, & passiones domitæ, atq; subiectæ. eodem modo loquendi vsus est Apostolus loquens de Christi victoria per crucem: *Delens chirographum, quod contra nos erat, & affigens illud cruci. & expoliās Principatus, & Potestates traduxit confidenter palàm triumphans illos in semetipso.* Sic in libro Numer. dicitur: *Suspende principes contra Solem.* si igitur confessio triūphalis est, quid ea nobilius? cur pudeat quasi rei probrosæ?

Peccatum per confessionem velut in triumpho captiuum ducitur.

Colos. 2.

Num. 4.

37 Pulchrè de probatione, quæ baptismum antecedit: *Catechismus velut lapis quidam Lydius est, ad quem exploratur, quā syncero quisq; pectore ad baptismum accedat.* Idem de tyrocinio dixerim, quo probatur tyro ante professionem in religione. Hinc tot illæ probationes ad experimentum virtutis institutæ ab Ignatio nostro in nouitio: *Est enim quidam lapis Lydius, ad quem exploratur, &c.*

Probatio virtutis quasi lapis Lydius est.

38 De affectu, & studio erga salutem propriam in baptismo suscipiēdo sic: *Nec maris spatia, nec ignem, si adhibeantur, reformides, quò gratiam consequaris.* præclara vox. Gratia tātùm bonum est, vt si traijcere maria oporteat, per medios fluctus, imò per medios ignes quærenda, & acquirenda esset. sed quàm facilè inueniatur, ostendit ex verbis Esaiæ: *Sitientes, inquit, venite ad aquas; & qui non habetis argentum, &c. ò facilem contrahendi rationē; tantum bonum sola voluntate venale proponitur; cupiditatem ipsam Deus ingentis pretij loco habet. sitit sitiri; cum ab eo beneficium petitur, beneficio afficitur.* Rectè, nā contra de Achaz, qui offerenti ait: *Non petam*, dicitur, *Quia molesti estis & Deo meo.* molestiam exhibemus Deo, non, vt fit inter homines, petendo, sed tacendo; nil postulando à tàm diuite largitore bonorum. itàq; addit: *Iucundius ipse dat, quā alij accipiant.* Illud autem pulcherrimè dictum de Deo: *sitit sitiri.* mirum dictum, fons vberrimus sitit, & tūc arescere videtur, cum nemo accedit ad hauriendum. hine est, vt in cruce clamarit, *Sitio.* quid sitiebat nisi vt nos cum sitiremus? ad eius vulnera os admoueremus? audi Prophetam: *Haurietis aquas de fontibus Saluatoris.* meritò igitur hic Gregorius exclamat: *O ingentem benignitatis celeritatem, &c.* & ideò addit: *Caueamus, nè exigui animi parua, et indigna Dei liberalitate petamus.* Indignum scilicèt est, terrena petere, ac temporalia ab eo, à quo possis impetrare cœlestia, ac diuina, atq; æterna. quò item spectat, quod subiungit: *Beatus, qui licet iuncorum torrens sit, de domo tamen Domini irrigatur, atq; ex iuncifero frugifer efficitur.* Alludit ad locum illum Prophetæ: *Egredietur fons de domo Domini, & irrigabit torrentem spinarum.* ipse legit, iuncorum. certè Christum quidā iuncis marinis acutissimis coronatum putant. huiusmodi iuncorum torrens peccatores sunt, ob multitudinem itā dicti, quos tamen irrigare dignatur fons diuinæ benignitatis, & gratiæ; cuius fontis ea vis est, vt possit iuncos in fruges conuertere, vt peccatores euadant homines frugi.

Esa. 55.

Beatitudo sola voluntate venalis

Deus sitit sitiri.

Esa. 12.

Nihil paruum à Deo petēdum.

Ioel. 3.

39 Quod tempus præcipuè aptum sit infantibus baptizandis, ostendit: scilicet vel in vitæ periculo, vel circiter triennio post ortum: *Nàm tunc & mystici quiddam audire, & respondere possunt; & si minus plenè, & exactè, imbuantur tamen.* sed iàm Ecclesia occurrens periculis, mauult statim baptizari. Tùm obijcit, cur Christus expectauit vsq; ad trigesimum annum? respondet; quia erat arbitrer suæ vitæ, immunis vitæ casibus. præterea vt mysteria salutis simul in vnum incurrerent tempus: *Etenim ex baptismo, & prædicatione excitatus est ille confluentis multitudinis terræmotus, sic enim tempus illud scriptura vocat.* Sic item Christus Eucharistiam obtulit post cœnam, quam nos antè cœnam

accipimus. pulchrè autem mutationem illam in Orbe terrarum factam ex idololatria, vel lege veteri in euangelicam legem terræmotum appellatum dicit; in terræmotu enim omnia verti videntur, & noua flumina apparere solent, & nonnulla vetera obrui, & recondi.

Tempus euangelij cur terræmotus dicitur.

40 Pergit ad alios hominum status baptismo idoneos: *Pauper est? in mentem tibi veniat ex quàm graui paupertate ad quantas diuitias progressus sis*. Idem dici potest de sacramento Eucharistiæ, vbi excipitur ille, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei*. hinc etiam dicitur: *Aser pinguis panis eius; præbebit delicias Regibus*. huc pertinet, quod præclarè addit: *Moueat te mystica mensa, ad quam accessisti; moueat te panis ille, cuius particeps factus es, cum Christi passionibus initiareris*. Indicat per hoc, solitam sumi Eucharistiã post baptismum.

Per sacramenta ex mendicis ditescimus.

41 Transit ad alios status: *Aegrotus accessisti, & saucius? moueat te sanitas tua, & vulnera, quibus te Christus liberauit*. Si hoc ad viaticum in morte referas, magnũ sanè solatium: etiam si æger sis corpore, per eum cibum tibi redditur animæ, quod maius est, sanitas. Addit præterea: *Si debitorem nactus es, syngrapham conscinde; maior tibi à Deo condonata est summa*. & hoc egregiè dictum.

Eucharistiæ vtilitas

42 De peccati fuga per baptismum sic: *A Verbo erecta es, vt mulier illa euangelica, quæ erat inclinata? nè rursùs incurueris, ac veluti catenis ferreis à diabolo demersa propendeas in terram*. Nempè de hac ait Lucas: *Et ecce mulier, quæ habebat spiritũ infirmitatis annis decem, & octo; & erat inclinata, nec poterat sursum respicere*. & de eadem Christus: *Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas, &c.* Vides, vt peccatorem quasi captiuum in triumpho ducat diabolus, ferreis catenis collo iniectis, vt his grauatus, ac proindè incuruatus terrena tantùm aspiciat, nec sursum oculos attollat. sicut & de impuris illis Susannæ procis dicitur: *Declinauerũt oculos suos, vt non viderent Cœlum*. Notabile autem videtur, quod ait, post baptismum peccatum esse cauendum: *Nè rursùs incurueris, ac velut catenis ferreis à diabolo demersa propendeas in terram*. nàm illa vox, *rursum*, ostendit ante baptismum per peccatum originale animam sic incuruatam ob graue pondus ferrearum catenarum, quibus diabolus constrictam, & captiuam tenet. quis hoc de Deipara sine horrore dixerit aliquando in conceptione fuisse?

43 Quã displiceat diabolo baptismus, ostendit: *Diabolus aquam perhorrescit, lustricis vndis, non secus ac legio illa marinis suffocatur*. De ea legione dæmonum loquitur, quæ ab energumeno liberato in porcos ire permissa est, qui se præcipites in vndas demerserunt. quo ostenditur, cõtra libidinis maximè vitium, per fœdum illud animal indicatum, baptismi memoriam valere, vt scilicet eius æstus lustricis aquis in mẽtem reuocatis extinguatur. simul ostendit, quanta sit fœditas peccati originalis, nàm nondùm baptizatos comparat cum arreptitio illo dæmonũ agmine oppresso, qui in porcos mitti petierũt, nec mireris, quod legioni comparetur, quia radix est omnium peccatorum.

Diabolus perhorrescit baptismi aquas.

44 Baptismum rectè luminum diem dici ait: *Luminum tibi memoriam refricabo, quid enim lumine dulcius, & iucundius? Illuminans, inquit, tu mirabilitèr à montibus æternis, hoc est ab Angelicis virtutibus, quæ nobis ad optima quæq; adiumento sunt*. græcè συνεργοῦσι id est simul operantur. pulchrè montes æterni dicũtur: montes, quia primi lumen, splendoremq; gratiæ, veluti Solis orientis exceperunt; item ob altitudinem præstãtis naturæ; & quia nos circũ muniunt, &c. æterni autẽ, nõ quia ab æterno sunt, sed quia immortales, incorrupti.

Baptismi dies luminum dictus

Angeli cur dicantur montes æterni.

Psalm. 24.

45 Pergit ostendere, rectè luminum nomen baptismo tribui: *Signatum est, inquit, lumen vultus tui, Domine, super nos: hoc est impressa, & cognita data illuminationis signa*: certè Locrenses imprimere solitos legimus in numismatis Luciferũ, sidus radiatum. huiusmodi sides est, iuxtà illud Apostoli. *Donec Lucifer oriatur cordibus vestris*.

Psalm.

Baptismus signaculum diuini luminis impressum.

46 Lumen in malum sensum acceptum quale sit, ostendit: *Vnum illud lumen fugiamus, quod ex sæuo igne nascitur; nè in ignis nostri lumine ambulemus, & in flamma, quam accendimus*. Alludit ad Prophetæ verba: *Ambulate in lumine ignis vestri, & in flamma, quam accendistis*. Vide stultitiã. nos ipsi accendimus nobis rogum ignis æterni, cuius fomes sunt opera mala nostra. lumen autem intelligo, quod relucet quodammodò, cum indignitatem peccati, & damnum cognoscimus, nec tamen abstinemus: nempè peccati malitia tegi nõ potest, ipsa se prodit. huc spectat quod addit: *Est & lumen, quod non est, & splendor existimatur ab his, qui in delicijs, & voluptatibus sunt, de quo Dauid loquitur: Et nox illuminatio mea in delicijs meis. Nox me miserum circumstabat, & nesciebam, delicias enim lumen esse arbitrabar*. Nota interpretatio é: Diabolus proponit quasi res splendidas, & delicijs plenas, quæ verè sunt tenebræ, & aspera senticeta. quò refer illud Iob: *Sternutatio eius splendor ignis*. vt rectè exponit Hieronymus: sternutatione fęces, & sordes capitis egeruntur. nempè diabolus quasi res splendidas apparere facit voluptates terrenas, quæ re

Diabolus res mundanas proponit vt splendidas, sed falso.

Psalm. 130.

re vera sunt sordes, quando & ipse *transfigurat se in Angelum lucis.* relicto igitur, & contempto hoc falso splendore, ac lumine, sic iuxta Prophetam præclarè monet: *Nos verò scientiæ lumen nobis excitemus, quod fiet, si ad iustitiam seminemus, & fructum vitæ vindemiemus.* Isa.

47 De purificandis quinque sensibus hæc pulchrè habet. de lingua primùm: *Dei sapientiam loquamur, igneas linguas venerantes.* Egregiè vult linguam nostram de Deo loqui in honorem Spiritus sancti, qui linguis igneis apparuit, & *Loquebantur magnalia Dei.* Tùm de odoratu sic: *Olfactu curemur, vnguentum tantùm illud nostra causa effusum odoremur, vt nobis quoque suauis odor affletur.* & hoc egregiè dictum, vt hunc sensum non alio mulceamus odore quàm eius, de quo dicit sponsa: *Vnguentum effusum nomen tuum.* addo, qui de se ait: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Transit ad tactum: *Tactu purgemur, non molliter tangentes, nec rebus leuibus, & politis gaudentes, sed Verbum incarnatum, vt decet, attrectantes, ac Thomã hac in re imitantes.* Pulchrè admodùm ostendit, tactum ità demulcendum, vt putemus nos incarnatum Verbum, infantilibus membris indutum, molle, ac tenerũ, recens de Virgine natum attrectare; vel eiusdem vulnera tãgere, pertractare, deosculari, inferentes digitum intra manus, ac pedes, & manum intra latus, exemplo Thomæ. Tùm de gustu sic: *Nec fucis, & cupedijs titillemur, sed gustantes, & agnoscentes, vt ait Dauid, quoniam suauis est Dominus.* hoc ad Eucharistiæ sumptionem refer. Denique purificationem in membris omnibus commendat, in capite, in humeris, &c. *Præclarum est, peccatum supra caput nostrum se efferens, atq; in præstantiorem nostri partem imperium arrogans consternare. præclarum item est humeris sanctificari, crucem Christi tollendo, &c.* huc refero, quod ait Apostolus: *Mortificationem in corpore vestro circumferentes.* vt scilicèt nulla pars corporis sanctificatione vacet. Ad hæc egregiè addit: *Nos ipsos totos Deo in munus offeramus, vt nos totos recipiamus; quandoquidem hoc est planè accipere, Deo donatum esse.* Rectè dictũ, nostri non sumus, si Dei non sumus.

Quinque sensus quomodo purificandi & Deo consecrandi

48 Exponit illud Apostoli: *Super omnia bonum depositum custodi. Vtinam me ex hac vita discedentem hoc depositum comitetur, cum quo & omnes vitæ molestias perfero, & omnes voluptates contemno: fidem, inquam, & confessionem in Trinitatem.* Præclarum sanè votum, vt integra fides vsque ad extremum spiritum nos comitetur, ac pro illa omnia sustineamus. græcè est καλόν, depositum pulchrum, non modò bonũ. quid autem fide pulchrius, quod est primum animæ ornamentum? itàque sic addit: *Cum hac te fide lustricis aquis immergam, & in altum extraham. hanc tibi do totius vitæ sociam, & patronam.* græcè est προστάτην. sic vocatur assertor, procurator, aut propugnator in bello; item patronus peregrini hominis: mos enim fuit Athenis, vt peregrinus, & hospes aliquem sibi è ciuibus primarijs patronum eligeret. certè nos peregrini sumus in terra; fides apud Deum patrona nostra est. fides propugnat; nàm militia est vita hominis, & ideò dicitur: *Sumentes scutum fidei.* Vide etiã baptismi effectum mirum: scilicet mergi est in altum attolli.

Fides pulchrum depositum vsque ad mortem seruandum

Baptismi aquis mergi extolli est.

Fides totius vitæ socia, ac patrona.

49 Trinitatis mysterium præclarè describit; *Trinitas in tribus coniunctim inuenitur, & tria diuersim comprehendit. vix vnum animo concepi, cum statim tribus circumfulgeo.* græcè est περιλάμπομαι, hoc est vndique illustror lumine, & fulgore circumfundor. qua voce vtitur Lucas loquẽs de pastoribus in Christi ortu. Vide igitur quàm immenso splendore compleat totam animam cogitatio Trinitatis; hinc puto redundasse etiam in corpus splendorem illum vultus Ignatij nostri, qui certè de Trinitate insignes illustrationes habere solitus est, vt legitur in eius actis, non sine ecstasi. quò spectat, quod addit pulchrè: *Vix tria distinguere incipio, cum ad vnum statim sublimis feror.*

50 Respondet obiecto de Filij diuinitate: *Tu generationem diuinam metuis, nè quid patiatur Deus; ego contra creationem metuo, nè per iniquam sectionem Deus mihi pereat, si Filium à Patre distinxero. non est Patris gloria, eorum, quæ à Patre sunt, depressio.* Rectè arguit. potiùs iniuria fit Patri, si Filium negas Deum, quia ab ipso manare aliquid ipso inferius dicis, quod est indignum Deo.

Dei filium minorem dicere iniuria est patri.

51 Varijs scripturæ figuris Trinitatem ostendit: *Tres habeo lapides, quibus Philistæum fundam, & conficiam. tres in Sareptana filium inhalationes habeo, siue insufflationes, quibus homines morte sublatos ad vitam reuocem. tres in ligna proluuiones habeo, quibus victimã consecrabo; aqua, quod maximè paradoxum est, ignem excitans, atq; ignominiosos prophetas mysterij viribus prosternam.* Notabile admodùm hoc postremum, quod pulchrè paradoxũ dicit: Helias conuicturus falsos prophetas Baal, super concisam victimam ter affundi aquam iussit, vt cremaretur: quis non ei illuderet, cum oppositum apponeret? at è Cœlo ignis statim lapsus omnia exhausit, nullo vestigio sacrificij relicto. ità trina mersio, quæ fit in baptismi aqua, Trinitas significatur, vbi igni sancti Spiritus omnia peccata consumuntur. Vides etiam superbum gigantẽ Goliam in Trinitatis figura de-

Ternarium in scriptura figura Trinitatis

1. R. c. 17. 3. R. c. 17. & 18.

deiectū, hoc est diabolū, & mortuā originali peccato animā, in eius fide viuificatā.

græca

Baptismi character pulchris notis scriptus.

52 De baptismi charactere sic monet: *Pulchris literis notatus, & inustus es. quæ sunt scripta, serua. Pilatum in meliorem partem imitare, dic ijs, qui te à sententia seducunt: Quod scripsi, scripsi. pudet profectò, eum malum stabile, ac firmum sit, bonum contra, facilè in deterius flecti.* Rectè arguit rē indignam, improbos in mali proposito esse constantes, nō item nos in bono. Tùm vide quid sit baptizari, literis scilicet Spiritu sancto inustis declarari esse mancipatum Deo. rectè pulchras literas, & characteres dicit, & verè aureos, nisi vitijs inquinaremus Christiani nomen.

Fidei constans propositum in baptismo.

53 Nonnisi benè paratum; & affectum ad baptismum admittit: *Si cum hac sententia, & doctrina accedis: Ecce manus meas Spiritui commodo. exilit Spiritus, promptus est initiator, promptus baptismus; sin ad hæc claudicas, nec deitatis perfectionem suscipis, quære alium, qui te tingat, vel potius extinguat.* Lepidè ludit in verbo, item græcè βαπτίσειν, καὶ καταβαπτίσειν. & nota, quod ait, *sin adhuc claudicas.* nam & Helias in illo sacrificio, quod ait fuisse typum baptismi, vbi trina fuit infusio aquæ, ait: *Vsque quo claudicatis in duas partes? aut Deum sequimini, aut Baal.*

Qui baptizat Mosen refert? inscribentem baptizati pectore Dei legem.

54 Eleganter admodum describit baptizantis officium: *Hodie inscribi te oportet. nubem ingrediamur. Moses tibi ero; sit venia insolentiæ. da mihi pectoris tui tabulas. Dei digito nouum decalogum inscribā, compendiosam salutis doctrinam insculpā. quod si qua bellua hæretica sit, inferiore loco maneat, ne veritatis doctrina tanquam lapidibus obruatur.* Decalogum intelligit dogmata fidei, *& super hoc dogmatū fundamentum bona opera.* rectè belluas ad hæreticos refert. pulchrè autem eum, qui baptizat, Mosi comparat, inscribentem pectori baptizati, velut in tabula legē Dei, ad hanc .n. seruandam eū instruere debet.

Christi natiuitas purissima ex Virgine.

55 De Christi natiuitate quàm præclarè sentiēdum sit, docet: *Crede Filium Dei sine vlla spurcitie ex Virgine Maria progressum; nihil enim spurcum vbi Deus.* Si hoc de corpore, multò magis de anima videtur dicendum. græcè est ῥυπαρόν. porrò ῥύπος propriè est illuuies illa immunda, quę distringitur à corporibus oleo illitis post sudorem, vnà cum sudore ipso, reliquisque humani corporis sordibus. item quæ ex vnctorum athletarum corporibus raduntur in gymnasijs vbi exercentur, latinè strigmenta. rursus ῥυπάρια est genus fœdi vlceris apud Dioscoridem, & ῥυπάριον est maculare. nos igitur omnes cū huiusmodi macula, spurcitie, illuuie, imò vlcere nascimur, peccati videlicèt originalis. item vt athletæ, qui dùm pugnamus, ex puluere huius vitæ sordes contrahimus. rectè igitur ait: *Nihil spurcum vbi Deus.* οὐδὲν γὰρ ῥυπαρὸν, οὗ θεός. talis Deus per naturam: ego & eius matrem per gratiam sine sordibus conceptam dixerim, ac sine vlcere peccati originalis. quæ enim spurcities cū hac comparari potest? imò sentina est sordium omnium. præterea magnum pondus habent hæc verba, vt qui Eucharistiam sumit, benè mundus accedat, quandoquidē *nihil spurcum vbi Deus*. quò detestabilior Iudęorū impietas, cùm in passione spuentes in eum conspurcabant diuinam illam faciem, quā desiderāt Angeli prospicere.

Nihil spurcum vbi Deus.

56 Baptismi circumstantias mysticè exponit: *Statio hæc, qua confestim post baptismum ante magnum sacrarium stabis, futuræ gloriam vitæ præsignat. psalmodia eius, cum qua exciperis, hymnodia præmiū est; lampades, quas accendis, fidei lampades indicant, cum quibus sponso Christo ibis obuiam.* Nota egregios baptismi ritus, præsertim hunc nuptialem. tædas enim accēsas, & veteres ferebant in nuptijs. hæ contrahuntur per baptismum inter animam, & Deum, vnde illud apud Osee: *Sponsabo te mihi in fide.*

Baptismi ritus cum psalmodia, & lampadibus quid significent.

Ex Oratione XL. In Pascha.

1 QVid agendum hodie sit, docet: *Resurrectionis dies est, ob festum diem exsplendescamus. imaginis decus imagini reddamus.* græcè est λαμπρυνθῶμεν, fulgorem effundamus. scilicèt Angeli illius more, qui se pulchrum custodiebat: *Erat autē aspectus eius sicut fulgur.* splendor autem hic ex præstantia virtutis est. præterea imago Dei in nobis renouanda, vt quodammodò reuiuiscat; & vt in argenteis statuis fit, expolita rursùs exsplendescat. Subiungit: *Efficiamur Dij propter eum, qui pro nobis factus est homo.* miræ, & præclaræ vices.

Die resurrectionis Christi exsplendere nos oportet.

Matth. 28.

Ex Oratione XLI. In Pascha.

1 DE Christo resurgente interpretatur locum Habacuc, quem sic legit: *Et ecce vir conscendens nubes, atq; hic, per quàm sublimis; & facies eius vt facies Angeli, & amictus eius vt splendor fulguris pertranseuntis. & extulit manum suam ad Orientem, & clamauit voce magna.* Rectè igitur in tanto resurgentis splendore monet in superiore capite, *vt splendescamus.* imitātes pulchritudinē corporis gloriosi in nostro capite. porrò ego obiter hunc locum aliquo modo ad S. Xauerium puto referri posse; *& ecce vir conscendens nubes.* ob eius contemplationem, & ecsta-

C. 2.

Pulchritudo Christi resurgentis.

ecstases, & quia aliquando corpore è terra sublimis visus. *& facies eius vt facies Angeli*, ob eximiam scilicet puritatem. *vt splendor fulguris pertranseuntis*, ob velocem cursum per Orbem cum coruscatione miraculorum. *& extulit manum suam ad Orientem*: In Oriente enim tot millia aliquandò vna die baptizauit, vt manus, quas extulerat, lassescerent. *& clamauit voce magna*, ob vim, & efficaciam prædicationis vltrà Oceanum auditæ.

2 Rursùs de ritu Paschatis peruigilij: *Præclara fuit hesterna luminum gestatio, facium agitatio, quam priuatim, publicèque peregimus, omne genus hominum ferme, atq; omnes magistratus, & dignitate insignes, largo igne noctem collustrante; magnumq; illud lumen referens, quod vel Cœlum vniuersum pulchritudine siderum Orbem collustrans supernè nobis traijcit; vel super cœleste est, tùm in Angelis, quæ prima post primam lucida natura est, nàm illius splendorem trahunt; tùm in ipsa Trinitate, à qua lumen omne productum est ab inuisibili diuisum, & honoratum. at hodierna dies præclarior, & excellentior; nàm hesternum lumen magni illius luminis exurgentis prænuncium erat, ac veluti profesta voluptas: hodie anastasim ipsam celebramus.* Nota ritum; putabant enim vniuersalem resurrectionem fore noctu in peruigilio Paschatis, quo Christus resurrexit; nàm & in euangelio legitur: *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obuiam ei. tunc surrexerunt omnes virgines illæ, & ornauerunt lampades suas.* ideò quisque cum facibus has imitabatur. græcè est λαμπροφορίᾳ, καὶ φωταγωγίᾳ. Simile quiddam habuit festum veterum λαμπαδηδρομίαν, quod non modò in Græcia, sed hic Neapoli, quæ vrbs germana Græciæ est, olim celebrabatur: accensis enim lampadibus ad metam excurrebant, scilicèt ad Parthenopes sepulchrum, quo indicabāt cursum humanæ vitæ per posteros; nàm qui cursu cedebat, facem alteri dabat, vndè illud antiqui poetæ: Vitai lāpada tradūt. aut igitur eundem cursum humanæ vitæ iàm peractum, quippè Mundi finem ex peruigilij nocte expectabant, potuerūt significare, lampades accensas ferentes; aut vt Christi sepulchrum honorarent. Ac vide pietatem non modò vulgi, sed magistratuum, & dignitate præstantium, ea nocte se ad iudicium præparantium. pulchrè autem illam accensarum tędarum, ac luminum speciem, Cœlum repręsentasse ait, imò verò Angelicæ naturæ splendorem. quod idem dici potest de celebritate, quæ nunc maximè viget Rosarij Deiparæ, quæ nocturnis facibus trinoctio honoratur.

Peruigiliū Paschatis cum luminibus celebratum.

3 Paschatis diem præclaro commendat elogio: *Hæc festiuitatum festiuitas, ac celebritatum celebritas tantò cæteris omnibus non solùm humanis, sed ipsius etiam Christi festis antecedit, quantò Sol stellas.* Huc facit, quod in Christi natali stella apparuit; die autem Paschatis Sol ipse pulchriùs illuxit. Tùm qua pietate sit celebrandū, ostendit: *Die hac omniū maxima, sermones magnæ instar cuiusdam victimæ offerens ad Deū excurrā.* rectè offerre vult vitulos labiorum. quis enim non erumpat in laudem tanti mysterij? quis item non excurret amplexu ad Deum, ac dicat cū Dauid: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* nēpè nūc & ipsa caro nostra pignus habet resurrectionis suę.

Dies Paschatis alias festiuitates antecellit, vt Sol stellas

Psalm.83.

4 Non est omittendum hoc diabolo attributum: *Dæmones malitiæ publici opifices sunt.* vox græca δημιουργοὶ κακίας, hoc significat. nimirùm architecti sunt, ac machinatores publici, & structores malitiæ. eadē vox ad prostibula meretricia referri solet. quid autem hoc hoste impurius?

Dæmones publici malitiæ architecti.

5 De Christi excellentia sic pulchrè: *Perfectus Christus non modò propter diuinitatem, sed etiam propter humanitatem diuinitate delibutam, idemq; effectam, quod id, à quo vncta est, atq; vt audacter loquar, ὁμόθεον, hoc est simul Deum.* Vide quàm magnificè de Deo loquatur, & quàm cautè. item nota qua puritate hæc Christi caro sumenda sit in Eucharistia.

Christi humanitas diuinitate delibuta.

6 Paschalis agni mysteria prosequitur: *Agnus accipitur ob innocentiam, & ob veteris nuditatis indumentum. masculus, quia pro Adamo potissimùm oblatus, & quia nihil effœminatum gestat; verùm & virgineis, & maternis vinculis eruperit pro potestate; & masculus, vt annunciat Esaias, ex prophetissa natus sit. anniculus porrò, vt Sol iustitiæ, vel è Cœlo progrediens, vel quantum ad partem, quæ oculis cernitur, vt circumscriptus, & definitus, & ad seipsum rediens; item vt benedicens coronam benignitatis; & vt omni ex parte sibi similis, & æqualis; & vt producens orbem, et circulum virtutum, quæ inter se amicitiæ, & ordinis lege coniunguntur.* Acutè, & pulchrè adnotat, cur anniculus esse deberet agnus paschalis. vel quia vt annum Sol suo cursu perficit; & deindè redit, quò venerat; ità Christus velut è Cœlo egressus, in Cœlum rediit. vel quia vt annus certo, & definito dierum numero circumscribitur; ità quodammodò Verbum humanitate. vel quia sicut annus Dei benignitate quasi corona insignitur ob frugum beneficia, &c. ità Christi aduentus per effusam in nos gratiam est coronatus. vel quia vt annus sibi per partes congruit, ità æqualitèr in omnes diffusa fides est, & vocatio. vel deniquè sicut annus circularis est, & inter se nexus, dierum quasi chorea in orbem ducta: ita Christus virtutum orbem, & quan-

Cur agnus paschalis anniculus eligeretur quatuor causæ pulchræ.

dam quasi ἐγκυκλοπαιδίαν induxit in terras. græcè enim est κύκλον τῶν ἀρετῶν, *orbem, seù circulum virtutum*: omnes scilicèt inter se nexas. refer hoc ad paschalem Eucharistiæ agnum; quandò enim magis in re, quàm in figura hæc virtutum omnium instituenda chorea est, & spiritale tripudiũ? vide igitur quàm piè, ac sanctè totus annus transigendus sit.

Annus quã sanctè trãsigẽdus sit.

7 Pergit ad ritus agni Paschalis: *Decima mensis accipitur, quia hic numerus omnium absolutissimus est, nimirùm ex vnitatibus vnitas prima perfecta, & perfectionis parens*. Vide, quanta perfectio requiratur in Eucharistiæ susceptione, quod ad decalogi obseruantiam refer. Sequitur: *Asseruatur in quintum diem, fortassè quia hæc victima id habet, vt sensus expurget, à quibus peccatum oritur, & circa quos bellum committitur: vtpotè peccati aculeum, ac stimulum admittentes*. Notabilis admodùm, & insignis locus de effectu Eucharistiæ: *hæc victima id habet, vt sensus expurget*. an quia sensus corporei hìc cedunt, & submittunt fasces, cum sit mysterium fidei? an quia ab internis sensibus superantur? nempè hìc oculo fidei vides præsentem Dominum, audis eius inspirationes, odoraris florem campi, attrectas sanctissimam carnem, imò, vt ità loquar, concorporaris; deniquè gustas quàm suauis sit Dominus: quid quæris ampliùs? quã vilia sunt præ his exteriorum sensuum delectamenta? & nota quid de his dicat: *à quibus peccatum oritur, & circa quos bellũ committitur, vtpotè peccati stimulum admittentes*. græcè est κέντρον quod etiam calcar est. adeò sensus incitant nos velut equos adhinnientes in præceps. adeò bellum perpetuum agitant, nec domantur.

Per Eucharistiã omnes sensus purgantur, & sanctificantur.

Sensus calcar addunt ad vitia.

8 De cæteris agni paschalis ritibus sic: *Pauperes, & vicini inuitantur ad comedendum agnum, quia adiumento vti debemus eorum, qui nobis virtute cõiuncti sunt*. Addo, vt proximum excitemus, & inuitemus ad agnum Eucharisticum, aliorum quoq; bono studentes. Deindè: *Totus comeditur, vt nihil fidei doctrina habeat dissolutum, sed tàm densa sit, & solida, & igne purgante explorata, quem misit in terras ab omni crassione materia purum*. Vide quàm pura, quàm sincera fide sit accedendum, itemque quantò cum ardore fidei. Præterea: *Festinantes comedimus, neq; circumspicamus; nè propter nostram in desertus conuersionem, quæ ex cunctatione nasci solet, in salis columnam concrescamus*. Notabilis ratio, cur vxor Loth cõuersa sit in columnam salis, retrò se vertens: quia nimirùm iussa fugere, aliquam, licet paruam morã posuit in fuga, retrò se vertendo. & ideò in columnam versa, quæ immobilitatis, & moræ typus est: græcè στήλη, nulla igitur

Exod. 12

Mysteria ritus agni paschalis.

Vxor Loth in columnã immobilem versa ob moram fugiendo retrò se vertendo

terrena cogitatio nos defixos teneat Eucharistia pastos. sed festinemus ad salutis terminum sublimitèr contendentes: *In monte saluum te fac*.

9 De lumbis in agni esu præcinctis, sic: *Lumbi pars illa sunt, quæ libidine æstuat; hæc per temperantiam restringitur: mortificatis membris pascha comedes, Ioãnis magni illius præcursoris præcinctionem imitans. Sed & aliam zonam noui, nimirùm militarem, iuxtà quam Euzoni Syria, & Monozoni quidam nominantur. ac Deus ipse Iobum alloquẽs: Accinge, inquit, vt vir lumbos tuos, & da responsum virile. qua etiam vi ex Deo accinctũ se Dauid gloriatur: In te, inquit, curram accinctus; ac Deũ quoq; ipsum potentia indutum, & accinctũ inducit: Accinctus, inquit, potentia, qui conturbas profundum maris, &c.* Vide, vt mortificatio carnis in Eucharistici agni sumptione adhibenda sit: nec mirùm cum memoria fiat passionis Christi. & rectè balteum militarem cum hac zona comparat, quia *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnẽ*. sanè Thomas Aquinas, qui de Eucharistia sacras preces compositurus erat, ab adolescentia balteo Angelico accinctus est. ac rectè Euzonus dici potuit, idest pulchra zona cinctus, quæ erat dignitas quædam in castris: tanquàm enim in Angelicæ militiæ ordinem tunc adscitus est ob insignẽ castimoniam. & nos quodammodò Euzonomi erimus carnis mortificatione benè præcincti more castrensi, nàm dicitur per Prophetam: *Pone mensam, surgite Principes, arripite clypeum*. & per aliũ: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me*.

Psal. 64.

Iob. 38. & 40.

Thomas Aquin. Euzonus ab Angelo præcinctus.

Eucharistia more castrensi sumenda.

Esa. 21.

10 Exponit illud: *Calceamenta habebitis in pedibus. Si quis ad prædicandum euãgelium mittitur, nudis pedibus iter faciat oportet; vt pulchri pedes euangelizantium pacem, atq; omne bonum, appareant. at verò qui Aegyptum, & res Aegypti fugit, calceos sumat, vt tutus sit, maximè à scorpijs, & serpentibus, quos permultos Aegyptus alit. sic fiet, vt ab ijs, qui calcaneum obseruãt, & quos calcare iussi sumus, calceamẽta in pedibus habẽtes, nõ lædamur; Hebræi verò iussi sunt ferre: nimirũ quia Apostolorũ pedes annũciatũ ibãt euãgeliũ, quo munere nihil pulchrius; & neminẽ timere iussi inter asperitates*. Pulchra ratio, cur Hebræi calceati pedes comederent agnum; at Apostoli nudis pedibus per Orbem ire iussi. Sanè Xauerius noster loca inuia pedes obibat, cauda iumenti apprehensa, cruentis inter saxa, & senticeta plantis. diceres, *Quàm pulchri pedes euangelizantis bona!* at Hebræi per desertum serpentibus plenum iter facturi nos exprimebant, qui in hac vita tentationibus obnoxij sumus, vt be-

Calceati agnum comedentes cautelam indicabant in deserto huius vitæ.

benè muniti hæc concu[...] s, vndè illud Apo[...]: *Deus conteret Satanam velociter sub pedibus vestris.* hæc porrò à vitijs caute[...] in Eucharistici agni esu maximè obseruand[...] est.

11 Sequitur: *Tenentes baculos in manibus. Baculum fulcientem lex tibi præscribit, necubi animo titubes, dum sanguinem Dei, & passionem, ac mortem audis. quin potius sine dubitatione corpus ede, sanguinē bibe. innixus sta firmus, & stabilis.* huc refer illa hymni Eucharistici verba: *Animosa*, inquit, *firmat fides*. hic baculus est pro vitæ sustentaculo. ac rectè in fine vitæ, quando cum Dauid dicimus: *Ingredior viam vniuersæ terræ*: hunc agnum comedentes, rectè viaticum appellamus.

Fides baculus, cui innitimur

12 Interpretatur quid sit: *Petierunt ab Aegyptijs vasa argentea, & aurea, vestemque plurimam Ex Aegypto ascendis? vasa aurea, & argentea ab Aegyptijs pete. ex eorum facultatibus viaticum tibi para, imò ex tuis; seruitutis enim, & confectorum laterum merces tibi debetur. grauibus his laboribus vexatus es, cum luto pugnans, idest cũ impuro corpore domos caducas extruens. noli hæc Aegyptijs, & aduersarijs Potestatibus relinquere, quæ malè adepta sunt, & malè consument. nullum ius habēt: Meum, inquit Deus, est argentum, & aurum. fac amicos tibi de mammona, &c.* Ostendit, permissum Hebræis auferre vasa argentea, & vestes pro mercede laborum, quam ipsis negabant. ac rectè interpretatur: sicut illi in luto subigendo ad lateres faciēdos occupati erant, quod qui agit quasi luctatur, & pugnat cum ipso luto [...]: ità nos in corpore subigendo luteo per mortificationem, quodammodò luctamur, & pugnamus. & sicut Aegyptij paleas dare nolebant, ac proinde lateres non ità firmi fiebant: ità pulchrè ait: *Labor laterum conficiēdorū est lubrica, & incerta nostra carnis constitutio, plerumq; sanè imbecillis, vt nè palearibus quidem cogitationibus, rationibusq; retineatur.* Vide quàm infima sit caro nostra, tota lutea, vt nè rationes quidem humanas, quæ nonnisi paleæ sunt respectu præceptorum diuinorum, admittat, quibus continere se possit, restringere, & firmare, nè cadendo frangatur. Tum pergit ostendere ea, quibus mundani malè vtuntur, à nobis conuertenda in vsum bonum: *Si Rachel quædam es, hoc est è Patriarchis oriunda, magna anima, patris tui idola quæcumq; inueneris, surripe, non vt serues, sed vt deleas. si autem sapiens Israelita es, ad terram promissionis transfer; distruetur persecutor, atq; intelligat, frustra se opprimere tyrannide meliores. hoc modo si ex Aegypto excesseris, ignis, & columna tibi iter ostendet, mare tibi scindetur; Pharao demergitur, &c.* Nota, cur Ra-

Caro nostra quasi lutũ subigitur per mortificationem.

chel [...] excedens è domo paterna, tulerit secum idola, non vt coleret, sed vt destrueret: luto & cilicio ea operuit, & sedens sibi subiecit, menstrua prætexens, vt in re sordida. quod agendum est ei, qui religionem intrat, vt omnes prauos affectus sæculi per pœnitentiam, & mortificationem deleturus accedat; nec parentes ob[...]pentes audiat. pulchrè dictum: *Si Rachel quædam es, hoc est è Patriarchis oriunda, magna anima.* scilicet apostolica; quid n. hoc actu generosius? eruditionem porrò, ingenium, & alia naturæ dona cum hac intentione ad religionem deferenda, vt in bonum vsum, & Dei gloriam adhibeātur: *Si autem sapiens Israelita es, ad terram promissionis transfer, &c.*

Magnæ animæ est [...] pressiones subiectas.

13 Acutè admodū, & pulchrè quærit de Christi sanguine, salutis pretio: *Absentē hic non fuerit rem, ac doctrinam inquirere, à multis quidem neglectam, meo autem iudicio studiosè perquirendam: eccui enim ille pro nobis sanguis, & quam ob causam fusus est? ille, inquam, magnus, ac nobilis Christi, tùm Pontificis, tùm sacrificij sanguis. nos enim à diabolo detinebamur venundati sub peccato; quod si redemptionis pretium ei persoluitur, qui captiuum tenet, quæro, cui tandem oblatum est? si prauo illi, ò grauem contumeliam; si non à Deo solùm, sed Deum quoque ipsum pro redemptionis pretio latro ille accipit, adeòq; insigne, & excellens præmium suæ tyrannidis. si autem persoluit patri, quomodo id factum est, si non ab ipso tenebamur? deinde qui fit, vt pater vnigeniti sanguine delectetur, qui nec Isaac à patre oblatum acceperit, ariete substituto? dicendum tamēn, patrem accepisse propter œconomiam, quia per humanitatem à Deo assumptam homini sanctitatem afferri oportebat, et tyranno per vim superato, nos liberaremur, adseq; per intermedium filium reduceret.* Vide quid egerit incarnatio. per eam homini sanctitas tributa. hoc est humana natura sā[...] præclarè autem appellatur, *magnus ille, ac nobilis Christi sāguis pro nobis [...].* & tamen pro nobis vilibus, & [...] fusus. Vide autem quàm & indignè, & impiè faciat, & quanta mereatur supplicia, qui, vt Paulus loquitur, per peccatum, *Filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit:* scilicet in quo sāctificatus est, in eo contemnendo se contaminās.

Christi magnus, ac nobilis sāguis in redemptionē datus.

Hebr. 10.

14 De Christi victoria per crucem sic pulchrè: *Serpens æneus aduersus serpētum morsus suspenditur, non vt Christi typus, sed vt antitypus; atq; intuentibus salutem affert, dum non vita frui, sed mortuus esse, ac subditas sibi Potestates secum interimere creditur, oppressus nimirum, & extinctus, sicut merebatur. & quod tandem illi congruens epitaphium canemus? nempè illud:*

1. Cor. 15.

Vbi est, ô mors, stimulus tuus? vbi tua, Inferne, victoria? Præclara, & elegans inscriptio diabolo, siuè peccato, siuè morti ipsi sepultæ. stimulus græcè κέντρον, quo aculeus itē significatur, & calcar; mors enim instar apis feriendo Christum, amisit aculeum, & mortua est. quod & Iudæis persecutoribus accidit, qui malè perierunt, de quibus dicit: *Circumdederūt me sicut apes.* calcar verò mortis, quid est, nisi celerrimus cursus, quo nos vrget ad interitum? Tū sic vrget diabolum, in æneī serpentis figura oppositum Christo: *Crux te prostrauit, vita auctor tibi necem intulit. exanimis, & immobilis, iners, serpentis licet figuram serues, in sublimi loco, in titulum positus adignominiā.* græcè εἰς ἀτιμίαν στηλιτευόμενος. cōtrà Christus suspēsus ad gloriā, & decus.

Epitaphiū mortis extinctæ.

Psalm. 117.

15 Ad imitandum Christum in passione sic piè hortatur: *Omnibus boris, animique cogitationibus nosmetipsos Deo immolemus. per passiones Verbi passionem imitemur; per sāguinem honoremus sanguinem. crucem alacres conscendamus; dulces sunt claui, tametsi valdè acerbi. si Ioseph Arimathæus es, corpus pete. tuum fiat Mundi piaculum. si Nicodemus nocturnus ille Dei cultor, vnguentis vnge. Petrum, & Ioannem imitare certatim ad monumentum currens; quod si celeritate anteuertaris, studio vince, nec extra tumulum prospiciens, sed ingrediens.* Pulchrè ostendit, quanto cum sensu pietatis tractanda sit Christi passio. siuè generosus sis vt Ioseph, qui *audacter introiuit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu.* siuè meticulosus vt Nicodemus, noctu, & occultè conueniens Christum metu Iudæorum. siue velox cursu, vt Ioannes iunior, siue tardior vt Petrus: senior tamē hic, non ille prior introiuit in sepulchrum: sępè .n. fit, vt qui serius sapit, magis sapiat. Tùm vide, vt continua debeat esse nostra mortificatio, hanc semper intendamus ob Christum pro nobis passum: *Omnibus horis, animiq; agitationibus nosmetipsos Deo immolemus; per passiones Verbi passionem imitemur.* atque huc refero illud Hieremiæ: *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris.* Hebræa vox respirationem significat: vt sicut indigemus perpetua respiratione, ità & perpetua memoria Christi passi; & sicut per respirationem viuimus, ità aptè subiungit: *Sub vmbra illius viuemus.* est quidē amara mortificatio ex se, at non propter Christū; ideò ait: *Dulces sunt claui, tametsi valdè acerbi.* certè Paulus exultās dicebat: *Christo crucifixus sum cruci.* illa verò verba egregiè ad Martyres crucifixos pertinēt, sicut ad tres Iapones nostros, qui ad moriendum pro Christo passo se inuicem hortantes dicant: *Crucem alacres conscendamus. sanguine sanguinem honoremus.* ac vide, vt omnes paratos Gregorius velit ad martyrium pro Christo suscipiendum, vt sanguinem reddamus sanguini. hinc illud: *Quid retribuam Domino? &c. calicem salutaris accipiam,* passionis scilicet.

Affectus] erga Christi passionē qualis, & quātus esse debeat.

Continua mortificatio ex memoria Christi passionis.

Thr. 3.

Martyres se inuicem hortantes pulchrè.

16 De Christi ascensione sic elegantèr admodùm, & piè: *Si in Cœlum ascendit, simul ascende; comitantibus, & excipientibus Angelis te adiunge; portis impera, vt sublimiores fiant, vt Christum à passione sublimiorem capiant. his, qui propter corpus, & passionis signa in descensu non deleta mirātur: Quis est iste rex gloriæ? respōde: Deus fortis, & potens; tùm in omnibus, quæ fecit; tùm in præsenti bello, ac trophæo pro humana natura erepto. quod si secundùm dramaticam illam apud Esaiam inductionem mirati dixerint: Quis est iste, qui venit de Edō? iste formosus in stola sua, &c. tu pulchritudinem stolæ corporis passi profer, quod per passionem exornatum, ac per deitatem, qua nihil pulchrius, illustratum est.* Mirū est, quod ait, sputa, alapas, flagella, vepres, ac tot ignominias ornamēto Christo fuisse καλλωπίσματα. porrò pulchrè nos quasi laureatos milites in Christi triumpho facit, & simul ascendentes in Capitolium Cœli; responsumq; dantes Angelicis potestatibus admirantibus, quasi ipsæ à nobis discant, qui cū Christo familiarius, & proprius versati simus in terris. illud in primis egregiè dictū, cur attollēdæ essent Cœli portę in Christi ascēsu: *Portis impera, vt sublimiores fiant, vt Christum à passione sublimiorem capiant.* adeò humilitas, & exinanitio maiorem facit; quod ait Apostolus: *Vidimus Iesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatū.* in quàm celsum gigantem excreuit, qui pro nobis factus est paruulus? eleuatas igitur Cœli portas, & altiores effectas nonnisi sanctitate sublimes nos decet intrare.

Ascendere cum Christo in Cœlum affectu quàm præclarum sit.

Esa. 63.

Luc. 2.

17 De Christi sanguine sic præclarè: *Quamuis in Christi morte multa miracula fuerint, Deo enim in cruce pendente Sol obscuratus, ac rursùs inflammatus; velum scissum, terra tremore concussa; petræ propter petram diruptæ; mortui ad fidem vltimæ resurrectionis excitati, &c. nullum tamen cum salutis nostræ miraculo conferendum est, in quo exiguæ guttæ sanguinis Mundum vniuersum instaurarunt; atq; idem, quod lacti coagulum, hominibus præstiterunt; in vnum nos constringentes, & coniungentes.* Rectè omnibus miraculis anteponit effectum hunc sanguinis Christi de nostra formatione ait Iob: *Nonnè sicut lac mulsisti me?* sed quā subitò cœpit hoc lac coacescere in ipso Adā, licet è Dei mamillis quodammodò, hoc est ex Dei benignitate expressum? at nunc pro coagulo est Christi sanguis. nihil igitur in nobis dissolutum, laxum, & fluens ad terrena inesse

Sanguis Christi quasi coagulum lactis in nobis dissoluti constringens.

incsse

inesse debet, nihil per discordiam disiunctum. hanc porrò coniunctionem non modò inter nos ipsos, sed cum Deo indicari puto per illa Pauli verba: *Propè facti estis in sanguine Christi.* est etiam notanda altera metaphora, dùm ait: *Exiguæ guttæ sanguinis Mundum instaurarunt.* græcè est ἀνεπλάσαντο, replasmarunt, sicut in vase fictili confracto gluten à plaste apponitur, quo diuisæ partes compaginantur. pulchrè igitur Mundus, atque homo ipse peccati lapsu fractus, restitutus dicitur per Christi sanguinem. quod gluten amoris etiam ad nos inuicem conglutinandos facit; nàm ideò Eucharistia communio dicitur. hoc, inquit, efficiunt *guttæ sanguinis Christi in vnū nos constringētes, & cōiungentes.* quid hac plastice nobilius? vbi pro humore sufficitur cruor Christi.

Christi elogium elegans.

18 Præclarum omninò, & hoc Christi elogium in Paschate: *O sacrum Pascha, totius Mundi piaculum. ò Verbum Dei, & lux, & vita, & sapientia, potentia; omnibus enim tuis nominibus oblector. ò magnæ mētis illius soboles, & progressio, & signaculū. ò Verbum intellectile, & homo aspectabilis, qui omnia potentiæ tuæ Verbo actuincta portas. hunc ego sermonem offero, vt corporis in nos tyrannidem, quæ quanta sit, quāq; me curuet, vides; ac sententiam tuam sistas, & comprimas.* Pulchrum elogium de Dei Filio incarnato. Nota pietatem simul, & humilitatem tanti Doctoris; vide quam mercedem postulet sui laboris: vt scilicèt corporis cupiditatibus non consentiat, & vt extremi iudicij condemnationem effugiat. hoc & meum votum est, dùm circa ipsum quantumuis ignauitèr laboro. rectè appellat, *tyrannidem corporis, quæ nos curuat*; dùm scilicet instar tyranni (neque enim corpori dominatio debetur, sed animo) quasi catenas ferreas collo circūdat, ad terram inclinat, nè Cœlū respiciamus.

Greg. precatio ad Dei filium de passionum victoria.

Corporis tyrānis nos curuans.

Ex Oratione XLII. In nouam Dominicam.

1 MVndi per Christum renouationē ostendit: *De Encænijs honorandis lex vetus est. Innouentur ad Deum insulæ, vt ait Esaias, hoc est Ecclesia gentium ex falsa, & amara infidelitate emergentes, & firmitatem accipientes.* Rectè insulis gentilitas comparatur, quæ salsis, & amaris tūduntur fluctibus, hoc est vitijs, & erroribus Sed quis aptior ad huiusmodi Insulas, qualis est illa Iaponiæ, renouandas, quàm ille, qui inter cætera miracula hoc patrauit, vt salsas, & amaras aquas maris aliquādò tactu reddiderit dulces, vt habes in eius actis: Franciscus, inquam, Xauerius.

Gentilitas cum Insulis renouatis comparata.

quod autem ait, has Insulas per Christi aduentū firmitatē fidei accepisse, vellantur ibi tot Martyres, inter quos tres è nostra Societate fuerunt. Videtur autem aliquo modo alludere ad Delum Insulam, quæ fluctuare in mari dicta est, & nato ibi Apolline firmata: ità Mundus anteà instabilis, nunc hos, nunc illos venerans Deos, & per varios errorum fluctus agitatus, iā per Christum in vna fide firmatus, & stabilitus est. Symplegades quoque duæ in Bosphoro insulæ, siuè scopuli, inter se aliquando concurrisse à poetis dictæ sunt, & ab errando planetæ appellatæ, de quibus Claud. Viāt instabilē rursus Symplegada nautæ: quod Mundo maximè competit.

2 Et hoc de renouatione præclarum: *Innouatur etiam apud alium Prophetam murus æreus, hoc est, ni fallor, anima firma, & aurea, recensq; ad pietatem compta.* nil mirum quod murū æneum referat ad animam auream, ψυχὴ χρυσῆ, aurea est, si pretium, & pulchritudinem spectes; ænea, si firmitatem. pulchrè autem & ipsum festum Encæniorum, idest innouationum, & murus hic æneus renouatus referri potest ad renouationem spiritus, & votorum, iuxtà ritum Societatis Iesu bis in anno. certè Ignatius ipse paupertatem vocat religionis murum. huc quoq; referri possunt, quæ sequuntur.

Innouatio spiritus cōmendatur

Anima cōstans in bono murus æneus

3 Exempla renouationis affert: *Testimonij quoq; arca innouatur, & quidē magnificis sumptibus, quam Deus ostendit, & Beseleel cōfecit, & Moses fixit.* Hoc & religionis proprium est, vt in spiritu renouetur. Beseleel, & Moses sūt fundatores religionum ipsarum: magnificis certè sumptibus quasi auro, & cæteris ornamentis exhibitis, virtutum scilicèt. Addit: *Iàm & regnum Dauidis innouatum est, neq; id semel, sed priùs cum vngeretur, posteà cum rex salutaretur.* Nota, quid multiplex illa Dauidis vnctio in regem significarit; renouationem scilicèt spiritus. præterea & hoc ad egressos de sæculo pertinet: *Canticum item nouum canere iubentur è Babylone in Hierusalem reuersi; quod in terra aliena canere non poteramus.*

Arca Dei renouatio typus renouati spiritus.

4 De triplici lumine agit, hoc est Deo, Angelo, & homine. de Deo sic sublimitèr: *Lumen vnum & inaccessum, ac successioni minimè obnoxium, Deus, nec principium habens, nec finem habiturus, nec in dimensionem cadens, perpetuo fulgore rutilans, trino splendore micans, &c.* quod ait: *Trino splendore micans*, ob tres diuinas personas, hoc Ecclesiast. pulchrè per metaphoram dixit: *Sol triplicitèr exurens montes, radiqs igneos exsufflans, &c.* De Angelis verò sic: *Secūda luminis, primiq; luminis radij, Virtutes ipsum circumstantes, & administri spiritus, non vt nostrum lumen, quod no*

Deus primum lumē trino splendore micans

Angelica natura secundum lumen.

stra-

scintiltur, noctemq; secat. Pulchrè Solis radijs miræ in inferiora hæc efficaciæ cōparat cœlestes spiritus: porrò de homine iam supra dixit φῶς vocatum, ob rationis lumen menti inditum.

Homo iterū lumen.

5 De prima luce visibili in Mundi creatione sic differit: *Cum Deus hunc Mundū ex visibilibus, & inuisibilibus rebus constātem, hunc, inquam, magnum, & admirabilem præconem maiestatis suæ fingere, & constituere vellet, Superis quidem nullum aliud lumen, quàm seipsum præbuit: quid altero lumine opus haberent? inferioribus autem primam huius luminis vim protulit; nec verò id organicum à principio, nec Solare protulit, sed posteà illustrātium Solis traditum: nam cum in alys rebus materiam prius conderet, ac deindè eam forma conuestiret, & figura; hic vt maioris cuiusdam miraculi specimen ederet, formam materia priorem protulit; forma enim Solis lumen est, ac posteà materiam induxit, Solem hunc diei oculum fabricatus.* præclarè vocat, *Mundum hunc magnum, & admirabilem præconem* κήρυκα *maiestatis Dei.* cuius præconij sonum, de Cœlis loquens, in omnem terram auditum dicit. Augustinus Mundum hunc carmen vocat, & epiniciō in Dei laudem: quàm surdaster est, & illiteratus, qui vel non audit, vel non delectatur? Tùm illud admodū notabile animaduerte, quod putat initio creatam lucem accidens sine subiecto, quod rectè appellat, *maiorem cuiusdam miraculi speciem.* nimirùm quasi præludere voluit statim Eucharistico miraculo. illud paulò ante hominis formationem; hoc paulò ante Ecclesiæ formationem ex Christi latere; nec poterat Eucharistiam præcedere clarior, aut nobilior figura, quàm lux: *Accedite,* inquit, *& illuminamini.* præcessit autem lux ista Solem, nè Solem à se potiùs, quàm à Deo illā habere putaremus: rectè enim Iacobus ait: *Omne datum optimum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Tùm pulchrè sic: *Conueniebat magno lumini opificium suum à lumine auspicari.* Vide, vt opus respondeat auctori.

Mundus præco diuinæ maiestatis.

Lux initio sine subiecto creata typus Eucharistici miraculi.

Psalm. 33.

Cur Deus Mundum à luce auspicatus.

6 De hominis creatione sic: *Postremò homo creatus est, imagine Dei ornatus: construendum enim prius tanquam Regi palatium erat, atq; ità rex introducendus omni suo satellitio stipatus.* Vide hominis dignitatem; cur igitur regium animum non induimus, vilia hæc idest humana sectari dedignātes? cur voluptati seruimus? ob peccatum enim Deus *Dissoluit balteum Regum, & præcingit fune renes eorum.* vt est apud Iob.

Homo vltimo creatus vt in [illegible] palatiū.

Iob. 12

7 Redit ad festum Encęniorum, & quęrit, cur non celebraretur die ipsa Paschatis, sed octaua, idest sequenti Dominica? *Nimirùm illa salutifera erat, hæc salutis natale; illa sepultura, & resurrectionis confinium erat, hæc secundæ regenerationis est; vt quemadmodùm prima creatio initium à Dominica die accepit, ità hæc Dominica prima eorum, quæ ipsam sequuntur. magnus ille Dauid eiusdem diei psalmos de octaua accinere videtur, sicut et huic Encæniorum diei psalmum alium titulo nuncupat, Innouationem domus nominans; quæ quidem domus nos ipsi sumus, qui Dei templum fieri habiti sumus.* Refer igitur hunc psalmum ad renouationem spiritus, vt dixi, in Societate Iesu, præsertim ob zelum animarum; nam ibi fit mentio conuersionis gentium. hostiæ autem sunt affectus nostri per mortificationem immolati. Festum item Innouationis domus potest referri ad anniuersarium diem fundationis cuiuscumq; religionis, vt spiritu, quo fundata est, innouemur. peregimus autem nos magna cum celebritate, Romæ præsertim, paucis ante annis sæcularem annū, hoc est centesimum sub Vrbano VIII. inuisente nostras ædes.

Encęnia, seu Innouatio cur octaua Paschatis celebrarentur

Psalm. 95.

Festum encæniorum est Innouatio spiritus.

Annus sæcularis Societatis Iesu [illegible].

8 In quo posita sit hæc renouatio, docet: *In nouitate vitæ rationes nostras instruite, omnibus rebus, vndè mors oritur, frænum inÿcientes.* Vides renouationem spiritus frænum esse peccati, & vitæ licentiæ, quod excusseramus velut refractarij equi. itaque addit: *Nouus efficere, animaq; Encænium celebra.* pulchrè vocat conuersionem, & mutationē vitæ, *animæ Encænia.*

Renouatio spiritus frenum vitiorum.

Animæ encęnia [illegible] vitæ.

9 Sensuum in primis custodiam renouandam dicit: *Pomum vetitum detestemur, aut etiam euomamus. pulcher erat ad aspectum fructus ille, qui mortem intulit: proindè colorum nitore ne fugiamus caue, nè te pulchræ formæ cupiditas superet; ac nè leuis quidem, fortuitusque contuitus palpebræ te transuersum agat. Si Euam tibi animo propofueris, dulcem illam illecebrā, & charum venenum.* Rectè oculorum in primis commendat custodiam; & vide quàm subtilitèr, & accuratè etiam in leui, & fortuito aspectu: adeò castitatis facilè periculum est. eleganter autem appellat Euam, *dulcem illecebram, & charum venenum.* quod scilicèt venenum à serpente euomitum suis blanditijs Adamo viro, ac proindè etiā nobis propinatum est. Vide tandem quid voluptas carnis sit, & pulchritudo formæ: pomum videlicet illud suaui colore aspersum, sed mortiferum.

[illegible] forma [illegible] cauendus.

[illegible] do [illegible] pomi [illegible] serpente oblatum.

Eua dulcis [illegible] & [illegible] venenum.

10 Renouationem in affectibus reprimendis item positam dicit. De ira sic: *Ira tibi aduersus serpentem solùm existat, ob quē excidisti.* De cupiditate verò, & auaritia sic: *Lacrymam pauperis nè asperneris, qui multis lacrymis digna patrasti, ac misericordiam es consecutus.* Rectè lacrymas lacrymis opponit. item per antithesin pulchrè: *Pauperem nè repellas, qui diuitÿs*

Ira solum contra diabolū exercenda.

opus accepisti. multò magis res temporaneas,& terrenas largiri debes,qui accepisti diuinas,& æternas. Addit: *Peregrinum, & hospitem nè contemnas,pro quo Christus peregrinatus est,nè paradiso tu longè fias.*

Pauperi debemus, qui debitores Dei sumus.

11 Ad Virgines præclaru est hoc monitum: *Virgines, omnia Deo offerte, soluta quippe estis. seruam voluptatem nè suffuremini.* rectè monet: Virgines, & religiosi soluti sunt omnibus curis,soli Deo vacare debent;suffurari voluptatem, est commoda clàm,& occultè lectari. Itē seriò monet: *Eam quoq; consuetudinem cum viris, quæ per aerem & aspectum contrahitur,detestor.* Vide quàm cautè custodienda sit virgo à colloquijs.quò refer illud Cant. *Quid faciemus sorori nostræ in die, qua alloquenda est? si murus est,ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis*. Vide quot munimenta, quot cautiones. meritò igitur rem exaggerat,vt nequè communionē ipsam huius aeris, quo spiramus, ac viuimus,virgini cum viro permittat.

Virgo soli Deo intenta,& à commercio semota.

12 Circà renouationem spiritus hæc monet: *Encæniorū festo muneris loco præclaram mutationem offer. ac nè sic quidem magnificè de te sentias, sed dic cum Dauide. Hæc mutatio dexteræ excelsi: à quo promitur quicquid cum laude, & rectè geritur; nec tamen in eodem statu manendum, sed perpetuo,ac laudabili motu agiteris.* Tria monita præclarè affert. primò, vt renouationis fructus ostēdatur per mutationem morum. secundò, quia hanc consequitur plausus,nè efferamur, sed à Deo agnoscamus.tertiò,nè omni gradu cōtenti simus, sed vltrà progrediamur ad perfectionis culmen,iuxtà illud: *Iustorum semita sicut lux splendens,& crescit vsq; ad perfectū diē.*

Tria obseruanda in cõuersione & renouatione spiritus.

13 Quia Encæniorum festu celebratur verno tēpore,hinc sumit argumentum renouationis, sicut & terra verè renouatur. veris igitur pulchritudinem elegāter admodùm describit: *Princeps anni pars principi dierum pompam peragit, ac quicquid pulcherrimum,& suauissimum habet, dono dat. nunc Cœlum splendidius, nunc Sol sublimior,magisq; aureus,nūc Luna orbis clarior,& siderum chorus purior,&c.* Venustè dicit, Paschati,quem principem dierum appellat, principem anni partem, hoc est ver,*pompam peragere,& quicquid pulcherrimum habet pro dono dare*. pompam intellige varietatem florum, viriditatē germinum. item Cœlum anteà per hyemem nubilosum,nunc serenius;diem & Solis luce clariorem, & longiorem, &c.par igitur est,vt & nos magis virtutibus efflorescamus,& luce bonorum operum exsplēdescamus,&c.huc refer illud Apostoli: *Gauisus sum in Domino vehementer,quod aliquando tandem refloruistis*. quasi anteà per hyemem aruissetis.

Veris elegans descriptio.

Renouatio spiritus florēti veri comparata.

Ver princeps anni pars Paschati dierū principi

Phil 4.

14 Pergit de vere elegantèr: *Nunc nauis cum celeusmatis,ysq; vt plurimùm religiosis, ac pietate plenis è portu soluit, velisque tanquàm pennis cingitur; ac per gyrum assultat delphinus, & vectores hilares persequuntur*. pulchra descriptio vernæ nauigationis: vbi nota pium morem,vt nautæ cantica spiritalia canerent; quod & nunc fit,cum littora, & mare ipsius Deiparæ laudibus, hoc est rosario personant. & nos igitur virtuti vela pandamus afflatu sancti Spiritus, vt ad portum salutis appellere possimus.Hīs addit: *Nunc aratrum agricola compingit,oculos in altū tollens,frugum datorem inuocat,&c.* Vide,vt rustici ipsi in excolenda terra Cœlum suspiciant.quasi indè omnia bona dimanent in terram.hoc agebat S.Isidorus agricola. certè aratrū,crucis typus hoc admonet.

Nauigationis vernæ pulchra descriptio

Mos nautarum concinēdi spiritalia cantica.

15 De apibus pulchrè: *Partim mel in horrea congerunt, atque hospiti suo dulcem, & inaratum fructum proferunt; quemadmodùm vtinam nos quoq; qui Christi apiarium sumus, ac tale partim sapientiæ, partim industriæ exemplum accepimus*. Alludere videtur ad illud: *Breuis est apis, sed initium dulcoris habet fructus eius*. Religio maximè apiarium quoddam est.omnes certatim operi intenti;ac nostra quidē Societas,vt poetæ verbis vtar, Ignauum fucos genus à præsepibus arcet. huc quoque spectat,quod de auibus ait: *Omnia Deum laudant: propter omnia enim Deo gratia per me habētur; atq; ità eorum laudatio mea efficitur,dùm ego ab ijs laudum argumenta capio*. Nempè psalmodia pro concentu est.& rectè ait, res rationis expertes etiam quodammodò Deum laudare, dùm materiam nobis tribuunt laudandi Deum.

Iusti, ac præsertim religiosi apiarium Dei sunt

Eccl.11.

Aues prouocant nos citò ad Dei laudādum.

16 Et hoc pulchrè dictum de verno tempore: *Nunc etiam equus ceruicem efferens,& iubam arrigens, stabulum fastidit, ac perfractis vinculis per campos fertur, in fluminibus gestiens seq; ostētat.* Per equos, quos ascendit Dominus, viri apostolici significari solent in scripturis. hi cum primū in spiritu renouati sunt,quasi vere, cōtineri non possunt,quin in campum prodeant pabulatum: pabulum autem salus est animarum. vide quæ Iob venustè de equo affert.

Viri apostolici generosis equis comparati.

Iob.39.

17 Ostendit Martyrum celebritates verno maximè tempore celebratas. ac certè translationes multorum sanctorum corporum in martyrologio legimus vere factas: *Nūc Martyres sub dio populum retinent, ac pompam agunt, splendidisq; sedibus suam plebem,& Christi amantem conuocant, ac certamina sua in publicum proponunt,quo è numero est ille laureatus Mimas;ille & insignis Pastor,& Martyr, qui*

prius

prius quidem ceruas mulgebat ad sanctum vsum, nouo, & insitato lacte ad alendam certatim properantes; nunc autem populum pascit, ac multis hominum milibus vndecunque accurrentibus ver innouat, ob virtutis pulchritudinem varium, tùm ob sermones triumphales. Rectè triumphalem vocat sermonem, qui habetur de Martyribus. ac pulchrè Martyrem laureatum appellat. est autem elegans illa antithesis, vt qui lacte ceruæ alebatur, alios nunc alat lacte sermonis, qui habetur de ipsius sanguine. ac rectè in verrũ tẽpus incidere ait hanc memoriam ob virtutũ germina, & martyrij rosas. Deniq; concludit hoc de vere: *Nunc ver mundanum, ver spiritale. ver visibile, ver inuisibile, quo vtinam in altero æuo fruamur, noui ad nouam vitam transmissi.* præclarum planè votum, quod omnibus debet esse commune, vt hic renouati per gratiam, florentesque virtutibus, perpetuo illo beatitatis vere fruamur. ꝙ autem Spiritus sancti sit ver efficere, patet ex illo psalmi: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* & ex illo Cant. *Veni Auster, & perfla hortum, & fluent aromata eius.*

Ver mũdanũ, et spiritale simul conueniũt.

Spiritus sãcti afflatu ver fit in anima.

Ex Oratione XLIII. In Pentecosten.

1 SEptenarium rectè Spiritui sancto dicatum ostendit, eiusquè numeri præclara mysteria prosequitur. *Septenarium numerum Hebræi in honore habent, vt Pythagoræi quaternarium, per quem etiam iurare consueuerant. ac dierum quidem honor sabbatum est; septimo enim die Deus ab operibus conquieuit; annorum autem honor septenarius ille remissionis annus est. neque verò in hebdomadis solùm, sed etiam in hebdomadarum hebdomadis: enim verò dierum hebdomadas Pentecosten pariunt; annorum autem hebdomade iubilæum annum: non enim solùm frugum, & primogenitorum, sed etiam dierum, & annorum primitiæ Deo offeruntur. hinc eximius septenarius honorem inuenit: septenarius enim in seipsum ductus quinquagenarium gignit, vno die excepto, quem ex futuro sæculo assumpsimus, octauum eundem, & sempiternum.* Acutè diem illũ, qui superest, ad diem æternitatis refert post peccatorum remissionem. & nota, vt Deus sibi vendicarit primitias, non modò frugum, sed etiam dierum, & annorum, vt tempore ad eius gloriam vtamur; consecuturi ab ipso æternitatem.

Cur septenarius numerus Spiritui s. tribuatur.

2 Pergit in septenarij laudibus: *Septẽ columnis Sapientiæ domus nititur.* Vides Spiritum sanctum tanquàm architectum esse, ac septem eius dona firmissimas, & pulcherrimas simul columnas esse Sapientiæ quasi Lycęi. Sequitur: *Totidem oculis Zorobabelis lapis describitur.* Nota, vt Spiritus sanctus oculorum donator sit, qui videlicet indices sunt, vel amoris, vel intelligentiæ, quam infundit, quantumuis aliquis rudi à natura sit ingenio. quanquã eo loco firmus Christi amor in nos, ac prouidentia potiùs designetur.

Spiritus s. typus septẽ columnis domus sapiẽtiæ.

Zach.

Lapis, de quo septẽ oculi sunt dona Spiritus s.

3 Et hoc acutè de septenario notat: *Septimus inter primæuos homines Enoch translationis honore affectus. & Dominus à Luca septuagesimus septimus nominatur ab Adamo.* Vtrumque sanè notatu dignũ. ac vide, vt per Spiritus sancti dona subtrahamur à Mundi periculis; vt de Enoch dictum putatur: *Raptus est, nè malitia mutaret intellectum eius.*

Enoch translatus in paradisũ septimus hominum, et Christus septuagesimus ab Adamo.

4 Item ad septenarij laudes hæc spectant: *Septena Heliæ conuersio, & mystica illa triplex insufflatio, qua Sarephthanæ viduæ filio vita inspirata est; & lignorum septem prolusio, cum ignis diuinitùs immissus sacrificium absumpsit.* Præclarè ostendit per septem dona sancti Spiritus inspirari vitam animæ, & per eadem nos fieri holocausta Deo grata; & idololatriam derisui haberi. Addit de Helia: *Septenaria quoque nubis exploratio, ac speculatio puerulo imperata.* Vides imbrẽ gratiarũ Spiritus s. benignitate profundi, sed innocentia opus esse puerili. Deindè transit ad Helisæum Heliæ discipulum: *Septenaria Helisæi circum Sunamitidis filium fit inflexio, qua vitalis halitus suscitatur.* nempè magistri ritum secutus est; viuificus igitur est hic numerus.

3. Reg.

Septenarius mysteriis in Helia et Helisæo celebratus.

5 Circa templi quoque religionem septenarij mysteria agnoscit: *Septem hastilibus, & lucernis instructum est templi candelabrum; & Sacerdos septem diebus initiatur, & leprosus purgatur.* Nota, in septẽ illis candelabri aurei hastilibus ornamenta fuisse, tùm scyphorum, quod ad sobriã quandam ebrietatem spiritus refer. tùm, liliorum, quod ad candorem animi à sancto Spiritu impetrandum. item nucum formam, quod ad mortificationẽ ob amarum corticem; neque enim sine hac, castimonia tuta est. in Sacerdotio etiam suscipiẽdo animam purgari vitijs intelligimus per ritum dierum septem.

Septenarius numerus consecratus in templi mysterijs.

Exod. 25.

6 In miraculis panum idem mysteriũ considerat: *Iesus, qui pura perfectio est, quinque panibus in deserto quinque hominum millia pascit; ac rursùs septem panibus quatuor millia; ac reliquiæ ibi duodecim cophini, hic septem sportæ. neutrum, opinor, temerè, nec aliter quàm Spiritu sancto dignum erat.* Vides ad Spiritus sancti amorem quasi nutricij, siue altoris, pertinuisse pascere Christum sequentes.

Spiritus s. quasi nutricius sequentium Christum.

7 De

De Spiritu sancto loqui sine ipso non licet.

7 De Pentecoste ipsa sic pulchrè, & piè: *Spiritus aduentum celebramus. Deus bone, quantum mysterium, quàm magnū, ac venerandum! ad Spiritus mysteria exprimenda Spiritus ipse mihi adsit.* Egregiū votum de inuocatione Spiritus sancti; neque enim de ipso sine ipso fas loqui.

Spiritus s. principatus, & imperium.

8 Tùm Macedonianos insectatur: *Qui Spiritum sanctum inter res creatas habent, mali serui sunt; malorum enim seruorum est reÿcere imperium, & aduersùs dominationem insurgere; & quod liberum est, in eandem seruitutis classem redigere.* contra hos obijcerem illud psalmi: *Spiritu principali, seu principum cōfirma me. & vbi Spiritus, ibi libertas.* Tùm negat de his tractandum cum impuris hæreticis: *Non omnibus arcana mysteria committenda: Nè luto margaritam, & imbecilla auri tonitrui sonum cōmittas.* Vides, hæreticos cœno vilissimo cōparari, Spiritus sancti mysterium margaritæ, quæ ex cœlesti rore concrescit in corde iustorum velut in concha. ac certè quid eius dona sunt, nisi pretiosissimi vniones ad animę ornamentum? rectè etiam eius prædicatio tonitrui sono cōparatur, iuxtà illud: *Factus est repentè de Cœlo sonus tanquàm aduenientis Spiritus vehementis:* non sine coruscatione, quot enim linguæ igneæ, tot fulgura fuerunt, de quibus dicitur: *Illuxerunt coruscationes tuæ Orbi terræ.* aures autem hæreticorum imbecillę rectè dicūtur, quę quia prædicationem rerū diuinarū, quasi tonitruum ferre non possunt, obtundūtur.

Spiritus s. margaritæ cōparatus

Spiritus s. quasi tonitruū hæreticorum aures obtundit.

9 Eleganti admodùm elogio Spiritum sanctum commendat, atq; describit, eiusque præsertim æternitatem ostendit. Tùm sic pulchrè per antithesin: *Erat semper explens, non expletus; sanctificans, non sanctificatus; deificans, non deificatus; ipse semper, & secum, & cum ÿs, quibus adiunctus est; idem, & æqualis, inuisibilis, temporis expers, nullo loco inclusus, immutabilis; qualitate, quantitate, forma, & tactu carens; se ipsum mouens, arbitrÿ liber, per se potens, omnipotens; tametsi ad primam causam, vt omnia ea, quæ Vnigeniti sunt, ità etiā quæ Spiritus sancti sunt, referantur; vita, & viuificans; lux & lucis largitor; bonitas ipsa, & fons bonitatis; Spiritus rectus, principalis, Dominus. quid plura? omnia quæcumque habet, sunt filiÿ; omnia quæcumq; filiÿ, Spiritus sancti sunt, si generationem exceperis, &c.* Singula præclarè dicta. quod ait ad patrem, tanquàm *ad causam*, græcè αἴτιον referri, Theologi nunc originem dicunt, vt à physicis causis distinguant, quæ aliud sunt, quàm effectus. at Spiritus sanctus à Patre procedens, & Filio, *alius, non aliud* est, quia vna natura. Tùm aduersarios terret, nè in Spiritum sanctum impiā linguam acuant: *Parturis obiectiones? linguā hodie comprime. alias nunc linguas venerare, aut metue; hæc mysticè, illa theatricè; hæc Ecclesÿs, illa foro.* Acutè monet, vt igneam linguam Spiritus sancti aut venerentur, aut metuāt; nempè ignis ominosus est hæreticis, vtpotè pœna ipsis indicta. aliud est linguam in theatricis spectaculis, aut in forēsibus causis dicaciter acuere; aliud cœlesti lingua de diuinis humilitèr, & piè loqui.

Præclarum de Spiritu sancto elogium.

Spiritus s. alius non aliud ab alijs personis.

10 Spiritus sancti operationes exponit: *Primum igitur Spiritus sanctus in Angelicis, & cœlestibus virtutibus, ÿsque, quæ post Deum prima sunt, eumq; circumstant, operabatur; neq; enim aliundè perfectionem, & splendorem habent, & vt ad malum non moueantur. deindè in Patribus, Prophetis, quorum aliÿ Deum per imaginē viderunt, aut cognouerunt; aliÿ etiam res futuras pranouerunt: impressam nimirùm per Spiritum, principalem animi partem habentes, tùm in Christi discipulis: Christū enim prætermitto, cui aderat, non vt operans, sed vt æqualem comitans.* Vide vndè in Angelis splendor, gloria, & stabilitas in bono; nempe à Spiritu sancto: quò mysticè referre possumus illud Iob: *Spiritus eius ornauit Cœlos.* Quod autem ait, antiquos Patres, Prophetas, & Apostolos habuisse *impressam per Spiritum sāctū principalem animi partem*, id est mentem, græcè est τυπούμενοι; sicut in typis fit, & anulis signatorijs. ità Spiritus sanctus quasi typographus suam doctrinam in corde, velut in pagina libri imprimit; quò refero illud Apostoli: *Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris, non atramento, sed Spiritu Dei viui.* adde illud Cant. *Pone me vt signaculū super cor tuū.* imprimit ibi, ac figurat virtutes varias. Tū de Christi discipulis sic: *Discipulis porrò trifariā, tribusq; temporibus datus: ante passionem, & post resurrectionem, & post ad Cœlos ascensum: quò ostenditur tùm prima illa morborum, spirituumq; depulsio, quæ scilicet non absque Spiritus numine fiebat; tùm illa post resurrectionem insufflatio; tùm deniquè præsens ignearū linguarum diuisio, quæ perfectior.* Vide quàm aptè Spiritus sanctus terna sui communicatione se in Trinitate esse significarit.

Spiritus s. quasi cordis typographus.

Spiritus s. cur ter omnium catus Apostolis

11 Docet, cur Spiritus sanctus linguarum forma se ostenderit: *In linguis apparet propter cognationem, quam cum Verbo habet.* Acutè dictum: quid enim tàm vnitū, quàm lingua verbo? Perrgit: *Cur autem in linguis igneis? vtrùm propter purgationem, an verò propter essentiam? Deus enim ignis consumens est, improbitatem scilicet.* Vtraq; ratio egregia; tùm quia ad Mundi purgationem veniebat, veluti peste vitiorum infectum; tùm vt ostenderet, se Deum esse, cum ille ignis dicatur. Addit de alijs

Cur Spiritus s. in linguis, & igneis.

Linguæ bipertitæ ob gratiarum diuisiones.

circumstantijs: *In dispertitis linguis apparet, ob gratiarum diuersitatem. sedit autem propter regiæ dignitatis excellentiã, eiusq; super Sanctos requietem; quandoquidem Deus quoque pro throno Cherubim habet.* Pulchrè adnotat, cur dicatur: *Seditq; supra singulos eorũ.* cum potiùs ignis proprium sit sursum attolli, non sedere; sed sedit, tùm vt maiestatem diuinitatis ostenderet, tùm vt Apostolos faceret ob sapientiæ, quam infundebat, magnitudinem, similes Cherubim, de quibus dicitur: *Qui sedes super Cherubim.* Quàm igitur præclara Apostolorum laus, effici thronos Cherubicos Dei? quod autem ait: *Super capita eorum.* quantò hoc splendidius, quàm quod in ministris, & aulicis suis ad fastũ Salomon fecisse legitur? ramentis videlicet auri per capillos diffusis, vt exsplendesceret coma fulgore aureo: at Apostolica coma igneo, ac diuino micuit.

Spiritus s. sedit super capita Apostol. in signum regiæ maiestatis.

Iosephus hist.

12 Loci, vbi Spiritus sanctus illapsus circumstantiam considerat: *In cœnaculo verò apparet, propter eorum, qui accepturi sunt, ascensionem, atq; à terra subuectionẽ; nàm & cœnacula diuinis aquis, à quibus etiam Dei laudes celebrantur, tegi audiuimus; & Iesus ipse cum sublimioribus rebus discipulos initiaret, mysterium ipsis in cœnaculo impertit; vt indicaretur partim Deũ ad nos descendere oportere, vt Mosi contigit; partim nos ad Deum subuehi, sicq; inter Deum, & hominem consortium iniri: quandiù enim & ille in sua specula, & homo in sua deiectione manserit, benignitatem communicari non posse.* Pulchra, & acuta ratio, cur in parte domus superiore aduenerit Spiritus sanctus, vt scilicet esset quasi occursus quidam inuicem, & Dei descendentis, & hominis ascendentis; & vt è terrenis ad supera extolli mentem debere ostenderet; sicut & in eadem superiore domus parte Eucharistiam instituit: nempè hæc à Theologis quædam quasi extẽsio Incarnationis dicitur. sicut igitur tùm Spiritus sanctus adfuit Virginem obumbrando, ità hîc Apostolos illustrando; illud quia Christus per humilitatem tegendus, hoc quia per prædicationem Apostolicam declarandus.

Cur Spiritus s. in cœnaculo superiorẽ parte domus illapsus.

13 Alias sancti Spiritus operationes ostendit: *Hoc Spiritu repletur Beseleel tabernaculi architectus.* Hoc ad Fundatores religionum, quasi architectos diuinitùs instructos pertinet, eodem Spiritu repletos: nàm ità est in Exodo: *Ait Dominus ad Mosen; Ecce vocaui ex nomine Beseleel filium Vri, & impleui eum Spiritu Dei, sapientia, & scientia in omni opere, ad excogitandum quicquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære, & marmore, & gẽmis, & diuersitate lignorum.* Hoc, præter cæteros, ad nostrum quoque Ignatium refero, qui Spirituũ in primis discretione, & prudentia pollens, minimã hanc (sic enim appellari voluit) Societatem instituit, in omnia se versantem ad animorum salutem; siuè honorifica, & splendida munia sint, vt in cathedris docendi superiores scientias, siuè inferiora sint munia, vt pueritiam instituendi, per plateas, & vicos rudimenta Christianæ fidei docendi. porrò Beseleel hebraicè idem est, ac, sub vmbra Dei; & vt ait Philo, significat virum à Deo afflatum, qui veritates à Deo acceptas ad exemplarem normam docet; quod certè Ignatius egit. addo, sub vmbra Dei, idest Dei protectione; nàm apparens ei Christus crucem baiulans dixisse fertur: Ego vobis Romæ propitius ero. & rectè, si nomẽ ipsum spectes, Ignatius filius Vri, idest ignis mei, sicut dicitur filia Sion ipsa Ciuitas. nec omittam obiter, quod addit scriptura: *Dediq; ei sociũ Ooliab.* hoc est Franciscum Xauerium, vnum, & præcipuum ex decem primis: nàm Ooliab hebraicè est, splendor patris. quid tàm conueniens Xauerio? splendor certè patris, idest Ignatij, illustrauit enim Societatẽ ab ipso fundatam, imò Orientem ipsum vera luce cumulauit. ad cæteros verò socios præsertim doctrina insignes pertinet quod sequitur: *Et in corde omnis eruditi posui sapientiam, vt faciant omnia, quæ præcepi tibi, arcam, mensam, candelabrum, &c.* quod referri potest ad varias scriptionum materias ad Ecclesiæ vtilitatem ab ipsis in lucem editas.

Exod. 31.

Ignatius collatus cũ Beseleel tabernaculi architecto.

14 Pergit de operationibus Spiritus sancti: *Hic Spiritus Heliam in curru extulit, ac duplex ab Helisæo postulatus.* Nempè ideò currus ille triumphalis igneus fuit, quia eius triumphi apparator, & designator erat Spiritus sãctus, diuinus ignis. currus enim ille Cherubicus ab Ezechiele visus, non aliò ferebatur, quàm quò raperet *impetus Spiritus*. Tùm nota auiditatem Helisæi postulantis duplicem spiritũ. nimirũ intelligebat quàm præclarũ bonũ hoc esset: nos vel paruo cõtenti sumus.

Spiritus s. Heliam curru igneo extulit.

15 De eodem Spiritu sic: *Hic Spiritus cum Filio rerum creationem fabricatur: Verbo enim Domini Cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. & Iob ait: Spiritus diuinus, qui fecit me, flatus Omnipotentis, qui docet me.* Vide, vt æqualis Filio sit. & nota verum magistrũ, à quo vera sapientia discenda est, esse Spiritum sanctum. quò facit illud Ambrosij. *Primus,* inquit, *discendi ardor nobilitas est magistri.*

Spiritus æqualis Verbo.

Psalm.

Spiritus s. magister.

16 Item ostendit miras sancti Spiritus operationes: *Hic Spiritus, vtpotè sapientior, & φιλανθρωπότατος, hoc est hominum amantissimus, si pastorem nactus fuerit, psalten reddit, prauos spiritus incantãtem,* atq;

Spiritus s. philanthropos, hoc est hominum amantissimus.

atq; Israelis regem designat: si caprarium, prophetam. si adolescentem pulchræ indolis, Iudicem. si piscatores, Christo irretit, complectentes sermonum retibus vniuersum Orbem. Alludit ad Dauid, Amos, Danielē, Apostolos. vides Dauid à diuino Spiritu sceptrum regni accepisse, & hunc sanctum opposuisse spiritui malo Saul, eumq; pulchrē quasi serpentem diuinis laudibus ab illo incantatum dicit, nè posset nocere.

17 De Apostolis verisimilius putat, linguis varijs eos locutos, quàm vna lingua loquentes à varijs nationibus intellectos, quia miraculum potiùs in horum auribus, quàm in ipsorum sermone fuisset. Tū comparat hoc cum diuisione linguarum in turri Babylonica facta: *Laudabilior hæc linguarum diuisio; ab vno enim Spiritu in multos diffusa, in vnam harmoniam rursùs connectitur.* Nempè vnum, & idem prædicabant linguæ, licet diuisæ; sicut in symphonia acutus, & grauis, & alij soni in vnū concentum confluunt. pulchrè igitur symphoniacus quodammodò artifex visus in hoc Spiritus sanctus; adeòq; aptè dicitur: *Factus est repentè de Cœlo sonus tanquàm aduenientis spiritus.* talem linguarum symphoniam operatus est etiam in Apostolo Oriētis Xauerio, vt habetur in eius actis.

Linguæ Apostolis datæ harmonicum donum.

& venustè vocat, *inundationes veluti lucis:* nàm à manando dicitur manè; & in visione Mardochęi visus est: *Fluuius in Solem, lucēq; conuerti.* huc spectat, quod sequitur.

2 Vtitur item elegantèr fontis similitudine: *Quemadmodùm ab vno aquarum fonte nectaream aquam summa copia egerente magnum quoddam profluuium excurrens in duo flumina findi contingit; qui ab vno quidem fontis oculo primùm manauerat, verùm fluuijs specie ità conformatis duplici fluento decurrit; nec tamen ex huiusmodi diuisione incommodi quicquam, & detrimenti quantum ad essentiam accipit; vnam enim, & eandem qualitatem humoris obtinet, ac principium ad fontis perpetuitatem coniunctum habet: ità ille sempiterna vitæ fons Deus, biflua Filij, & Spiritus sancti intellectuali gratia ad nos missa; nec ipse essentiam suam læsit, & hi ad tres vsque processerunt, nec tamen vllo modo à Patre separantur, quia missi: indiuidua enim summi numinis natura est.* Pulchrè immensum quendam, & perennem nectaris fontem considerat, quippè summa bonitas Deus est. græcè est νεκταρῶδες. pulchrè itaque subiungitur: *Biflua Filij, & Spiritus sancti gratia*; quid enim dulcius, ac magis nectareum, quàm gratia?

Trinitas expressa per fontem nectareum.

Ex Oratione XLIV.
Ad Euagrium de Diuinitate.

1 Diuinam naturam vnam in personis tribus per similitudines ostendit. ac primò ait: Sicut inter mentem, & cogitationem, & animam nostram nulla est sectio; ità inter Patrem, Filium, & Spiritū sanctum. Deindè: *Quemadmodùm inter orbem, & radium nulla diuisio, atquè incisio reperitur, sed vt orbi radius coniunctus est; ità rursùs orbis, oculi cuiusdam instar, Vniuersitati radios suos, fluminis instar infundit, lucis nobis velut inundationes quasdam, ac diluuium efficiunt; haùd secus Patris velut radij quidam ad nos demissi sunt, tùm splendidus Iesus, tùm Spiritus sāctus: vt enim lucis radij mutuam relationē natura indiuiduam habentes, nec à luce disiunguntur, nec à se inuicem discinduntur, lucisq; beneficium ad nos vsq; traijciunt: ità Saluator noster, & Spiritus sanctus geminus ille Patris radius simul, & ad nos vsque veritatis lucem sufficiūt, & Patri vniti sunt.* Præclarè, & acutè assimilat Patrem orbi sphęrico Solari: nàm vt indè originē habent radij cum relatione, & vnione inter se, ità Filius, & Spiritus sanctus. quę tamen non omnimoda similitudo putanda est; nàm radij à corpore luminoso fluunt tanquàm effectus à causa, &c. rectè autè,

Trinitas in Solaribus radijs expressa.

Ex Oratione XLV.
Ad Nectarium Episc. Const.

1 Apollinarem carpit, qui affirmabat: *Carnis naturam in Filio iàm indè à principio esse, quia dictum est: Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descēdit de Cœlo.* Addebat, deitatem fuisse in Christo loco mētis, & ipsam deitatem passam. adeò dùm acutè se differere putabat de mente, in dementiam incidit impiè sentiēdo; caro igitur illa ex Virgine matre suscepta.

Christus non tulit è Cœlo carnē cælestē.

Ex Oratione XLVI.
De Ezechielis visione.

1 Quadriformem illam Cherubicam speciem in Ezechielis curru, & quæ ad eam pertinent, præclarè considerat. Per hominem, inquit, indicatur vis rationalis, per leonem vis irascibilis, per vitulum concupiscibilis: *Per aquilam conscientia reliquis incumbens, quæ à Paulo spiritus hominis dicitur.* Vide quid sit conscientia, tanquàm aquila insigne regni, atque imperij; infrà eam sunt passiones, quibus imperandū est. addo, quia instar aquilæ vncis vnguibus conscientia lacerat eū, qui his passionibus abutitur. aut quia bo-

Quadriformis species Cherubica ad animæ partes relata.

na conscientia, acuta, & aquilina acie mentis, minima quæque delicta considerat, & præcauet.

2 Pergit in expositione: *Per eum, qui insidet, Pater; per Spiritũ, Spiritus sanctus; per nubem, Filius.* Vide quanta cum pompa triumphalis iste Cherubicus currus Trinitatem augustissimam ferat. Tùm locum considerat: *Ab Aquilone, idest à puerili institutione ad excellentiora progrediens.* Nempè à pueritia Trinitatis mysterium addiscitur, quod adultiore iàm ætate clariùs, quantum licet, percipiatur. sed cur Aquilonem pro pueritia accipit? an quia simplicior ea ætas nondũ feruet æstu cupiditatum? Porrò quod ait: *Species electri, &c. electrum animæ à vitijs repurgatæ statum significat. sapphirus arcana designat; chrystallus puritatem, animique affectionem ab omni fraude alienam.* Vides hunc Cherubicum currum tanquàm innocentiæ, & Angelicæ castimoniæ triumpho inclytum esse, vtpotè purissimæ Trinitati sacrum?

Currus Cherubicus Trinitatis.

Currus Cherubicus castitatis, & innocentiæ.

3 De animalium pennis in eo curru sic: *Omnis natura rationalis spiritalibus pennis instructa es.* Vide igitur quàm peruersè faciant, qui terrenis affectibus humi repunt. Sequitur: *Mutuò se constringunt, propter societatem, & concordiam. firmamentum additur propter soliditatem.* Igitur aptum non est quadrigæ Dei animal refractarium, calcitrans in alterum. hoc ad coniunctionẽ cum proximo spectat, illud cum Deo. Itàq; rectè subiungitur symbolum eius virtutis: *Iris propter pacem, & fœdus nobis cum Deo initum.* Tùm animalium pedes considerat: *Recti pedes dicuntur propter constantiã.* Nota de rectitudine affectuũ, his n. pedibus incedit anima, vt constantes sint, vt recta intentione procedant; nec obliqui, nec claudicantes. Sequitur: *Pedis vestigium, vt Symmachus vertit, vituli, propter agriculturæ laborem. vt autem vertit Aquila, rotũdum, quia hæc figura omnes pulchritudine vincit.* Egregiè notat, gloriam esse laboris mercedem; itemque perfectionem operis, quæ in orbiculari figura designatur. addo ego idcircò rotundos dici pedes horum animalium, quę Dei currum trahebant, tùm vt velociores essẽt ad cursum propter sphęricam figuram; tùm vt in quamlibet partem, & quocumque diuinus auriga ferret, verterentur, quales Apostolici viri esse debent, ad Euangelium per totum Orbem ferendum prompti. Prætereà: *Reuertuntur instar formæ Bezec, idest fulguris, velut ægrè iter facientes: quoniam totam lucẽ non habent.* Nota, cur hæc animalia reuertebantur. nonnunquàm enim iustos ipsos continui laboris tædet, nec progredi audent. nondùm totam lucem perfectæ sanctitatis hauserunt, lux fulguris euanida est, nec diù durat.

Cherubica animalia viros Apostolicos exprimunt.

4 Rotarum formam interpretatur: *Forma rotarum, vt explicat Symmachus, hyacinthina.* Nempè cœlestis color hic est; & indicat, quatuor euangelia per quatuor rotas significata nihil nisi cœleste, & pretiosum continere, & ad metam brauij cœlestis excurrere, velut Olympionicas peruehendo.

Rotæ currus Cherubici hyacinthinæ, quia in Cœlum ducunt.

5 De ignis specie visa in eo curru sic: *A lumbis ignis æstuat. hæc pars castigatione opus habet.* Nota de mortificatione carnis, cui meritò triumphus debetur. Addit: *Ignis purgat. tùm splendor faustum, ac iucundum finem, & quietem significat: huiusmodi enim sũt supplicia, in quibus inferendis id vnum sibi summus rerũ opifex proponit, vt subiacentem materiam quasi per artem fabricetur.* Nota, is, qui in curru erat, à lumbis ignitus erat, & subiungit: *Splendor in circuitu eius.* quia ex mortificatione carnis, & supplicijs huius vitæ, quæ per ignem indicantur, purgatio oritur, vndè splendor virtutis appareat: ità vt in igne quasi aurũ liquatũ varias pulchrè formas induat, & quasi aureum simulacrũ efformetur, siuè electrinum ex auri argentiq; materia. Deniquè de Esaiæ mortificatione sic: *Esaias tribus annis nudus, & sine calceamentis vitam transegit.* Præclara laus, cum esset regij generis, vt alijs præberet exemplũ. pertinet hæc laus ad quasdam religiones, quę iuxtà suum institutum nudipedalia agunt. cæterùm nostra minima Societas item triennium in alijs mortificationis generibus impendit: bienniũ ante studia literarum, & posteà annum quasi iterũ tyrociniũ agendo, vt ad proximũ nõ sine apparatu virtutũ accedamus.

Per mortificationem vt per ignẽ purgamur, & expolimur.

Esaias tr[ienn]io nudus, & excalceatus incedit.

Ex Oratione XLVII. De Martyr. & de Arian. eiect.

1 GRatulatur de honore Martyrum, & hæresi profligata, ac domita: *Hæc vrbs, quæ Martyrum parens est, diù honore eo, quẽ ex filijs capiebat, expers fuit. sed iã arma è manibus proiecta, soluta acies. vestrũ fuit hoc certamen, ò Martyres; vos ingens bellum confecistis, vos tropheum pace erexistis. deleta est hæresis impostura, instar nebulæ à Spiritu sancto dissipata; pura autem pacis serenitas effulsit, ac per eã Vrbis stellæ in splendido veritatis lumine radiantes apparent, nec nocti, ac tenebris attributæ, sed diei. anteà quæ tragica calamitas tanta? &c.* Rectè Martyribus tanquàm pro fide propugnatoribus tribuit victoriam contra hæreses. pulchrè autem Catholicos appellat: *Vrbis stellas in splendido*

Martyrum sanguine deletæ hæreses.

dido veritatis lumine radiantes. nec nocturnas,sed diurnas,vt erant illæ, quæ vnà cum Sole Ecclesiam,in typo mulieris, coronabant in Apocalyfi. hæc gratulatio etiã hoc tempore locum habet, cum Ferdinandi Imperatoris,& aliorum Catholicorum Regum,ac Principum opera hæresis strenuè debellatur, sub fœlicibus auspicijs Alexandri VII. Romani Hierarchæ,ad id strenuè incumbentis.

Catholici radiantes Verbi stellæ.

3 Hæreticorum conuentum eleganter,sed acribus verbis insectatur: *Chorus ille diaboli propugnaculum fuit. ac si etiam externorum nominum aliquid vsurpare oportet,prauus Furiarũ exercitus bacchatus est*. Cogita Tisiphonen, Alecto, cæterasque Furias, siuè Eumenides vipereis crinibus,& tædas ardentes iactantes; hæreticos expressisti. Subiungit: *Quamnam improbitatis huius imaginem excogitabo? vidi in pariete picturam, qua malorum recordationem refricauit: chorea quædam erat fœminarũ indecorè se gerens tripudij specie, Mœnadas fabula appellant. ad auræ flatum coma huc illud iactabantur; vultus insaniæ aditus erat. in medio Semiuir gestu fractus, ac dissolutus veluti tumulentus, ac mætis inops. hic in curru sonolẽtus per Mœnadum chorum à feris vectabatur. circa,q̃ pilosi in hircinis cruribus subsultabant*. Nõ potest magis graphicè Baccharum chorus,& habitus describi, dum insana illa O gia Bacchi celebrabant. huic choreæ ebriosarum mulierum,quæ apparebat in pictura,similem aptè facit hæreticorum conuentum. porrò *Semiuir ille gestu fractus, ac dissolutus*, qui in medio erat, quis nisi Lutherus hæresiarcha dicendus est? circa eum Satyri monstrosa forma,nempè dęmones insanæ eius doctrinæ plaudẽtes,

Hæreticorũ conuentus Furiarũ agmen est.

Pictura bacchantiũ eleganter ad hæreticos relata.

Ex Oratione XLVIII. De Fide.

1 IN prologo Ruffini laus est de Gregorio,diciturque: *Per omnia incomparabilis verbo,& operibus clarus,qui splẽdidissimum lumen Ecclesiæ præbuit*. Deindè narrat illum, cum philosophiæ studijs Athenis floreret, vidisse per soporem sedenti sibi,& legenti duas decoras Virgines, quas cum toruo ipse ore respiceret pro pudore,dixerunt illæ, se esse alteram Sapientiam, alteram Castimoniam. facit autem hoc pro S. Thoma Aquinate, qui has ambas egregiè coniunxit. cui etiam præclarum hoc elogium competit: *Per omnia incomparabilis,&c.* Cæterùm nobilior hęc visio,quàm ea,quã fabulantur de Hercule, cui & Virtus, & voluptas se obtulerint, vtraque ad se eum alliciens,vt est in Cebetis tabula.

Præclarum elogium de Gregorio.

Sapientia, & Castimonia per visum Gregorio se exhibent.

2 Arianos Gregorius exagitat: *Qui sublato* ὁμοουσίου, *idest vnius substantiæ vocabulo*, ὁμοιούσιον *posuerunt, hoc est similitunem genitoris; cũ aliud sit similitudo, aliud veritas*. Nota fraudẽ in literula: qua de re ait Hieronymus ad Damasum: Ingemiscẽs Orbis terrarũ Arianum se esse ingemuit.

3 Filij diuinitatem ostendit ex illo psalmi: *Eructauit cor meum Verbum bonum dico ego opera mea Regi. Vides hoc Verbum bonum esse filium Dei, quem non aliundè, quàm de paterno pectore,& vt ità dixerim, de vtero cordis Dei credimus extitisse, ac proindè eum Regem appellat*. pulchrè *de paterno pectore,& de vtero cordis*. Quid ni mitissimus,& amantissimus sit, qui partus est cordis? hinc est, q̃ se pro nobis hominẽ factum obtulit morti. Affert & illud Ecclesiast. *Ego ex ore Altissimi prodiui, &c. hæc est illa Sapientia vniuersitatis conditrix,& effectrix, idest filius Dei, per quem omnia,& in quo omnia; quia vt ait Apostolus: In ipso constituta sunt omnia in Cœlo, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siuè Throni,&c.*

Psalm.44.

Dei filij generatio de vtero paterni cordis.

Eccl.24.

Colos.1.

4. Obijciebãt,hoc nomen homousij,hoc est cõsubstãtialis, nõ inueniri in scriptura; Respõdet,hoc nihil obstare,modò verũ sit: *De Deo patre exiui,inquit,quod non dicitur de Mose Deo Pharaonis. & tu cur dicis lumẽ ex lumine,non autem de lumine? quasi aliud à Patre lumen factum,cum nec inueneris in scriptura*. Acutè,& rectè arguit. affert tamen loca, quæ hanc consubstantialitatem innuant: *Hieremias ait: Quis stabit in substantia Domini?& iterùm apud eundem: Si stetisset in substantia mea, auertissem eos à studijs eorum pessimis. & apud Salomonem: Substantia mea, dulcedo mea est. ergò substantiæ vnitas est in Patre, ac Filio*. Pulchrè dicitur, Verbum diuinum,dulcedo ipsa; similitèr & supra de Patre Filiũ tanquàm de nectareo fonte manare dixit. quid mirum si de Eucharistia dicitur: *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus?* nẽpè: *Substantia mea, dulcedo mea est*.

Homousij. hoc est cõsubstãtialis vox in scriptura.

Cap.23.

Sap.16.

Verbum diuinum dulcedo Patris.

5 De Dei nominibus elegantèr,& pulchrè hæc habet: *Nihil de omnibus, quæ videntur, aut dicuntur secundùm hoc, quod Deus est, dignũ similitudine existimari potest. certè hoc Deus est: quod cum dicitur, nõ potest dici; cum æstimatur, non potest æstimari; cum definitur, ipsa definitione crescit. per varia quidem vocabula diuinarum dispositionum mysteria cognoscuntur, non ipsa maiestas filij Dei propriè definita monstratur*. Egregiè dictum: *cum definitur, ipsa definitione crescit*. Tùm singula nomina aggreditur: *Sapientia appellatur, quia non aliundè quàm de Patre veniens credentibus arcana cœlestia reserantur. Retia dicitur, quia per ipsum, & in ipso de mari sæculi diuersa gẽtium multitudo, more piscium, per baptismum in Ecclesia cõgregatur*. Pulchrè

Nullũ vocabulum idoneũ ad Deum perfectè exprimendũ.

Christus rete dicitur ob baptizatorũ capturam.

chrẽ Christus rete dicitur, præsertim ob foramina vulnerum: escam seipsum in Eucharistia posuit. idē in Cant. dicitur: *Prospiciens per fenestras, respiciēs per cācellos.* legūt alij, per retia. iacto hoc reti in aquas baptismi, captura piscium mira facta est.

6 Pergit ad alia nomina: *Margarita appellatur, vt nihil pretiosius habeatur.* huc refer margaritam illam in Cleopatræ conuiuio in poculum datam; concha quidem Deiparæ vterus fuit rore superni Spiritus accepto, iuxtà illud: *Rorate Cœli desuper.* Vide igitur, vt in concha cordis tàm pretiosa margarita concrescat per Eucharistiæ sumptionem: est enim hæc velut Incarnationis extensio.

Christus margarita, concha, vterus Virginis.

7 Ad hæc: *Aratrum nuncupatur, quia signo crucis eius dura pectora subiguntur, vt necessario semini præparentur.* Addo solitum Christum, vt aiunt, aratra conficere, quasi delectatū specie Crucis. & vide vim Crucis, quæ possit vel duram glebam pectoris confringere; quid mirum? quando *& petræ scissæ sunt.* Addit: leo vocatur ob fortitudinem; aquila ob regnum, &c.

Christus aratrum dictus corda proscindēs ad sementem virtutū

Christus leo, & aquila dictus.

8 Christi diuinitas comprobatur: *Tantus Filius, quantus Pater. Totus de toto, integer de integro, perfectus de perfecto. quam vnitatem deitatis in Patre, & Filio sciens Hieremias ait: Hic est Deus noster, & non reputatur alius absq; illo, &c. & mox ait: Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Hoc ipsum prædicat Esaias, dicens: Hæc dicit Dominus Deus: Viri excelsi ad te transient, & tui erunt serui, & post te ambulabunt, & in te precabuntur, quoniam in te est Deus, & non est alius præter te; tu enim es Deus Saluator Israel.* Vide excellentiā fidei à piscatoribus prædicatæ, cui se Cæsares, ac Dynastæ humilitèr subiecerunt. porrò hoc non tantùm propter Christi fidem, cui Imperatores, & Reges, & viri sapientia præstantissimi ceruices submiserunt, sed propter ingressum è sæculari statu amplissimo ad humilem religionis dici potest: *Viri excelsi ad te transient, & tui erunt serui, & post te ambulabunt;* sequentes scilicèt eius vestigia paupertatis, &c. iuxtà quod ait: *Tollat crucem suā, & sequatur me.* Scimus, quot Reges, & regij generis viri, & fœminæ hoc egerunt.

Christi diuinitas ostenditur ex scriptura.

Baruc.

Esa. 45.

Christi fides quantæ excellentiæ sit apud Dynastas

9 Duplicē errorē arguit, alterū eorū, qui negant in Deo personas distinctas; alterum eorum, qui negant eandem naturā. circà primum ait: Nec tamen hoc Sabellio fauet, *Qui ipsum Patrem ipsum Filium profitetur. non ità nos totum in vnam essentiam cogimus, vt aliorū hæreticorum fraude capiàmur: sed quia ipso nomine personarum auctoritas indiscreta cognoscitur, & Filius non genere, sed persona alter à Patre nominatur, &c. ac proindè nos Filium verū de vero Patre natū, non factum, vnius substantiæ cum Patre defendimus; & hoc est, quod Græci homousion appellant, idest aliū ipsum: vt audientia nominum persona fierent, non vt substantiam vocabula separarent.* Circa alterū sic monet. Non quia Filius visus est in veteri testamento, ideò est diuersus à Patre: *Nàm hoc est potētia Dei, vt cum se reuelare velit, habitum mutet, nō substantiam vertat.* Adde, nonnisi per imaginem visas solùm dispositiones rerum futurarum, antequàm assumeret ipsum hominem: se in Angelo demonstrauit, vt ostenderet magni consilij Angelum: *Colluctatio cum Iacob hominis forma, imago fuit eius colluctationis, quam cum Israel erat habiturus.* Nota de illa lucta, quæ sub mane finem habuit: *Dimitte me, idm enim Aurora est.* quid enim aliud Christi resurrectio post colluctationem passionis, nisi Aurora quædam fuit? Pergit: *Mosi in rubo in flamma ignis apparuit, vt lumen credentibus, incredulis iudicium ostenderet: nàm Christus alijs odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem.* Nota, Mosen discalceatum accessisse, nempè vbi erat quædam iudicij forma. Quod autem de odore ait, quod Christus quibusdā sit odor in mortē; certè rosæ odorē, qui nos quodāmodò viuificat, scarabeis mortem afferre aiunt.

Filij diuinitas probatur.

2. Cor. 2.

11 De Filij apparitionibus in veteri testamento hæc quoq; præclarè monet: *Non sic humanis aspectibus reuelatus est Dei filius, vt tota in illo deitas appareret; sed ad vicem speculi, cum conceptos infra lucem suam vultus quasi ad plenam effigiē hominis includit; ità maiestatis eius præstite fulgore, infra id via est, vt imaginem veritatis, non ipsum Deum propriè demonstraret. sic & cum hominem induere dignatus est, non labem æternitati intulit, vt Spiritus se mutaret in carnem; sed vt suscepto homini immortalitatem, & æternitatem vitæ præstaret.* exinanitus autem dicitur, hoc est seposita maiestate: *vt Sol cum nube tegitur, claritas eius comprimitur, non aufertur.* Rectè humanitatem tanquàm nubem dicit, diuinitatis Solem inumbrantem; neq; enim hebes acies nostra ad intuendum idonea; nàm *Cum se in monte paululùm extrà hominem extulisset, fulgore luminis obcæcati Apostoli ceciderunt periclitati de vita, nisi Dominus subuenisset, iuxtà illud: Deum nemo vidit, & vixit.* Notabile est hoc, quod ait, Apostolos tantæ maiestatis aspectu periclitatos de vita: & tamen tàm dulce spectaculum fuit, vt Petrus de vitæ periculo minimè laborās, dixerit: *Domine, bonū est nos hic esse.* amor morandi cum Christo superauit metum. Igitur pulchrè ait, per humanitatem vim illam diuinam fuisse transfusam ad nos, qui immediatè capaces non eramus: *Cum*

Verbum vt Sol nube humanitatis obtectū.

hominem induit, non statum vertit, non substãtiam immutauit; sed indumento eiusdem corporis æterno claritatis suæ lumine illustrato, virtute ad nos per tramitẽ corporis, eius lux sancti Spiritus, & æternæ vitæ gratia redundauit. Vide quãtum humanitati Christi debeamus. Tùm de misso Spiritu sancto sic: *Misit nobis Spiritum de propria sua, & ex vna, eademq; substantia protectorem, signatorem, & ductorem in vitam æternam.* Nota tria hæc de Spiritu sancto: protegit, dùm obumbrat; signat, dũ prædestinat, vt pastor oues signat suas. deniquè ducit ad finem ipsum beatitatis, & introducit. quod autem & ipse Deus sit, patet ex illo Ioel: *Spiritus, qui ex me procedit, & ipse Dominus.* & apud Ioannem: *Ille de meo accipiet.*

Spiritus s. protector, signator, & ductor est.

Spiritus s. à Patre. Filioque procedens.

C. 2.

De Oratione XLIX. L. & LI. De Fide Nicæna.

1 NIcæni symboli statuta proponit. Damnat eos, qui per Virginem Mariam tanquàm per canalem Christum manasse dicebant, & qui hunc à Deo tantùm adoptatũ: *Vt quos Græci adscriptitios Deos inducũt.* Hinc collige, nõ benè Christum heroem appellari. præterea: *Si quis sanctam carnem nunc depositam esse, nudamq; diuinitate dixerit; non enim iuxtà Manichæorum deliria Soli impositum corpus est, vt per dedecus honoretur.* Nec dicendum, dissolutum in aera, &c. rectè dedecus erat, quod Manichæi fingebant ad decus se dicere, Christi corpus in ascensione relictum in Sole, animam euolasse sursum. est tamen in hoc considerandum, quàm purè suscipiendum sit Christi corpus, quod aduersarij ipsi nonnisi Solis statione dignũ dixerunt. Item damnat Apollinarem, qui sine mente Christum fuisse dicebat, sed Verbum eius loco: at si mens in Adamo prima peccauit, ergò mens assumi debuit, vt menti esset medela. quod autem dicatur, *Verbum caro factum est,* per synecdochen ità dicitur, vt illa: *Ad te omnis caro veniet. & ferrum pertransijt animam eius, pro vinculis ferreis. et Pleias, & Vesper, & Arcturus in memoria sua:* pro eo, ac si dicatur, omnia sidera, Deiq; circà ea œconomia. Tùm pulchrè addit: *Vt magis esset testatus Dei amor in nos, caro in memoriam reducitur, quia nostra causa ipse vsq; ad deteriorẽ partẽ se demisit.* Nota, cur nõ dicatur Verbũ homo factus, sed potiùs caro, vt magis Dei pietas ostẽdatur.

Christus non tãquã ex canali manans ex Virgine. sed verè carnem assumens.

Error Manich. Christi corpus relictum in Sole.

Iob. 30.

2 Arguit Gentiliũ errorem, qui Christum iterùm tradendum, crucifigendum, &c. dicebant: *Vt omnia, quæ eiusdem seriei sunt, impleãtur, eodem altrorũ motu iuxtà Græcorum circuitum, eadem circumferentia, &c.* Est hic error veterũ de anno magno, cum videlicèt absoluto cursu omniũ siderum, etiam tardo illo Saturni, omnia in pristinum reciderent statum. quantò satius dixissent, Christum quotidiè quodammodò à peccatoribus crucifigi, vt Paulus loquitur?

Error de anno magno, quo Christus iterũ crucifigendus.

3 Hæreticorum libros taxat: *Hæretici librorum multitudine gloriantur. si prolixi libri, & noua psalteria, Dauidiq; contrarium sonum edentia, & carminum lepos pro tertio quodam testamento ab hæreticis habentur; nos quoq; psalmos cõdemus, & multa conscribemus, & versibus amplectemur. si tamen hæc est Spiritus gratia, & non potiùs humana nouatio.* Lepidè simul, & seriò arguit hæreticorum arrogantiam, qui suis scriptis fidem haberi volebant, vt literis sacris, cum obscœnas cantiunculas continerent pro psalmis, quasi præter duo testamenta tertium ipsi conderent.

Hæreticorũ arrogantia in libris edendis.

4 Manichæos exagitat: *Manichæi apud eos, quos Electos vocant, disputant; adorandum aiunt nõ hominem Deiferum, sed Deũ carniferum; quo quid stultius? quãuis enim ab inuersionis celeritatem sophisticam aliquam gratiam habeat, & velut in calculorum subductione ludificationem quandam imperitorum animos oblectantem, nihil tamen æquè ridiculum, nihil æquè stolidum.* Nota præstigias verborum in hæreticis.

Manichæi Deum carniferũ dicebant, nõ hominem Deiferum.

5 Iactabant Manichæi se absconditam sapientiam proferre, & latentem veritatẽ prodere, quibus respondet: *Si triginta abhinc annis initium fides sumpsit, cum quadringenti fermè anni fluxerint à Christo, inane vtiq; fuit tandiù Euangelium. frustrà tot Martyres martyrio perfuncti. frustrà tales, ac tanti Antistites præfuerũt.* Rectè arguit, cum ipsorum doctrina triginta annos non transcenderet. quid nunc diceret, post mille sexcentos quinquaginta quinque annos à Christo nato, tot miraculis, ac tanto Martyrum sanguine comprobata iàm fide? itàque egregiè addit: *Tale quiddam est stoliditas, & secum ipsa, & cum veritate pugnat.*

Hæreticorũ doctrina stolidæ est.

Oratio LII. Ex Ecclesiaste.

1 EXponit quædam Ecclesiastæ loca: ac primùm eos arguit, qui nonnisi terrenis inhiant: *Rebus caducis, & temporarijs addicti, supra sidera autem generoso animi oculo, nè tantillum quidem aspicere volentes.* Rectè, ac pulchrè appellat generosi animi oculum, qui ad contemplanda diuina sublimitèr gestiat erigi, despectis, atq; cõtẽptis prorsùs infimis, atq; terrenis.

Generosi oculi est terrenis despectis intueri cœlestia.

2 Explicat locum Ecclesiast. *Antequàm obtenebrescat Sol, &c.* vbi hortatur, vt ante

C. 12.

te mortem, ac iudiciū resipiscamus: *Priusquàm veniat dies magnus, &c. cum iàm nec Sol, nec Luna, nec reliqua sidera splendebunt: cum supremæ illæ Virtutes in illa rerum omnium tempestate, ac tumultu mouebuntur, hoc est Angeli Orbis custodes. ac mulier molæ operā dare ob metum desinens, perexili voce instar tenuissimæ auiculæ vtetur. & Vrbes, & earum magistratus immanes, & sanguinarij supernum supplicitū. expectantes, hoc est ingruente acerbissimo, & cruento tempore, quasi florente amygdala, continuisq; pœnis incumbentibus, velut numeroso volantium locustarum agmine; sublatis flagitiosis hominibus, & extirpatis, velut despicabili cappari*. Rectè vocat iudicij *tempus cruētum*: vbi tanta strages fiet innumerabilium damnatorum; vbi *gladij ancipites in manibus Sanctorum ad faciendam vindictam in nationibus*. cum veluti virga illa amygdalina à Propheta visa vapulabunt impij, quantumuis diuites, & potentes fuerint; tunc enim pro cappari habebuntur vili. & rectè mundani huic frutici comparantur; quia nimirùm sicut capparis inuenitur in parietinis, & muris veteribus, & ruinosis; ità illi nunc Mundo penè venustate iàm ruenti, & caduco inhærent. Item damnati, ob multitudinem, & contemptum, locustis aptè comparantur. illud autem: *Antequàm rumpatur funiculus argenteus, &c.* sic interpretatur: *Ità pij omnia planctibus implebunt; nec eos argentum, & aurū iuuabit*: scilicèt quo quasi funiculo constricti vixerunt. rectè quoq; *custodes domus*, hoc est huius Mundi, qui ad habitandum datus est, Angelos intelligit, qui *in illa rerum omnium tempestate, ac tumultu commouebuntur*. iuxtà quod & Dominus ait de iudicio: *Nàm & Virtutes Cœlorum commouebuntur*.

Dies iudicij per varias metaphoras pulchre significatus.

EX EPISTOLIS.

Ex Epistola II. ad Nicobulum.

1 Circà sermonem rectè admonet: *Laconicè loqui, non est paucas syllabas scribere, sed de pluribus rebus paucas. qua ratione ego & breuiloquum Homerum dico, & prolixum Antimachum*. obscurissimus hic poeta fuit. Refert Dion Hadrianum Imperatorem cogitasse de abolendo Homero, vt nimis fuso, & substituendo Antimacho vt strictiore. sed rectè ait Gregorius, non attendendam longitudinem, aut breuitatem absolutè, sed iuxtà id, quod res, de qua agitur, requirit.

In sermone quid seruandum circa breuitatem, aut lōgitudinē.

§§§§§§

Ex Ep. III. ad Celeusiū præsidē.

1 Silentium, & rusticitatem hic obijciebat Gregorio in solitudine degenti. ipse lepidam de hirundine fabellam affert; quæ cum cygno exprobaret, quod in agris, ac desertis locis, iuxtà prata, & flumina soli sibi caneret, ipsa verò vrbes, ac tecta inhabitaret, respondit cygnus: *At nostri causa in solitudinem libens se nō nemo contulerit, vt musicam audiat, cum Zephyro pennas nostras inflandas damus, vt suaue quiddam, & concinnum inspiret. vos verò in ædes admissas homines fastidiunt; præterea calamitatem vestram ipsæ lugentes*. Alludit ad fabulam. Tereus rex Thracum Philomelæ puellæ vim attulit, & linguam ei præcidit, nè rem patefaceret. illa sorori suæ Progne rem in tela cruore depictam significauit, &c. adeò sanguis pro coloribus, & pigmentis vsui esse pōt, quod ad Martyrū sanguinē verius, ac sanctius trāsferri potest. pulchrè aūt religiosi nimis frequentātes sæculariū domos, hirundinibus cōparātur, quod certè illis molestiā exhibet. qui autē vel ex instituto solitarij sūt, vel ex disciplina, & virtute, vitant hæc vana commercia, & procul ab arbitris intra claustra se condunt, cygnis similes, orationi scilicet, & modulationibus sacris, & psalmodiæ intenti: ad quos tamen ob famam virtutis sæculares instituendi accurrunt; quod accidit multis Sanctis in ipsa eremo degentibus. hi candidis pennis cōtemplationis se extollunt, & iuxtà fluenta gratiarum accubant. Concludit epistolam lepidè: *Intellige quid loquar, ait Pindarus; at si taciturnitatem meam tua loquitandi facilitate præstantius esse inueneris, silentium nostrum ineptè carpere, atq; insectari desine: alioqui prouerbium dicam, vt verissimum, ità etiam breuissimum: Tunc cātabunt cygni, cum graculi tacuerint*.

Religiosi intra claustra cygnis, extra hirūdinibus cōparantur.

Ex Ep. VIII. & X. ad Basilium.

1 De matris suæ morbo sic: *Assidemus dominæ matri graui morbo laboranti, cura vt precibus tuis opem feras ad sanitatem*. Vides assiduam pietatem filij erga matrē, quā dominā pudentèr vocat; nec contentus precibus suis, alienas petit.

Gregorij pietas erga matrē sui.

2 Præclarum continet de Basilio elogium: *Non feram mihi Tyberinam obijci, atq; huius loci glaciem, ò vir, luti admodùm expers, summisq; pedibus incedens, ac pennate, & pendule, simulq; cum Abaridis sagitta delate*. Quod de Basilio lepidè ait, ad Paulum, ad Apostolicos viros, in primis Franciscum Xauerium pulchrè accōmodari

De Basilio elegās elogium, pennatus, &c.

dari potest: *O vir, luti admodùm expers*; ob eximiam puritatem. *summisq; pedibus incedens*, idest vix terram tangens. imò sæpè suspensus è terra visus. *ac pennatis*; excurrens videlicèt Orbem terræ, ac potiùs peruolitans tot vrbes, ac regna. *simulque cum Abaridis sagitta delate*. Abaris accepisse dicitur sagittam ab Apolline, quam iaciens ferebatur & ipse per aerem sublimis, nulla alia re indigens. quam sagittam qui? aliud dicas, quàm verbum Dei? quo Xauerius feriebat, ac penetrabat corda, vel saxea barbarorum, interim sublimis per cōtemplationem. quod item ad S. Sebastiani sagittas referre poteris: ità ipsi aduersarij eum extulerūt; præsertim cum pennatis sagittis vsi sint veteres.

Ex Ep. XI. & XII. ad eundem.

Eremus Insulis fortunatis cōparatur.

1 EIus solitarium locum lepidè laudat: *Ego Pontum tuum admirabor, ac dignam exilio sedem, & præruptorum mōtium coronam, &c. habes, quid de istis Fortunatorum insulis sentiamus*. In Pontum exules amandabantur. lepidè igitur solitudinem sic vocat, ac potiùs vnam ex Insulis Fortunatis, propter fructuum vbertatem sic dictis, quæ nunc Canariæ dicuntur. pulchrè etiam solitudinem montibus coronatam dicit, quasi coronæ ipsius species solitario mercedem, ac præmium virtutis ostendat. Vide ibi fusius.

Eremus montibus quasi corona ornatur.

2 Elegantèr ludit de solitudine, Homericum versum ironice afferens: *Nune age progrediens internum concine, quæso, ornatum. Tugurium videlicet, tecto, & ianuis carens, focum ignis expertem, ieiunas illas epulas, ad quas velut ad Alcinoi mensam, non vt ad Lothophagorum inopiam, è naufragio eiecti sumus*. Alcinoi regis magnificentiam, & luxum narrat Homerus, qui idē de socijs Vlyxis naufragis lotho pastis meminit. Vide igitur, quot incommodis ob paupertatis studium Gregorius teneretur, quę tamē ipsi cedebāt in delicias.

Solitudinis paupertas præfertur Alcinoi hortis, &c.

3 Adagium affert in suo studio declarādo: *Augiæ fimum è domo expurgauimus*. Augiæ regis stabulum, vt fimo expurgaret, commissum est Herculi, qui fuit inter labores vnus. tantum scilicet fimi tollendum erat, quantū termille boues vix possent: quod referri potest ad SS. Doctores, qui Ecclesiæ regiam ab hæreticis, sordibus prauæ doctrinæ, ac vitijs inquinatam, repurgarunt; & nupèr Bellarminus alter Hercules hoc egit in controuersijs, quas scripsit aduersus Hæreticos.

Episcopi est Ecclesiam a vitijs quasi Augiæ stabulum expurgare.

§§§§§§

Ex Epist. XIII. ad eundem.

1 CVm hactenùs lepores, & sales in superioribus epistolis adhibuisset, de solitudine loquēs; nunc seriò agit, & ad quietis pristinæ, & contemplationis statū suspirat, alludens ad illud Iob: *Quis mihi det, vt sim iuxtà menses pristinos? quando secretò Deus erat in habitaculo meo; petra fundebat mihi riuos olei, &c.* Sic igitur ait: *Quis me secundùm pristinorum illorum dierum statum constituet, cum afflictionem pro delicijs habebam? quis dabit illas ad Deū per orationem peregrinationes, illamq; velut materia vacantem, & incorpoream vitam? quis fratrum, qui à te Dij efficiebantur, atq; in altum euehebantur, concordiam, & animorum coniunctionem? quis virtutis certamen, & ad eam incitationem, quam scriptis legibus, & regulis obfirmaueras? quis diuinorum oraculorum studium, lucemq; in ipsis inuentam ductu sancti Spiritus? & vt minora dicam, quis diurnas operum vices, quis arborum irrigationes, quis platanum illam auream, & Xerxis platano præstantiorem, sub qua non rex, sed monachus sedet?* Insignis planè hic locus est; nota singula elegantèr, & pulchrè dicta de religiosorum statu, præsertim eorum, qui contemplatiuam potiùs, quàm actuosam vitam pro instituto habent. possumus tamen idem referre aliquo modo ad spiritales exercitationes ab Ignatio nostro institutas, procul ab omni tumultu curarum. item ad tyrociniū ipsum, quod biennio fit sine vlla alia, nè literarum quidem occupatione, sed totum trāsigitur in oratione, lectione, & corporali aliquo labore ad mortificationem idoneo, & humilitatem. cum igitur posteà studia literaria cœperint aliquantulùm auocare animum à primo statu, tunc ad eum suspirandum est, siuè illis verbis Iob: *Quis mihi det, vt sim iuxtà dies pristinos, &c.?* siuè his Gregorij: *Quis me secundùm pristinorum illorum dierum statum constituet? &c.* Tùm vide quid sit oratio: *Peregrinatio ad Deum*. certè qui peregrinatur, semper ad vlteriora se extendit. totus est in admiratione positus nouarum rerum, quæ occurrunt; omnem alium affectum seponit, parentum, patriæ, commodorū, &c. Deindè vide quid sit vita contemplatiua: *Veluti materia vacās, & incorporea vita*. Ad hæc animaduerte, quantum proficiat conuentus religiosorum sub bono Prælato: *Quis fratrū, qui à te Dij efficiebantur, atq; in altum euehebantur, concordiam, &c.* Prælati quippè est, exemplo, & institutione non modò à terrenis abstrahere, & ad cœlestia subuehere subditos, sed adeò ad perfectionem re-

Iob. 29.

Religiosi status, & contēplatiuæ vitæ elegās elogium.

Oratio est peregrinatio ad Deū.

Vita contēplatiua quasi incorporea, & immaterialis.

Boni Prælati munus vnire subditos cum Deo, & inter seipsos.

redigere, vt vnionem habētes cum Deo, penè Dij efficiantur. item ad Prælatum pertinet, in primis concordiæ inter fratres curam habere, vt vniti sint, & cum Deo, & cum seipsis.

Religiosis propositū certamen virtutis inter se.

Tùm præclarè nota, quæ sit religiosorum exercitatio, & actio: *Certamen virtutis*; vt scilicèt certatim currant ad metam perfectionis. Sed quis agonotheta, & certaminis dux? fundator religionis per regulas scriptas. ideò addit: *Et ad eam incitationem, quam scriptis legibus, & regulis obfirmaueras.*

Regula, & obseruātia Prælato curæ sit.

Rectè etiā de labore manuum agit, quo se nunc etiā apud nos tyrones exercere solent, partim humilitatis, partim valetudinis causa, irrigādis arboribus, &c. vbi pulchrè de platano maximè fit mētio, quā præponit aureæ Xerxis platano. refert Herodotus, Pytheū Lydium tàm diuitem fuisse, vt Darium platano aurea, & vite aurea exceperit. hanc Gregorius etiam mysticè intelligit; conuentum illum religiosorum à Basilio

Sub disciplina religiosa iucūdius viuitur, quàm sub aurea platano Xerxis.

rectè instructum, & sub disciplina spiritali tanquàm sub aurea platano quietè cubātem facit, alluditq; ad verba Pauli: *Hanc platanum Apollo rigauit, hoc est excellentia tua; Deus autem incrementum dedit: vt seduli laboris nostri, & industria monumentū conseruetur; & vt virga illa Aaronis, quæ fronduerat, & seruabatur in arca.* Vtraq; planè comparatio admodùm elegans est,

Virga florens Aarō typus disciplinæ religiosæ.

siuè religiosam disciplinam similem dicat aureæ illi platano, siuè florenti huic virgæ; virga enim est regularis disciplina, sed florens. pulchrè item de aurea ista platano ait: *Sub qua non Rex, sed monachus sedet.*

Monachus cum Rege collatus.

quasi quiddam præstantius sit Deo seruire, quàm regnare. possumus & platanum, & vitem aureā dicere Deiparam; nàm se ipsa diuinæ Sapientiæ voce sic appellauit: *Quasi platanus exaltata sum, & quasi vitis fructificaui, & flores mei fructus honoris.*

Eccl. 24.

Deipara aurea platanus, ac vitis.

quod fructus honoris dicit, huiusmodi certè erat aurea illa vitis ad honorem, & decus efficta Xerxis. hac Deus delectatus, & nos sub eius vmbra idest protectione acquiescere pro summo honore putemus.

2 Basilium sic honorificè compellat: *Tu mihi adesto, virtutemq; tuam simul inspira; eamq; vtilitatem, quam quondam collegimus, precibus tuis conserua.*

Mira Gregorij obseruātia, & amor ergà Basilium.

Vide quanti Basilium faceret ob eximiam virtutem; hoc summi honoris est, quod autē addit, incredibilis amoris: *Equidem te ipse magis, quàm aerem spiro; idq; solùm viuo, quod tecum sum, vel coram, vel abiēs per animi simulacrum.* Vide quàm delectabilis sit Sanctorum conuersatio, non vt mundani putānt, rigida & tetrica. multò autem magis de Christo dicendum, vndè illud Ieremiæ: *Spiritus oris nostri Christus Dominus.* in Hebræo est, respiratio; & aptè subiungitur: *Sub vmbra illa viuemus.* vndè & Paulus ait: *Viuo ego iàm non ego, viuit verò in me Christus.* quæ Pauli verba tanquàm pietatis insigne, ac tesseram imprimi nupèr voluit suis numismatis Pont. Max. Alexander VII.

3 Præclaro elogio ostendit, quanti Basilium faciat. Scripserat ille, opinor, quod non tanti ipsum Gregorius fecisset, cum secum in Pontum non esset profectus; sic igitur respondet admodùm pulchrè: *O studia, ò Athenæ, & virtutes, & literarij sudores; me enim literis tuis penè tragicum facis. vtrùm nos, an te ipsum ignoras? tu, inquam, Orbis lumen, magna vox, & tuba, & regia eloquentia.*

Basilius Orbis lumē, magna vox, & tuba, & regia eloquentia.

Alludit elegantèr ad Basilij nomen, quod regnum sonat. in græco id venustius [illegible]. quasi diceret: adeonè me oblitum putas amicitiæ contractæ, tùm ob virtutem, tùm ob sapientiam, quam simul Athenis hausimus? præclara laus Prælati. subditos ad pietatē instituentis vera eloquētia, & solida: *Magna vox, & tuba.* Eloquentiam verò eius laudat; non istam, quæ nūc vulgi plausibus seruit, sed quæ *regia* est.

4 Pergit ostendere, quanta Basilius in æstimatione apud se sit: *Tua nè mihi parua sunt? quid ergò aliud admirer, nisi te vnum? ver es inter anni partes, vnus Sol inter sidera, vnum Cœlum omnia complexu suo coercens, vna vox tua de omnibus triūphans.*

Elegās elogiū de Basilio vt, Sol, Cœlū, vox triumphalis.

Nihil elegantius, aut magnificentius dici potuit ad eximij Prælati laudem. est enim veris instar, dùm & ipse, & subditi virtutibus florent, & suaue fragrant. est Solis instar inter sidera, dùm communicat ijs lucem, & eminet ipse fons lucis splendore morum. est Cœli instar, omnia complexu suo coercentis, ob prouidentiam, & amorem, quo complectitur subditos. est vox triumphalis, dùm omnes beneuolentia captiuos facit, dùm vitia debellat efficaci sermone, &c. Sequitur itē pulchrè: *Quod si mihi succenses, quia te minus, quàm tua virtus meretur, admiror; omnibus quoque mortalibus succenseri oportet: neque enim quisquam te dignè laudarit, præter te ipsum, ob tuam in dicendo benignitatem.* Acutè dictum, & honorificè. communis, inquit, hæc culpa est, non mea tantùm, qui ob excellentiam virtutis dignè laudari à nemine potes.

Ex Epist. XI. ad eundem.

1 NOn est omittendum quid de priuata vita sentiat, quæ aliorū curā posthabeat: *Pedestris philosophia hæc est humiq; depressa.*

Vita priuata pedestris philosophia est.

Igitur, quæ ad communē vtilitatē dirigitur, vt est in apostolicis viris, ea quasi equestris philosophia, sublimis, & ad Cœlum excitata dicenda est.

Ex Epist. XII. & XIII. Ad Amphiloch. de olerũ dono

1 AGit cum Amphilochio. in prima epistola olera petit: *Nè grauaeris ad nos olera mittere; nàm exigua quoque pauperibus magna sunt: quandoquidem magnum etiam Basilium cœna excepimus.* Vide quam paupere cœna, ac vili cibo vterentur Prælati, etiam cum magnos viros inuitabant, ex oleribus videlicèt, contra quàm olim (atq; vtinam non & nunc) pōtificię, & Saliares cœnę pro magnificis, & delicatis habebantur. erubescendum est autem religiosis nunquàm contentis, & commoda diuitum in religione quærentibus, vbi paupertatis voto se adstrinxerunt. pulchrè ait: *Exigua quoq; pauperibus magna sunt.* In altera verò epistola lepidè ludit de oleribus ab Amphilochio parcè missis: *Quàm parcè ad nos à vobis olera veniunt? & quid aliud, quàm aurea olera? atqui omnes vestræ opes in hortis, & fluuiis sunt, & regio olerifera, quemadmodùm aliis pauristra.* Lusus est. tàm parcè mittis olera, quasi aurea sint, & maximi pretij: licet tā abundè nascantur olera in vestro solo, quā alibi aurum. Pergit item lepidè: *Aut olera copiosius mittite, aut sciemus, nùm cicadæ solo rore alantur.* Nempè nisi cibum mittas, cicadarum more nobis viuendum erit. vbi obitèr nota de cicadis, quæ sub feruenti Sole canentes tantùm cœlesti rore pascuntur, quod iusti symbolum videtur. nàm vbi vulgata habet in psalmo: *Exauduit in orationem humilium.* legunt alij: In orationem cicadæ. aptè igitur Gregorius se cicadam facit. Tùm ostendit itē lepidè, non aliud ab ipsorum regione afferri posse, quàm olera, cum frumenti ferax non sit: *Frumentum vobis fabulosa beatitudo est.* adagium est in eos, qui vbi putant se diuites fore, ibi aut parua, aut nihil inueniunt, iuxtà & illud adagium: Montes aurei. & illud: Thesanri carbones. talis est aula, quàm meritò appelles ἄλλον μακάριον, hoc est, versatilem beatitudinem: aliam mox ostendit faciem, quàm præferre videbatur, contra epistola tertia ad Eudoxium ait, ad optimum vitæ statū adhortans: *Cum Christianæ studium philosophiæ amplexus fueris, inuenies, quæ de ea prædicaui, nequaquàm vana esse,* ἀλλ' ἄλλον μακάριον idest nec versatilem, nec mobilem fœlicitatem: quod multò magis de Beatis in Cœlo dicendum est. nàm cum S. Thomas Aquinas interrogasset sociū sibi post mortem oblatum, vtrùm vera essent, quæ hic de cœlesti patria dicebantur, ac docebantur, respondit illud psalmi: *Sicut audiuimus, sic vidimus in Ciuitate Dei nostri.* Locum etiam in Inferis, vt habetur in adagijs, vocatum supra dixit hoc nomine, μακάριαν idest Beatam: siuè id per antiphrasim dictum, siuè ob Elisios campos.

Gregorij conuiuium ex oleribus

Olera quasi aurea essēt sic parcè donata Gregorio.

Abstinemij cicadis comparati.

Aula versatilis felicitas.

Ex Ep. XVI. & VII. ad Bospos. & Cæsar.

1 BOsposio Coloniæ Episcopo se cedere tandèm ait, vt fiat Episcopus; tū ob lacrymas aliorum id exposcentium, tū nè videatur contemnere Ecclesiasticos gradus; vbi patet, quàm ægrè eum honorem adierit. In alia hortatur Cæsarium fratrem, vt totum Deo se dedat, ex occasione, quòd in magno terræmotu incolumis euaserit tectus ipsa ruina. ac præclarè subiungit: *Timores ipsi valdè commodi sunt, & salutares: ægra enim anima vicina est Deo.* Vide fructum ex aduersitate mirum. afflicta anima fit Deo propinquior, qui tamen tunc abesse videtur longè.

Ægra anima vicina fit Deo.

Ex Epist. XVII. ad Cæsarium.

1 CÆsarium fratrem grauitèr obiurgat, quod in aulam Iuliani Imperatoris se tradidisset: *Magnoperè tua causa non modò doluimus, sed erubuimus.* Notabile est hoc, nàm in aula Cæsaris versari, & munera obire potiùs honorificentissimum putant cognati. contra ostendit, quàm sinistrè hoc boni acceperint: *Episcopi filium militare, externam potentiā, & gloriā appetere.* quasi degener sit à parētibus, qui Deo potiùs, quàm Cæsari stipendia mereri debebat. matris quoq; mœrorē eam ob rem significat: *Dominam matrem, ea de re multis artibus huc vsq; cælauimus; quamuis tantùm ex eo dolorem acceperit, vt nullo solatio mitigari possit.* Nota ex suspicione tantùm; ac vide quid mater filijs optare debeat, pietatem scilicèt erga Deum, non mundanos honores. quantus igitur dolor erit religionis, veluti matris, cum suos ambitiosè in aulis principūm versari videbit? deniquè excusationem omnem reijcit: *Satis facultates nostræ ad vitam ingenuè, honestèq; degendā sufficiūt.* rectè auiditas illa vel lucri, vel honoris maioris inexplebilis taxatur.

Aulæ pericula.

Ex Ep. XVIII. ad Sophronium.

1 SOphronium præsidem orat, vt curā suscipiat bonorum Cæsarij vita functi, quæ alieni iniquè inualerant: *Vides quales res nostræ sint, & quo modo in orbē voluantur. erat quidem Cæsarius ampli, & splendidi nominis, amicorum gloria clarus,*

Catastrophe in morte, quādo vel diuitum nulla habetur ratio.

& celeber. at nunc exanimis iacet, desertus, miserabilis, exigua myrrha conditus, si tamen hac data, ac paucis, & vilibus integumentis. aduersarij in facultates impetum faciunt, diripiunt, nemo prohibet. fidum, & sincerum te mortuo prabe. Nota catastrophen rerum humanarum, & vide officium iusti magistratus in litibus expediendis, præsertim mortuorum: *fidum, & sincerum te mortuo prabe.*

Ex Epist. XIX. ad Basilium.

1 QVantum Basilio Ecclesia opus haberet, ostendit: *Periculum est, nè pietatis doctrina conuellatur, nisi primo quoq; tempore Beseleelis spiritus excitetur, hoc est sapientis architecti disputationum, ac dogmatum.* Pulchrè ostendit, sicut in tabernaculi apparatu Deus prouidit, excitando Beseleelem architectum, de quo dicitur: *Ecce vocauit Dominus ex nomine Beseleel, impleuitquè eum Spiritu Dei, & scientia, & omni doctrina ad excogitandū, ad faciendum opus in auro, &c.* ità Basiliū eodem Spiritu implerum, & sapientia ad Ecclesiæ structuram per sanam doctrinam tanquàm architectum ait esse delectum; præsertim quo tempore hæreses grassabantur. est hęc laus S. Thomæ Aquinatis. est aliquo modo etiam Bellarmini Cardinalis, qui in controuersijs contra hæreticos: *Sapiens architectus disputationum, ac dogmatum,* rectè dici potest.

Basilius sapiēs architectus Ecclesiæ tabernaculi.

Exod. 31. & 35.

Ex Epist. XXII. ad Cæsarienses.

1 HOrtatur, vt Basilium eligant in Episcopum: *Non de paruis rebus deliberatis, sed de Ecclesia, pro qua Christus mortem oppetijt; ac de eo, qui hanc Deo sistat, & conciliet.* Vide quanti momenti sit Episcopum eligere, cui committenda sit res tanti pretij; simulq; eius officium indicat, hoc est, vt Ecclesiam sibi commissam ità bonis institutis ornet; vt Dei oculis gratissima sit. Addit item pulchrè: *Lucerna corporis est oculus, non hic tantùm, qui corporeo modo cernit, ac cernitur; sed is etiam, qui spectat, et spectetur, Episcopus.* Vide quid sit Prælatus, oculus Ecclesiæ, quod & nomen gręcum Episcopi indicat. non modò acri acie perspicax hic oculus esse debet, sed insigni pulchritudine, vt aliorum oculos ad se alliciat, eximia scilicèt sapientia, & sanctitate vitæ. rectè igitur à Romanis Pontificibus in Episcopo eligendo tàm diligens cautio adhibetur; ac multò magis in summo ipso Pontifice.

Episcopi electio res magni momenti.

Episcopus oculus Ecclesiæ.

2 Cæsariēsem Ecclesiam mirificè laudat: *Vestra Ecclesia omnium ferè Ecclesiarum mater, ad quam tota Christiana respublica oculos conijcit, haud secus ac circulus centro circumscriptus, non modò ob fidei firmitatem, sed etiam ob concordia gratiam.* Est hæc laus propria Romanæ Ecclesiæ, si auferas illud, *ferè:* omninò enim *est hæc Ecclesia omnium Ecclesiarum mater,* totius Orbis terræ gentibus ad exemplum, ac magisterium proposita: quā pulchrè circuli centro comparat, tùm quia sicut centrum stabile est, ità fides Romanæ Ecclesiæ firma; tū quia sicut omnes lineæ circuli se tangunt in centro, ità omnes Ecclesiæ sibi consentiunt inuicem in Romana.

Ecclesia Romana mater aliarum, & cæteri instar.

3 Basilij electionem egregiè commendat: *Ex omnibus, qui apud vos sunt in honore, neminem Deo dilectissimo Basilio anteferre possum, viro, & vita, & sermone purgato; quique vel omnium solus, vel quàm maximè aduersùs temporum turbinem, atq; hæreticorum linguas, velut in procinctu stare possit.* Vide quæ requirat in Episcopo; sanctitatem non modò in sermone, sed vita; item vt ex sapientia, & virtute generosos spiritus hauriens insurgat, vel in hæreses, vel in vitia.

Episcopi propria generositas.

Ex Epist. XXIII. ad Episcopos.

1 SOluit obiectum circa electionem Basilij: *Quod si quis illius infirmitatem obtendit, non scilicet athletam, sed Doctorem creabitis.* Acutè, ac lepidè eludit. non est necessarium, inquit, vt Episcopus habeat vires, ac robur athleticum; non est pugilum more, ac pancratiastæ certādum, sed monita daturus virtutis, sanctæquè doctrinæ, quod præstare poterit etiam si corpore minus sano, ac valido sit, modò animo vigeat.

Episcopus etiam corpore infirmo potest suo munere rectè fungi.

Ex Epist. XXIV. ad Basilium.

1 CAusam affert, cur ad ipsum Episcopum iàm electum non venerit: *Postquàm te in sublimi loco collocatum, ac lucernam, nè illam quidem priùs obscurè lucentem, super candelabrum à Spiritu victore omnium oculis expositum intellexi, latatus sum; non tamen ad te statim aduolaui, tùm ob auctoritatem tuam, nè tui studiosos statim colligere videaris; tùm vt inuidia occurram. veniam cum vmbra praterierint; non enim diù, vt spero, leprosi resistent, Dauidem Hierosolymis excludētes.* Vide quid obseruandum sit ei, qui recens aliquod munus, & honorem acceperit, nè videlicèt amicos statim ad se colligat; tùm quia id minuit auctoritatem, quasi ad illorum arbitrium gubernaturus sit. tùm quia inuidiam conflat tanto plausu omnium.

ità

itá amici, qui nimis festini sunt ad gratulationem, potiùs damnum afferunt. rectè autem hæreticos resistentes leprosos vocat, nám ideò eorum consortium vt contagiosum vitatur, & vtinam obseruarent ritum leprosi: *Habebit os veste contectum:* nè scilicèt loqui auderét; porrò quod Gregorius hìc leprosos dicit, fuisse eos, qui restiterunt Dauid, vulgata habet: *Propositum Dauid præmium ei, qui abstulisset cæcos, & claudos odientes animam eius.* quia Iebusæi positi erant ad arcis custodiam, nè Dauid potiretur. quis autem hæreticos nō dicat cæcos, veritatis lumine cassos? & claudos, cū fide claudicent? quibus igitur præmijs cohonestandi, qui hos impugnāt?

Leuit. 10.

Hæretici cæci, & claudi, seu Iebusæi expugnādi.

Ex Epist. XXVI. ad N.

1 DEfendit Basilium à quodā, qui dixerat, eum obscurè locutum de Spiritu sancto, clariùs verò ipsum Gregorium. affert rationem miro artificio, cum sui submissione, & Basilij laude: *Quia ego in obscuro positus, possum sine periculo philosophari, absq; eo, quod homines norint: Basilij autem, cuius nomen tùm ob eius virtutem, tùm ob Ecclesiæ splendorem multò sit illustrius, palàm est quod dicitur, ingensq; circà eum bellum est, cupientibus hæreticis nudam & apertam vocem aliquam ex eius ore arripere, vt expellerent de Ecclesia, qui solus penè veritatis igniculus restat, ac vitalis facultas; & vt malum in hac Ecclesia radices agat, vndè non secus atq; ex aggere quodam, ac propugnaculo terrarum Orbem populetur.* Acutè dictum, non modò sanctè. Basilius ob famam nominis in aperto est; ideò obscurè locutus est de Spiritu sancto, nè ansam daret, vt hæretici ipsum caperent in verbo. at ego, qui in obscuro sum, nec itá notus, possum apertè loqui sine periculo. His rectè addit: *Nō in verborum sono potiùs, quàm in mente, & sententia veritas sita est.* Frustrà igitur hæretici arripiunt, si quod verbum nobis excidat, quod pro ipsis facere videatur. Tùm ad Basilium conuersus sic præclarè alloquitur: *Tu verò, ò diuinum, & sacrosanctum caput, doce nos, quousquè in Spiritus sancti diuinitate progredi disputando, quas voces vsurpare fas sit.* Vide quanti eum faciat. est autem egregia, & illa Basilij laus, *qui solus penè restat veritatis igniculus, ac vitalis facultas.* quasi Ecclesiæ corpus ab hæreticis vulneratum, ac penè extinctum per hunc vitam haberet. & illud elegantèr dictum, hæreticos Basilij Ecclesiam maximè, vt fidei arcem, inuadere, quia si in huius possessionem intrent, facilè aliás quasi immisso agmine depopulentur.

Gregorius quā humiliter de se sētiret præbauit.

Viri illustres cautiores esse debent in loquendo.

Veritas in sententia potius quā in sono verborum posita.

De Spiritu s. loqui nōnisi magno Doctori fas est.

Basilij laus egregia.

Ex Epist. XXIX. ad Eusebium.

1 MIrificis laudibus effert Samosatenum hunc Episcopum: *Vndè tuarum laudum exordium ducam, & quo te propriè nomine appellabo? an te columnam, & firmamentum Ecclesiæ vocabo? an luminare in Mundo? an coronam glorificationis incolumi Christianorum parti? an Dei donum, ac patriæ subsidium? an fidei regulam, siuè canonem? an veritatis legatum? an potiùs hæc omnia simul, atque his plura?* Nota singula elegantèr, & vide qualis esse debeat Episcopus. refer hæc ad ipsum Gregorium, refer ad Carolum Borromeum Cardinalem, & Archiepiscopum. dicatur verè *Columna Ecclesiæ:* quia Cardinales cardines, & sustentaculum sunt Ecclesiæ. *Luminare in Mundo*, ob eximiam sanctitem. *Corona glorificationis*, non modò ob illustria natalia, sed quod maius est, ob miracula, & famam virtutis. adde, *Patriæ subsidium*, Mediolani s. patronus, ac pater, & beneuolentia plusquam ciuis, vt in pestilentia præsertim ostendit. *Dei donum*, ob excellentiam tanti viri. *Regula, & canon*, hoc est exemplar virtutum omnium, &c. Addit item præclarè: *Quæ vnquàm pluuia aquè matura, & tempestiua, sitienti terræ illapsa est? quæ aqua ex petra in deserto inundans?* nempè Carolus hic, patrimonium ingens omne vna die impendit in pauperes.

Veri Episcopi elegans elogium.

2 Gratulatur de electione ipsius Eusebij in Episcopum post Basilij mortē: *Nunc Cæsariensis mater Ecclesia viduitatis vestes exuit, & stolam iucundissimam assumit, magisq; etiam exsplendescentem, te pastore.* Pulchrè dictum de optimo successore. vbi vides Episcopum esse tanquam suæ Ecclesiæ sponsum, quo mortuo vidua fiat, lugeat, deponat ornatum, quem tamen resumat, altero succedente simili. hūc ornatum plenum lætitiæ elegantèr, *exsplendescentem stolam* vocat. Et addit: *Vides tu ipse quantū miraculum effecerit zelus tuus, & sudores, & labores, & fiducia, ò Deo grate?* Nota quæ requirantur in Prælato: nū fastus? nūm cōmoda, opes, &c? imò zelus, sudor, labor, fiducia, & cū Deo cōiunctio.

Ecclesia vt sponsa ornata ob bonū Episcopum.

Episcopi proprius zelus, labor, sudor, &c.

Ex Epist. XXX. ad eundem.

1 AD Eusebium eundem in exilium per hæreticos missum itá cum laude scribit: *Eupranius semper mihi charus, nunc charior, qui ad tibi inseruiendum pergit, vt ceruus siti æstuans ad puram, & dulcem aquam; ac beatus, qui consuetudine tua, & congressu dignus habitus fuerit.* Vide

de quàm grata sit conuersatio cum Sanctis, etiam in exilio, & aduersitate positis inter incommoda: instar puri fontis dicit, quē tempestas minimè turbarit, nec amarum fecerit persecutio: & nos ad Christū cruci affixum ceruorum instar sitientes curramus: quamuis enim ipse se sitire dixerit, non tā aquā sitiuit, cum & aqua manarit è latere, & sit ipse fons viuus; quā, vt Gregorius suprà dixit pulchrè: *sitit sitiri.* Addit ad Ecclesiæ laudem: *Non tranquillo solùm tempore gubernacula tractasti, sed in difficultatibus, & procellis.* Sed mirum, inter procellis fontem minimè turbatum seruando *puram, & dulcem aquam.* porrò hìc Eusebius non modò exilium, sed martyrium posteà subijt, ab Ariana fœmina impacta desupèr in caput tegula percussus

Ad sanctos viros tāquā sitientes cerui currere debemus.

Ex Ep. XXXIII. ad Greg. Nyss.

1 ARtificiosè eum consolatur, ægrè ferentem peregrinationes, vtpotè quietis studiosum: *Locorum circuitu angeris, ac tibi videris instabilis, vt ligna, quæ aquis feruntur. absit, illorum circuitus coactus est. suas Deo gratias, cū ità multis profis. nisi fortè quis Solem accuset, quia in orbem currat; radios fundat vitam afferens. aut etiam fixas stellas laudans, planetas vituperet, quorum error quoq; ipse compositus est, & enharmonicus.* Acutè omninò, & elegantèr vtraq; similitudo apposita. tua huc illuc profectio tibi displicere non debet, cum id non agas, vt curiosè vageris, sed vt salubriter prosis. instar Solis es, circuitu tuo illustrans Orbem, vitam inspirans, & instar aliorum etiam planetarum, qui tamen fixis stellis non minus laudabiles sunt, efficacibus de fluuijs. fixas stellas appellare licet religiosos solitarios cellis clausos, quibus illud Iob pulchrè competit, dùm loquitur de Deo: *Qui claudit stellas quasi sub signaculo.* contrà de Sole dicitur in Ecclesiaste: *Gyrat vniuersa lustrās spiritus, &c.* cuiusmodi viri Apostolici Orbem terræ discurrūt omnibus pro futuri. spiritus hìc vocatur Sol ob incredibilem celeritatem.

Vir Apostolicus discurrens ob salutem animarum Soli, & planetis comparatur.

2 Hortatur, vt in hæreticorum pugna strenuè perseueret: *Nō graue tibi videatur, quod recaluerint hæretici, ac veris amœnitate freti ex latebris suis prorepant. paululùm, mihi crede, sibilabunt, ac posteà in terram se abdent, tùm à virtute tua, tùm à tempore oppugnati.* Elegantèr ostendit, hæreticos esse instar serpentium venenatorum, qui appetente vere recalescunt, & foras prodeunt; ità hi nacti fauorem principum. sed vt illi vel à viatore fugati, vel bruma, in latebras iterùm se abdunt; ità hi territi ipsius doctrina, & virtute, vel fauore sublato imbelles latebūt. sūt autē Doctores, quasi cerui anguibus infensissimi.

Hæretici quasi angues vere prodeunt sub fauore principum.

Ex Ep. XXXVII. ad eundem.

1 EXponit dolorem conceptum ex Basilij fratris obitu: *Huic ærumnosæ vitæ scilicet hoc reliquū erat. propter morbum & hoc ereptum est, vt sanctum cinerem exosculer. cæterùm Ecclesiæ solitudinem intueri graue est, huiusmodi gloria detonsæ, atque huiusmodi corona orbatæ.* Vide primùm affectū ergà reliquias in osculando sancto cinere. deindè quid sit Prælatus Ecclesiæ suæ, videlicèt gloriæ apex, & corona; cuiusmodi Borromeus Mediolanensis fuit Ecclesiæ Antistes.

Sanctorum cinerem deosculari solitū.

Episcopus apex, & corona suæ Ecclesiæ.

2 Cōsolationem aggreditur: *Tu à nullo melius, quàm à te ipso consolationem capere potes, quippè qui alijs quoq; in rebus philosophiæ exēplum fueris; ac velut amussis quadam spiritalis, tàm moderationis in rebus secundis, quàm solertiæ in aduersis: me verò, eo erepto, tua societas consolabitur, quia beatus ille vir pro omnibus rebus nobis reliquit, vt virtutes illius in te quasi in pulchro, & pellucido speculo intuentes, illū quoq; habere existimemus.* Pulchrè virum iustum æquo libramine se gerentem inter prospera, & aduersa, cōparat amussi, hoc est fabrorum, seù lapicidarum regulæ, qua ad ligna, saxauè dirigenda vtūtur, nè quid vel emineat extrà ordinem, vel deficiat; vndè ad amussim agere, vel examussim est regularè agere. tā peritus architectus, & faber est iustus, .s. ad perpendiculum omnia perficiens, & aptans. Deindè item pulchrè ostēdit, quæ sit vera germanitas, vt vno extincto, remaneat in fratre similitudo, non tam corporis, quàm Sanctorum morū; & virtutes eum tanquàm *in pellucido speculo* referant, ac proindè solatio sit alijs, quasi ille non perierit. cæterùm nota artificium epistolæ consolatoriæ, sicut & in sequenti epistola.

Imitari Sanctos est eos tāquam in pellucido speculo referre.

Vir iustus amussis est, in aduersis, & prosperis ordinatus.

Ex Ep. XXXVIII. ad Simplic.

1 EIus studium ergà Basilium commēdat: *Quod extollis illud fidei columen, illam veritatis normam seù canonem, & Ecclesiæ characterem, illum vitæ humanæ, & virtutis modum supergressum, &c. recti facis; nec vlla oratio sanctæ illius, & beatæ animæ laudibus par inueniri potest.* Præclara Basilij laus, quam ad alios quoquè Doctores accommodare potes; & in ea munus Episcopi habetur, præsertim inter hæreticos versantis. quod appellat canonem Ecclesiæ, regulam scilicèt; vndè Augustinus vocat canonicum siderum cur-

Basilius Ecclesiæ columna, norma, & canon veritatis, &c.

cursum, id est regulatum. quamquam canon, etiam dicitur interdum scuti locus, quo brachia immittuntur. vtraque significatio competit Episcopo.

Ex Ep. XXXIX. ad Eudoxium.

Res vitæ alterius formidolosæ sunt etiam Sanctis.

1 CAlamitosum rerum statum Eudoxio commemorat: *Res nostræ admodùm acerbo in statu sunt. corpus agrũ, curæ multæ, infidi amici, Ecclesiæ sine pastore; nauigatio in nocte, fax nusquã. Christus dormit, vna mihi malorum depulsio, mors; at res quoq; alterius vitæ mihi formidolosæ sunt, ex huius vitæ rebus coniecturam ducenti.* Vide quanto metu percellitur tàm sanctus Doctor, considerans futuræ vitæ conditionem incertam de salute. nàm si præsentia mala tàm acerba sunt, & cruciant etiam iustos, quid dicendum de futuris? rectè vitam hanc nauigationi cõparat, sed sine face, quæ cursum dirigeret, extincto Basilio, &c.

Episcopo mortuo Ecclesia est nauis sine face in nocte, fluctuans.

Ex Epist. XLIII. ad Greg. Nys.

Episcopum dedecet studium Rhetorices potiùs, quã sacræ scripturæ.

1 GRegorium Nyssenum pro familiaritate arguit, quod sacris literis intermissis ad Rhetorices studia se contulisset: *Cur sacris illis, suauissimisq; libris depositis. salsos, & amarulentos in manus sumpsisti, ac rhetor vocari, quàm Christianus, mauis? nos contra hoc potiùs, &c.* Notabile dictum est, contra quod vulgus putat; lectionem elegantium oratorum, ac poetarum vocat amarulentam, & sacræ scripturæ suauissimam. Tùm monet, nè quid indè scandali oriatur, quod Ecclesiasticus vir exteris literis se dediderit: *Occasionem certè prabes alijs suspicandi, aut loquendi. neque enim quis sibi tantùm viuit, sed & proximo.* Egregiè dictum, quod & Architas sensit, dicens, natalium nostrorũ partem sibi parentes, partem patriam deposcere. non est igitur negligendum, quid alij sentiant de nobis, quod ijs exemplum demus, &c. ideò & bonis displicere ait, cum quis non rectè agit: *Pythagoricus quidam philosophus cum probrosi sodalis vitam lugeret, aiebat: Mihi quidem mortuus est.* Egregia vox; cum nihil ab eo vtilitatis iàm percipi posset, virtutis studio relicto, habitus pro mortuo. quo refer illud de mũndanis: *Sine, mortuos sepelire mortuos suos.* Addit de aliorũ opinione circà hoc: *Minimè laudant gloriam ingloriam tuam, & dæmonum pessimam, vt loquitur Euripides, ambitionem.* apud Euripidẽ Iocasta Eteoclẽ filiũ alloquens, vocat auaritiã, & plus habendi cupiditatem, *dæmonum pessimam*. horrendè dictum de auaritia, & inexplebili cupiditate habẽdi, quia totum hominem absorbet. idem refert ad ambitionem gloriæ, nempè & dæmon ipse ob hoc factus est pessimus. ac rectè huiusmodi quoq; ambitiosam scientiam, *pessimam occupationem* vocat scriptura, cum quis ea abutitur, vt patet in hæreticis ad Ecclesiã impugnandam, vel in ijs, qui ad inane aucupium gloriæ. rectè autem, & pulchrè vocat plausum Mundi ex huiusmodi rebus, *gloriam ingloriam.*

Nemo tantum sibi viuit, sed & proximo.

Pythagorei improbos, & inutiles pro mortuis putabant.

Gloria Mũdi inglorìa est.

Auaritia, & ambitio dæmonum pessimæ.

Ex Epist. XLIV. ad eundem.

1 PRæsidi commendat facultates sororis: *Hesiodum minimè laudo, qui eiusdem artis opifices ἀντιτέχνους, id est æmulos, & aduersarios appellat. faber fabro, figulus figulo inuidet. imò potiùs accurrit, & exosculatur, ac veluti familiarem complectitur, & necessarium. cantor enim cantori adiungitur, eò magis, quòd circa vocem versatur. quo etiam ipse modo ergà eloquentiã tuam afficior.* Est hoc planè notandum religiosis in primis, vel cum diuersorum ordinum sunt, si circà eadem munia in salute proximi versantur. vel cum eiusdem sunt, si idem genus exercitationis accidat, præsertim magisterij; hoc potiùs concordiam excitare debere dicit, ob similitudinem, quicquid contra dixerit Hesiodus. & *si cantor cantori adiungitur:* quid nos religiosi aliud agimus, nisi quod Deum laudando concinimus?

Artis eiusdem professio concordiam nõ inuidiã excitare debet.

2 De sua valetudine sic: *Vt Solem nubes obscurat, itâ me morbus, & inuidum hoc corpus, velut ergastulum.* Vides, vt ægritudo nubes quædam sit. vis doloris mentem obtenebrat; ergò dùm sudum, & serenum, dùm splendidum est, strenuè operemur. hoc monet Ecclesiastes, vt Dei recordemur, *antequã obtenebrescat Sol, &c.* magna porrò virtus est sub ægritudine, quasi obscura nube serenam habere mẽtem per tolerantiam. ergastulum autem rectè vocat corpus, in quo passionibus adstricti tenemur; inuidum autem, hoc est inuisum, & infestum.

Morbus nubes, doloris vi mentem obtenebrãs.

Corpus ergastulum animæ.

Ex Ep. XLVIII. ad Greg. præsid.

1 HOrtatur ad benefaciendum: *Oppressis manũ porrige, vt tibi quoq; Dei manus porrigatur.* breue, sed præclarum dictum. Sed vide quales sint Dei manus: *Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* rotunda figura celeritatem ad benefaciendum significat; donat aurum, & lapides pretiosos. has manus tibi porrigit Deus. Tùm ait facilitatem in benefaciendo signum esse diuinæ charitatis:

Dei manus imitari debemus extentas ad benefaciendum.

Beneficentia indicẽ internæ charitatis.

Ferro

Ferro ignito non multis opus est pulsibus, vt insitus ignis apertè ostendatur.

Ex Ep. XLIX. ad Olymp. præf.

Ob vnius crimẽ toti cõmunitati non obtrectandum.

1 ORat Olympium præfectum, nè vrbem Diocæsaream euertat ob quorundam facinus; vtiturq; eleganti prosopopœia ipsius Vrbis: *Honestius tibi fuerit Vrbes extruere, quàm delere. non est tã acerbum statuas deÿcere, licet ignominiosũ sit, quàm Vrbem, &c.* Vide, vt non propter priuatum crimen facilè in vniuersos sit sęuiendum: quod idem in obloquendo seruandum, nè ob vnius improbum factum toti communitati dedecus tribuatur.

Ex Ep. L. ad Nectarium Episc.

Formula gratulationis ob Episcopatum.

1 NEctarium, qui sibi in Episcopatu Constãtinopolitano successerat, his nectareis planè verbis alloquitur: *Tu verò prosperè procede, & regna, vt Dauidis verbis vtar; ac Deus Sacerdotium istud, quo te ornauit, tecum gubernet.* Nota formulam gratulationis: nihil benè auspicatũ fine Deo. & vide quàm sublimis gradus Episcopatus sit, tãquã de regno loquitur.

Ex Ep. LV. & LVI. ad Procop.

Seminadiscordiarũ vitanda.

1 NEgat se velle ad concilium quoddam ire, cum nihil vtilitatis indè percipiatur, sed occasio detur rixarum, & contentionum. vbi nota malè Caluinum hoc arripere ad infringendam conciliorũ auctoritatem, nàm hoc non erat generale concilium summi Pontificis iussu coactũ. cæterùm Gregorius Nicænum impensè laudat: *Propterea memet ipse collegi, animæq; securitatem in sola quiete, ac solitudine mihi positam iudicaui.* Affert & valetudinis excusationem: *Huic quoq; iudicio patronus morbus accedit; quippè qui me ità distorqueat, vt quotidiè penè extremos spiritus efflet.*

Benignitas exercenda in humiles, & obsequẽtes.

2 Atheniensium apophtegma affert: *Athenienses interrogarunt legatos missos Sparta: Quomodò erga nos Spartiatæ? responderunt: Vt ergà seruos benignè, vt ergà liberos insolentèr.* Vide, vt beneuolentia sit exercenda in eos, quos ad obsequium promptos habemus, & se humilitèr subdant; contra arrogantia frænanda.

Ex Ep. LXI. ad Eustoch. sophist.

1 AEnigmaticè calumnias taxat: *Coroplathos illos tuos Telchinas minimè laudo, quibus æmulos insectaris.* κοροπλάθος est propriè figulus puparum, & huiusmodi imagunculàrum. Telchinas fascinatores fuisse ferũt, & maleficos, quod Stygiam aquam animalibus, & stirpibus ad perniciem inspergerent, quæ ex re calamitates, & fames, & pestes consequerẽtur, vt scribit Tzezes. Vide igitur quãtum damni ex calumnijs nascatur, & vt calumniatores tanquàm magiis, & præstigijs, sic varijs artibus lædere alios conentur. Sũt etiam calumniatores tanquàm figuli ludicrarum puparum; quia quicquid confingunt meræ ineptiæ sunt pueriles, nibil habent solidi, nec lædere possunt, nisi potiùs se ipsos, iuxtà illud: *Sagitta paruulorũ factæ sunt plagæ eorum.* atquè ideò huiusmodi calumniæ contemnuntur, & irridentur à Sanctis.

Calumniatores præstigiatoribus comparati.

Calumniæ pupulis ludicris comparatæ

Ex Epist. LXIV. ad Eudoxium.

1 EVdoxium rhetorem ad Christianã philosophiam adhortatur: *Athenis vetus lex erat, vt pueri cum pubertatis annos attigissent, ad artes ducerentur. cuiuslibet artis instrumenta proponebantur; quorumq; autem delectari quemquam contigisset, ad idq; accurreret, eius quoquè artem addiscebat: quod videlicet ea vt plurimùm rectè succedant, quæ natura duce aggredimur. & tu philosophiam amplectere, ad quam natura propendes, non modò quia præstantissima, sed etiam quia ad naturam accommodatior. præstanti es animi indole, menteq; alta, & erecta.* Vide quid sit verè philosophari, Christianè scilicet viuere; & hoc ad præstantem animi indolem refert. non igitur abiecta res est pietas, vt mundani putant, sed generosam indicat mentem, dùm terrena contemnit; dùm passiones domat, &c. Est autem ille mos Atheniensium admodũ notandus, vt puer certo anni die in emporium omnium artiũ induceretur, & ad quæ artis instrumẽta quisq; accurreret, ei arti puerũ addicerent. hinc tot indè extitere rũt in omni genere artium præstantissimi. Cicero quoquè cũ & militia esset exercitus, & orationes, & carmina scribere solitus, adijsse dicitur Apollinis oraculum, ac sciscitatus, eccui nam artium expediret operã dare, vt nominis famam adipisceretur: responsum accepit. ἀκολούθει τῇ φύσει, Sequere naturam, & cum se ad forenses causas eloquentèr agendas procliuem sentiret, eò animum appullit, ac tàm præclarus Orator euasit.

Mos Athenis pueros iuxtà naturalem propensionem erudiendi

Rectè philosophari est Christianè viuere.

2 Affert aliam rationẽ, vt relictis profanis litteris, diuinæ philosophiæ se dedat: *Huc accedit aduersa valetudo, quam non leue ad philosophiam pondus habere putauit Plato.* Mito argumento vtitur, vt persuadeat,

deat, quia scilicèt valetudine minus firma sit; ac proindè idoneus ad diuinorum contemplationem; nempè in hoc non requiritur robur athleticum, & Paulus ait: *Cum infirmor, tunc fortior sum*. ipsa infirmior constitutio corporis admonet, vt humanis non hæreat, quæ facilè per mortem dimissurus sit. Plato Academiam in loco insalubris aeris fundauit, ibi cū auditoribus philosophabatur, nè impedimēto deliciæ essēt; & nè magni vitā hāc æstimarēt.

Infirmitas corporis stimulus ad contemnandum.

3 Eleganter ostendit laudabilius esse inter Dei amicos secundas partes tenere, quàm inter rhetores primas: Esto, inquit, sis primus inter rhetores: *Noli secundas potiùs in secundis rebus, quàm primas in maximis habere; nequè sustineas inter graculos excellere, cum aquila esse possis*. Est hoc certè præclarè dictum. Vide quantū discrimen sit inter rhetorem, & virum Deo deditum. quārum scilicèt inter graculum, & aquilam. & rectè cōparat vanū rhetorē graculo, aui abiectæ, & garrienti; religiosum verò ob acutam contemplationis aciem, & sublimem ad supera volatum, aquilæ. idem de alijs humanis scientijs dixeris respectu sanctimoniæ. præstat enim esse inter bonos, & iustos secundū, quàm inter doctos primū. Cæsar malebat esse Romæ secundus, quàm in ignobili oppido primus. imò Crotoniatarum postremus, reliquorum Græcorum primus esse dicebatur; ità qui vel extremum locum obtinet inter Dei seruos, & amicos, præstantior est alijs. simile est illud de Ioanne Baptista à Christo dictū: *Qui autē minor est in regno Cœlorum, maior est illo.*

Præstat esse inter bonos secundum, quam inter doctos primū.

Vir eloquēs graculo, religiosus aquilæ cōparatus.

4 Piè admodùm, ac pulchrè abstrahit animum à terrenis ad cœlestia, ad ipsum, què Deum transfert: *Quousq; ob res paruas inflabimur? & inter fabulas ludemus? somnia abijciamus, prætereamus vmbras. valeant throni, principatus, splendores, & vilis hæc, & despicabilis gloriola, quæ efferri maioris est dedecoris, quàm irrideri. valeant deniquè magna huius scenæ ludicra, nugæq; theatricæ. nos Verbum arctissimè complectamur, & præ omnibus rebus Deum habere optemus, solùm, inquam, perenne illud bonum, & constans: ità fiet, vt hic quoq; splendorem consequamur. quandoquidem paruo animo sumus, qui id appetimus, aut certè in futuro æuo; quippè hoc virtutis est præmium, Deum fieri, ac purissimo illo lumine irradiari; quod in triplici vnitate consideratur, cuius nunc radijs leuitèr tantùm perstringimur. ad hæc contende, progredere, animo volita, vitā æternam arripe. nusquàm spes tua sistat, quousq; ad illud summum expetendum, & beatum donum perueneris.* Singula sunt hæc magni ponderis. rectè vrget, atq; perstringit tumētes, siuè scientia, siuè dignitate: *Quousq;*

Dè scientia, aut honoribus superbire, est inter fabulas ludere.

quò ob res paruas inflabimur, & in inter fabulas ludemus? valeat despicabilis hæc gloriola, &c. rectè item ait, maius esse dedecus in his stultè superbire, quā n contemni, ac parui fieri. elegantèr autem totum hunc terrenum fastum appellat *scenicum ludum, nugasq; theatricas*. Octauianus certè Cæsar moriens conuocatis amicis: Fabulam, inquit, peregi, plaudite: vt fit in mimicis, & histrionicis. porrò Mundi cōtemptorem, & in hac vita, & in altera mercedem accipere acutè ostendit: nàm hic pro generoso, & magnanimo habetur in despiciendis ijs, quæ tantoperè ab alijs appetuntur. & illic Deus erit pro præmio. Deniq; verba illa sanè pulcherrima inhæreant animo: *Ad hæc igitur contende, progredere, animo volita, vitam æternam arripe*. quo alludit ad illud Apostoli monitum: *Certa bonum certamen, apprehende vitam æternam*. & quod ait, *animo volita*, auiditatem ostendit, qua inductis charitatis pennis curramus ad Deum, vt ei vniamur.

In superbia plus est dedecoris, quam honoris.

Mundanus fastus scena est, nugæq; theatricæ.

Anima aluta ad æternitatem volitare desiderio debet.

Ex Ep. LXIV. ad Philagrium.

1 Laudat, quod ægritudinem non ægrè ferat: *Otiaris minimè otiosè, philosopharis, quod Diogenem dixisse fertur, in morbo: animæ, & corporis colluctationem perfers*. Pulchrè dictum, *otiaris minimè otiosè*. hoc est in lecto iacens, nihil quidem videris operari laboriosè; sed hoc otium magnum negotium est, quia cum morbo stre uè per tolerantiam luctaris. græcè est πάλην, quò ostendit, morbum palęstram quandam, & exercitationem esse virtutis. hinc vt palęstritæ, & athletæ, æger in vltima lucta sacro inungitur oleo. Addit præclarè: *Lutum neglige, vel nunc, vel posteà dilapsurum. sursum animum habe, cum Deoq; coniungere*. Rectè ostendit, corporis sanitatem non magni faciendam, cum fictile vas sit, & luteum, mox frangendum. imò cum fractum fuerit, tunc animus quasi lucida fax exsplendescet, vt in fractis lagenis exercitus Gedeonis visum est.

Æger otiatur minimè otiosè luctans cum morbis.

Luteū corpus in morbo nō magni faciendum

Iud 7.

2 Sapientiæ fructum in morbo colligi, & ostendi ait: *Absurdum est extrà pericula philosophari, tempore verò id postulāte, philosophiæ expertem videri, nec quod profitemur, præstare*. Hæc spectat vox degeneris illius Stoici, qui cum diceret, dolorem esse bonum, nec quicquam malum esse præter vitium; posteà cum in morbū incidisset, & grauitèr cruciaretur, clamabat, se fahò dixisse, dolorem non esse malum. at Christianus neq; vt Stoicus insensibilis est, nec in summo dolore conqueritur; sed inter cętera Dei dona numerat. Pergit: *Omnia animo peruoluenti, tam*

Cic. in Tusc.

nostra, quàm externa, in vtrisq; eruditus, ac tibi pharmacum collegisti. Aristotelis ieiunationem non probo, qui beatitudinem definiens quodam tenùs quidem rectè progressus est, animæ actionẽ secundùm virtutem esse pronuncians, addensq; etiam in vita perfecta: at illud non magnificè, sed perquàm sordidè & abiectè, quod externam quoq; bonorum abundantiam adiunxit. Rectè arguit Aristotelem, quod humilitèr senserit de virtute, quasi non sufficiat ad beatam vitam, nisi accedant bona externa. pulchrè autem ait, sapientiam, quam acquirimus, deseruire deindè, & vsui fore, cum in ægritudinem incidimus, loco salubris pharmaci.

Aristoteles arguitur requirens ad beatam vitam, etiam externa bona.

Philosophus verus sapientia quasi pharmaco vtitur in morbis.

3 Gentilium exemplis docet, multò magis à Christiano viro tolerandam esse ægritudinem: *Admiror Epictetum licet externum, cui cum crus frangeretur, velut in alieno corpore philosophabatur; citiùsque crus perfractum esse visum est, quàm ipse vim doloris persẽsisset.* At admirabilior noster Ignatius, qui certè crus tormẽto bellico tractum incidi iussit liberè, nec passus est se constrictum teneri. Addit: *Socrates carcerem incolens, de corpore tanquàm de alio carcere cum discipulis disserebat.* at Paulus, qui dixit, se fuisse *in carceribus abundantiùs*, idem dicebat: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* tanquàm in corporis carcere deuinctus teneretur. porrò Io: Baptista multò præstantiùs Socrate, cũ esset in carcere philosophabatur de liberatione humani generis è carcere diabolicæ seruitutis: *Cum audisset in vinculis opera Christi, misit ad eum discipulos suos, &c.* Paulus in carcere quid non agebat? Ioseph in obscuro carcere etiam futura clarè præuidebat.

Epictetus crus intrepide sibi secari sinẽs cũ Ignatio collatus.

Corpus animæ carcer est.

Carcer non impedit philosophiam.

Ex Ep. LXV. & VI. ad eundem

1 EXcusat se, quod Episcopatum reliquerit: *Fessi ac fracti sumus contẽtionibus; quocircà nauigij proram conuertere, nosq; quemadmodùm nautilum piscem ferunt, cum hyemem senserit; in nos ipsos colligere decreuimus.* Nautilius piscis ità dictus, quod nauigantis speciem habeat. cum tempestatem sensit, in imo se colligit, & latet. multos Episcopos sanctitate præstantes legimus Episcopatu se abdicasse, tùm ob humilitatem, tùm ob curas immensas. quid mirum? quando & Cęlestinus summo ipso Pontificatu se spontè abdicauit.

Nautilus piscis in tempestate latens typus Episcopatum fugientis.

2 Philagrij eximiam in morbo ferendo tolerantiam extollit; *Philosophiam tuam in morbo recogitans perhorresco. ego quidem cum vnà essemus, tibi languenti, vt iubebas, septuagesimum secundum psalmum Dauid enarrabam, in quo ob eos, qui rebus omnibus abundant; æstuat, mœret. postea verò mentem ad alterius vitæ tribunalia traducens, perturbari desinit, ac molestia medetur: ego quantum fieri poterat, expositionem psalmi ad dolorem tuum referebã, tùm ex nostris, tùm ex profanis auctoribus ea disputans, vtpotè ad tantum tamquè eruditum virum loquens, simulq; dolore exacuente, nihil enim dolore ingeniosius est. ac sermo quidem currebat; tu verò interim dùm loquerer, quasi stimuli cuiusdam ictu excitatus, manusq; ad Cœlum tendens, atq; Orientem versus oculos habens, clamare cœpisti: Gratias tibi ago, Pater, tuorumq; hominum conditor, quod nos inuitos, & reluctantes beneficio afficis, ac per externum hominem, internum purificas; & per contraria nos ad beatum finem, pro ijs quas nosti, rationibus, ducis. & quid omnia commemorem, quæ tu ante nos, & nobis, cum velut morbo gestiens philosophabaris? ità me ex præcectore discipulum habebas. sed cur hæc memini? nempè vt per te omnibus malos nobis potiùs ob internum morbum lugẽdos esse, quàm nos illis ob externum.* Rectè monet in morbos *alterius vitæ tribunal* recogitandum. pręclarus autem hic locus est de morbo tolerando. vides nosocomium versum in lycæum, vbi verę philosophiæ magisterium est; vides etiam, vt ęgrum solari debeamus, allatis exemplis sacris de tolerãtia, &, si eruditus sit, etiam exteris. egregia verò est illa ægrotantis oratio, & certè in morbo vsurpanda, quã grates agit Deo, quod beneficia det etiam repugnanti; morbus enim pro beneficio est, quia purgat animum, vt ignis aurum: aptissimus porrò est psalmus ipse septuagesimus secundus ad solandũ ęgrũ, qui incipit: *Quàm bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde!* vbi de improbis air, idcircò superbire, quia non recogitant de morte sua. sic enim alij legunt, quod est in vulgata: *Non est respectus morti eorum.* Igitur ęgrotatio ad humilitatem facit ex cognitione fragili, & luteæ naturæ nostræ. ac nè inuideamus malorum fælicitati, ibidem de prouidentia mentio fit: *Si est scientia in excelso? ecce ipsi peccatores obtinuerunt diuitias, &c. labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligã in nouissima eorum.* ac propterea concludit, se totam suam spem in Deum reijcere. *Mihi autem adhærere Deo bonum est, &c.* Notandum est etiam, quod ait, morbum stimulum esse virtutis, & sopitum animũ excitare. græcè est ὕσπληγξ quod flagellum illud est, quo equi è carceribus emissi ab auriga vrgentur ad cursum in stadio, vt in Olympijs qui metam affectant ob brauiũ. Nota etiam illud de orantis habitu Oriẽtem versus, de quo more Damascenus,

Ad ęgrotos de quibus nobis loquendum.

Morbus stimulus est incitans currere ad Deum

In morbo alterius vitæ tribunal recogitandum

Psalmus ab ægris recitandus.

Ægris oratio ad Deũ qualis.

Ægri præsertim versus Orientẽ orabant.

Origenes, Augustinus, Tertullianus, & alij. nempè *vir Oriens nomen eius.* & q in Paradisus ad Orientem creatus, vndè electi sumus, & quò aspirandum est. Iustinus factum ait, quia præstantiora Deo tribuenda; at hominum opinione Oriens pars Mundi præcipua est. abolitus deindè hic mos, nè Gentiles imitaremur. ita Leo Pontifex in sermone de natiuitate Christi reprehendit eos, qui ascendentes manè superiora, & excelsiora loca, Solem orientē adorabant; atqui Christus oriens Sol iustitiæ in humili præsepi adorandum se præbuit. pulchrè autem ægri, & moribundi in vitæ occasu orantes Orientem spectabāt, ob spem æternæ lucis, & resurrectionis. iuxtà illud Iob: *Cum te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer.*

Iust.q.18.

Serm.7.

Ex Epist. LXVII. ad eundem.

1 PRimùm monet Philagrium, nè, cum infima sit valetudine, nimium laboret, sed vt medico se committat. tùm eos arguit, qui volebant ipsum prorsùs ab omni labore vacare. Sunt, inquit, qui te carpunt, quod labores: *Nec mirum, faciliùs est enim in alienis, quàm in proprijs philosophari.* Si laborares ob auaritiam, rectè reprehenderēt; at si ob aliorum bonum, iniquè faciunt: *Quocirca homines valere sine, & graculos esse, aquilarum volatus explorantes: te autem ipsum, ac Deum in consilium adhibe.* Præclarè monet, cùm res apertè ad Dei gloriam spectat, non esse vulgi dicta curanda; graculi calumniatores sunt, metientes ex se alios: cum viros excellentes, quasi aquilas sublimiùs volantes assequi ipsi se posse non confidant, eos calumniando, à se remouere putant infamiam. Tùm nota aduersus delicatulos nonnullos religiosos, qui quemlibet laborem, præsertim in proximi salute curanda, subterfugiunt prætextu infirmitatis, & imbecillitatis: aquilam, cuiusmodi esse debes, non agnosco: nàm etiam si hæc paululùm infirmetur, non omninò abstinet à præda.

Facilius est in alienis, quàm in proprijs philosophari, nocendo secuter.

Iustus vt aquila contēnit vulgi obiecta, ceu graculum.

Laborem subterfugiētes prætextu imbecillitatis taxantur.

2 Hortatur item Philagrium, vt morbum æquo animo ferat: *Honestum non est, Philagrium, virum singulari rerum diuinarum doctrina praditum, ità affici ob morbum, vt pleriq; solent, ac simul cum corpore deyci; verùm dolori resistere decet, ac morbum nihil aliud esse ducere, quàm vtilem disciplinam huc tendētem, vt quod corporis est, contemnens, totum te cœlesti parti addicas; nec præsenti tempori, sed futuro viuas; mortisq; meditationem, vt Philo ait, hanc vitam existimes; atq; ab hoc siuè corpore, siuè sepulchro, vt idem loquitur, animam, quod ad eius fieri poterit, soluas.* Rectè ait, animum, contra quā corpus, quod per morbum in lectulo se ab jcit, tūc maximè erigi debere. & quod ait, *dolori resistere decet*, græcè est ἐμφιλοσοφεῖν τῷ πάθει, hoc est philosophari in ipso dolore. morbum verò ipsum græcè παιδαγωγίαν vocat, quasi morbus ipse pędagogus quidam sit, instituens rudem animam, & coercens à ludo rerum terrenarum; bonis moribus imbuens, &c. denique quod ait, animum, quantum fieri potest, per rerum diuinarū contemplationem abstrahendum *ab hoc siuè corpore, siuè sepulchro*, pulchriùs est græcè, vbi corpus, & sepulchrum vna tantùm literula differunt, adeò sunt affinia, ἔτε σώματος, ἔτε σήματος. per morbum igitur anima, quasi institis illis sepulchralibus incipit solui, & ad æternitatem subuolare.

Corpus, & sepulchrū voces affines græce

Hæc vita mors is meditatio est.

Morbus pædagogus est.

Ex Ep. LXXI. ad Posthumianū

1 POsthumianū mirificis laudibus extollit: *Doctrina sublimis es, imperijs non paucis euectus es, imò vt veriùs loquar, non pauca euexisti. tandem ad summū potentiæ apicem venisti, non fortunæ munere, sed virtutis præmio consecutus dignitatem. vt ipsa dignitas honoratior efficiatur.* Nota primò, doctos ad honores extolli solitos: *Doctrina sublimis es, imperijs non paucis euectus es.* Deindè eos ad magistratus, & prælaturam esse promouendos, qui ob sapientiæ, ac virtutis magnitudinem potiùs munus ipsi cohonestent, quàm à munere cohonestentur. his addit: *Sed hæc adhuc parua. adiungam aliquid ex rebus nostris, &c.* denique postulatione concludit: *Ineptum est à tanto viro non maxima postulare; nihil autem imperio tuo adeò cōuenire existimo, quam vt te præfecto, ac tua opera, Ecclesia ad pacem reducantur.* Vide quantum decus sit magistratui, Ecclesię bonum curare; ac paci potiùs, concordiæq; studere, quàm de honoris primatu cum Ecclesiasticis contendere.

Sapientes ad magistratus, & honores euehendi.

Magistratus Ecclesiæ paci studere debet.

Ex Ep. LXXII. ad Saturninum.

1 DE abdicatione, quam fecerat Constantinopolitani Episcopatus sic: *Iucundo animo, inuidia eorum, qui id erant appetentes, cessimus, non tanquàm suauem quandam rem, vt plerisq; videtur, sed admodùm periculosam relinquentes; ac velut ex graui, & aspera tempestate ad tranquillum quendam, & tutum portum appellentes.* Vide quàm fallantur, qui Ecclesiasticos honores ambitiosè affectāt. inter scopulos, & syrtes versantur, procellis obnoxij. tutus portus est studium contemplationis, vbi animi quies.

Ex Ep. LXXIV. ad Celusium.

Exhibens se turpia spectacula, fit ipse spectaculũ turpe.

1 CElusium Iudicem arguit, quod spectacula minus honesta proponeret: *Purga Tribunal tuum, nè duorum alterum tibi accidat, vt aut malus fias, aut existimeris: fœda spectacula proponere, est se ipsum spectaculum facere.* Egregiè, & acutè dictum; dùm tu alijs obscœna spectacula præbes, non minus te ipsum turpe spectaculum exhibes, & actor, & acroamate. Tùm seriò sic terret: *In summa, ò Iudex, te iudicium subiturum esse scito.* Hæc vox digna est, quæ omnium Iudicum aures sẽper circumsonet. Iudex, vt iustè agat, cogitet se iudicandum.

Iudex vt rectè agat, se iudicandũ cogitet.

Ex Ep. LXXVIII. ad Olympiũ.

1 LAudat illum, quod in magistratu rectè se gerat: *Prudentia, & fortitudo tuum imperium ducunt; quarum altera, quæ facienda sunt, excogitat; altera, quod est excogitatum facilè exequitur. huc, quod maximum est, accedit, manus puritas, & integritas, qua omnia reguntur. vbi nàm aurum tibi iniustè collectum? nè fuit quidã vnquàm, vtpotè ante omnia damnatum, & eiectum, tanquàm tectus, & obscurus tyrãnus. vbi inimicitiæ? damnata est. vbi fauor? hoc non nihil flectere, sed Dei benignitatem imitans.* Pulchrè complectitur proprias principis, ac magistratus virtutes. prudentiam in primis laudat, qua præuidet, vt consulat; & fortitudinem, qua à prçuisis nulla vi detorquetur, vt in consilio firmus sit. deindè abstinentiam à pecunia laudat, item iustitiam, ac temperãtiam in passionibus coercendis, vt nec ira, nec amore ducatur. quãquàm in tantũ ad clementiã potiùs inclinetur, in quantum Deum imitari voluerit. hoc sibi viam facit ad sequentem petitionem.

Principis præcipuæ dotes.

2 Militem perfugam ei piè cõmendat: *In manus nostras confugit; ac per nostras in tuas. Sacerdotium, quod tibi venerationi esse sæpè confessus es, instar Imperatoriæ cuiusdam imaginis, obtendens. en tibi offert sacrificia hæc manus incruenta.* Nota primò, principes maximè benè affectos esse debere ergà Sacerdotes, quod hic de se fatebatur. deindè vide quãti valeat petitio Sacerdotis, pluris quã omnis pecunia ad impetrandum. pulchrè autem Sacerdos tanquàm summi Imperatoris simulacrũ esse dicitur, ipsum repręsentans. statuæ autem Imperatoriæ locum asyli præbebant, atq; perfugij.

Magistratus obseruãtia, & respectus ergà Episcopos.

Sacerdotiũ, instar Imperatoriæ imaginis obtentum ad aliquid impetrãdũ.

§§§§§§

Ex Ep. LXXIX. ad Nemesium

1 NEmesium orat, nè orphanum exulare cogat: *Orphani periclitantur: porrige manum calamitati. nulla quidem gloriæ accessione imperium tuum opus habet, quemadmodùm nec Lucifer splendore. si cumulum aliquem quæris, nullus isto, mihi crede, nec maior, nec pulchrior contigerit.* Elegantèr ostendit, Principem instar Luciferi eminentis inter stellas esse debere, cuius propriè iubar est. rectè autem ait, nihil ad gloriæ complemẽtum magis valere, quàm misericordiam orphano factã. nempè hoc proprium Dei dicit Propheta: *Orphano tu eris adiutor.* Psalm. 10.

Princeps vt Lucifer inter astra.

Ex Ep. LXXX. ad Aet. & Alip.

1 AEtium, & Alipium hortatur, vt pecuniam à matre relictam Ecclesiæ ipsi, vtpotè hæredes reddant: *Et areæ, & torcularis primitias, & filiorum eius, qui verè filios amant, Deo consecrare iussũ, ac pium est; quoniam ab ipso, & nos ipsi, & nostra omnia sunt.* Nota, quod ait, veros parentes non solùm primitias bonorum suorum, sed etiam filiorum Deo dicare libentèr debere, & hos quantum in se est, religioni offerre: quod eos parentes arguit, qui potiùs resistunt. Sequitur: *Nè committite, vt post omnes benigni sitis; nàm quæ testamento relicta sunt, ab alijs; alacritatem autem, ac promptitudinem solùm à vobis habemus, quibus Deus multò plura rependet. hæreditas est à testante, promptitudo in hærede, nequaquàm malignè, ac sordidè, sed admodùm alacri, ac liberali animo. demortuæ voluntatem recreate, quam & vobis adesse, & ea, quæ fiunt intueri existimate. ità fiet, vt ab ea maternam etiam benedictionem domos fulcientem consequamini.* Egregiè, & acutè ostendit, ab hærede danda esse, quæ testator reliquit: nàm id, quod difficile fuit, hoc est donatio pecuniæ, &c. iàm datum est à testatore; remanet tantùm id, quod faciliùs est, idest executio per hæredem prompta. præclara autem ratio affertur, scilicèt, vt hęres, cum sciat testatorem, in quantum ad animam, immortalem esse, ac viuere; cogitet adesse, & ipsum vrgere ad executionem. Addit: *Cogitate complures extitisse, qui integras suas domos Ecclesiæ addixerint; nec etiam defuisse, qui vltrò facultates omnes suas obtulerint, ac pulcherrimum quæstum fecerint, propter futuræ vitæ opes inopiam amplexi.* Est hæc laus illustrium præcipuè matronarum, quas nostra ætate vidimus, amplissima, & integra patrimonia in pios vsus,

Parentes primitias bonorum suorũ etiã filiorũ Deo dicare debent.

Hæres exequi debet voluntatem testatoris tãquã præsentis, quasi immortalis.

Hæreditatẽ in pios vsus relinquere quàm præclarum sit.

vsus,

vſus, Dei ſeruorum in primis, tradidiſſe. quid ad hoc eas mouerit, pulchrè indicat: *Propter futura vitæ opes, inopiā amplexæ.*

Ex Ep. LXXXI. ad Theod. Epi.

1 THeodorum Epiſcopum ſolatur, vt ferat illatas iniurias Eccleſiæ: *Grauia ſunt, contumelias illatas eſſe altaribus, conturbata myſteria, &c. ſed clementia vti, fortaſsè tutius eſt; ac per ea, quæ perpetimur, documentum præbere. plerique enim ſunt, quos non tàm oratio mouet, quā actio, quæ taciti cuiuſdam monitoris inſtar eſt.* Nota, ſi perferendas dicit iniurias Eccleſiæ illatas, quantò magis perferendæ ſunt priuatæ? & rectè ait, exemplum bonum eſſe alijs pro monitore.

Bonū exēplum pro monitore eſt magis, quā verba.

2 Ratione, & exemplis docet præferēdam eſſe clementiam vltioni: ratione ſic: *Vltio improbitatem quidam coercet, ſed lenitas ad probitatem adducit, quod longè præſtantiùs, ac diuiniùs eſt.* Acutè dictum: vltio impedit tantùm malum; clementia elicit etiam bonum. Tùm affert exempla: *Zelatoris nomen obtinuit Phinees, Madianitidem interficiens vnà cum ſtupratore; ſed maiorem hoc nomine laudem tulit, quod pro populo in ſcelus collapſo preces fudit. ſtemus & nos, & placemus, & ceſſabit quaſſatio.* alludit ad verba pſalmi. Addit alia exempla: *Laudatus eſt Moſes, quod ob iniuriam Iſraelitæ illatam dolens Aegyptiū obtruncarit; ſed admirabilior, quod ſororem ob murmurationem lepra affectam precibus liberarit.*

Clementia potior eſt, quàm zelus, & iuſta vltio.

Pſalm. 10.

3 Pœnitentiæ vim oſtendit, per quām Deus vltione poſthabita fit pacatus: *Niniuitis excidium denunciatum, ſed ſalutem lacrymis redemerunt.* Vide quātum ſit lacrymarum pretium, quibus quaſi margaritis oblatis, ac ſolutis ſalus animi redimatur. prætereà: *Manaſſes inter reges ſceleſtiſſimus, & inter eos, qui ſalutem conſecuti ſunt, ob luctum clariſſimus.* græcè eſt, θρῆνον, hoc eſt lamentationem funebrem, & luctuoſam, vt ſunt threni Hieremiæ; tāta calamitas eſt in peccando, quæ à rege cognita, meritò ſic miſerabilitèr defleta.

Lacrymæ redēptrices ſunt.

4 Affert verba ſcripturæ, quæ rursùs oſtendunt, clementiam potiorem eſſe ſeueritate. dicit enim per Prophetam aduerſus ſceleſtos: *Quid faciā tibi Ephraim? quantam iracundiam præſefert hic ſermo? & tamen confeſtim ſequitur propugnatio. quid benignitate celeriùs?* Nempè cum iratus in ſceleſtos Deus iram effundere videbatur, repentè pacatus ſubdit: *Conuerſum eſt cor meū, &c.* græcè eſt ὑπερασπισμός, quaſi ſcuti protectio: adeò qui gladium ſumpſerat, vt puniret, hoc abiecto clypeū arripit, vt protegat. pro benignitate, græcè eſt φιλανθρωπία, hoc eſt amor in homines.

Deus vltioni clementiā præfert.

Eſa.

5 Pergit oſtendere, Deum clementia potiùs delectari, quàm ſeueritate: *Ignem aduersùs quoſdam diſcipuli poſtulant. Ieſus vltionem recuſat. Malchi petulantis aurem Petrus amputat, Ieſus reſtituit.* Certè Ioannes, qui in Samaritanos nolentes hoſpitio excipere Chriſtum, ignē è Cœlo mittere prohibitus eſt, quodammodò potuiſſet cum Domino conqueri: Vt quid me appellaſti filium tonitrui, ſi hac fulminandi poteſtate me vti non vis? ſed nimirùm pietas fulmen è manu extorſit. Addit in hanc ſententiam: *Benignitatis ſeriem vides; primùm Deus legem ſancit, deindè hortatur, pollicetur, minatur, increpat, pœnas intendit. tùm ſe cohibet. minatur rursùs; & cum id à nobis exigitur, plagā infert; paulatim tamen viam emendationi aperiens.* Vide quāta induſtria Deus vtatur ad corrigendum peccatorem, quam & Prælati imitari debent in ſubditos: *Benignitate igitur ſuperemus eos, à quibus læſi ſumus, atq; ad verecundiam, & reuerentiam adſtringamus; conſcientia videlicet potiùs, quàm iracundia, & acerbitate coercitos.* Egregiè rationem affert, cur præſtet eſſe clementem in corrigendo: quia cum is, qui errauit, videt ſibi parci, etiam cū pœnā mereretur, conſcientia ſtimulāte, pudore ſuffunditur, & rursùs errare veretur.

Chriſtus procliuior ad clementiam, quàm ad vltionē.

Clementia iuuat ad emendationem.

Ex Epiſt. XCV. ad Greg. Nyſ.

SOlatur eum de morte ſororis Theoſebiæ: *Vellem te potiùs laudare, ac philoſophiam, quam in diſceſſu beatæ ſororis præſtas, vt vir perfectus, & Deo adſtans, diuinaq; & humana magis quā quiuis alius cognita, & perſpecta habes.* Pulchra ratio, cur ferre debeat mortem ſororis, tùm *vt vir perfectus, & Deo adſtans:* Dei enim præſentia, qui omnia magno arbitratu diſponit, frænum eſt, nè aliud velimus, quā ipſe velit. eadem laus data Abrahamo: *Ambula coràm me, & eſto perfectus*, adeò Dei præſentiam in omnibus habere perfecti eſt, & in aduerſis magni ſolatij.

Dei præſētia conſolatrix eſt in morte charorum.

2 Tùm à ſpe beatitatis, qua ſoror fruatur, eum ſolatur: *In cœleſte domicilium tāquàm area aceruum, vt ſcriptura loquitur, tempeſtiuè deuectum recondidiſti.* Alludit ad verba Iob: *Ingredieris in abundantia ſepulchrum, ſicut infertur aceruus tritici in tempore ſuo.* Vides ſepulchra iuſtorum eſſe tanquàm horrea, vbi triticum ſeruatur. quod mirum videri poſſit, cum in ſepulchro potiùs corpora marceſcant; ſed tamen Deo non pereunt. Vides etiam non exeundum ex hac vita, niſi cum abundantia bonorum operū, quod qui ſerò, & ſub mortem reſipiſcit, agere vix poteſt. eſt hoc Iob.

Iob. 5.

Spes beatitatis ſolatium eſt in morte charorum.

Iob elegans thema in morte iusti.

3 Sororem pulchro elogio laudat: *Theosebia Ecclesiæ decus, Christi ornamentum, ætatis nostræ vtilitas. Theosebia, quã futurum quoq; tempus excepturum est in immortalibus columnis, hoc est omnium animis sitam.* Est hæc laus S. Teresiæ. certè *Ecclesiæ decus*, ob sanctitatis excellentiam. *Christi ornamentum*, ob insignes virtutes. *ætatis nostræ vtilitas*, ob præclarissimum Ordinem institutum, tùm virginũ, tùm religiosorum, qui prædicatione, & exemplo incredibili vtilitati sunt reipublicæ Christianæ vniuersæ. nec caret eius nomen laude. nàm sicut Theosebia grecè significat, Deo obsequiosam. ità Teresia suam habet nominis laudem; τήρησις enim grecè, Teresis latinè, est diligens quędam custodia, & attenta obseruatio in qualibet re, pręsertim nè hostis per insidias inuadat. obseruatio etiam in morbis ab empyricis sic vocatur; quæ Teresia & viuens spiritaliter egit, & per suos semper præclarè agit, vitia debellãs, animorum ęgritudini medens, &c. duci etiam potest hoc Teresię nomẽ à verbo Τείρω, futurũ Τερέω, teres etiã latinè dicitur de figura ad tornum affabrè facta, qualis est corona, vel anulus aureus, quod certè sponsæ Christi conuenit. quid mirum? cum & sponsi manus dicantur *tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* elegantèr item, & verè dici potest; eius quasi pulcherrimum simulachrum, ac statua, *in immortalibus columnis, hoc est in omnium animis sita:* eorum præsertim, qui ipsam prædicationibus, & elogijs sapientèr ornarunt.

Sororis Greg. Nyss. elogium

S. Teresiæ elogium

Ex Epist. CVII. & CVIII. Ad Sophronium.

1 SOphronium varios honorum gradus assecutum pulchrè laudat: *Aurum aliàs quidem alio modo immutatur, & effingitur in multos ornatus informatum, atq; ad res multas ab arte traductum; aurum tamen vt est, manet, nec materia, sed forma mutationem suscipit: eodem modo tua probitas eadem manet, etiam si ad altiores quotidiè dignitatis gradus euebaris.* Nota primò eos, qui ad honorum culmen eue- huntur, pretium in se habere debere virtutum, vt aureis moribus sint, non vt ad aurum accumulandum proni sint. deindè nota hoc esse propriũ optimi viri, vt nouos honores adeptus, non nouos induat mores fastu se efferens; nè de ipso flebilitèr dicatur: *Quomodò obscuratum est aurum! mutatus est color optimus!* hanc vitæ constantiam nostra ætate vidimus in Bellarmino, qui ad eminẽtissimum Cardinalis gradum iussus ascendere, nihil de priore viuendi modo, quo apud nos cum religiosa humilitate, & paupertate erat, detraxit. deniquè vix reliquit, quo sibi vita functo iusta soluerentur.

Iustus ad honores euectus aureos mores non mutat.

Ex Ep. CVIII. ad Sophr. Princ.

1 QVendam commendaturus, eum laudatione conciliat: *Matrem honore afficere pium ac sanctum est. mater autem alia alijs est. communis autem omnium patria. hãc tu quidem omnis vitæ tuæ splendore ornasti: ornabis autem maximè, si supplicum misereberis.* Præclarè dictum. vide quanta laus sit benemereri de alijs. præualet hoc spolijs hostium, & exuuijs triumphalibus, quibus fortissimi duces patriam ornarunt suam. patriam rectè vocat communem matrem, quam si ornare rebus fortitèr, & sapientèr gestis, laudabile est, quãtò magis Ecclesiam? hoc est: *Hierusalem, quæ est mater nostra.* porrò hic locus insignis est de Deipara, quæ & communis nostrũm omniũ mater est, & singularis Christi Domini. quibus igitur priuilegijs, & ornamentis à Filio affectam putamus? huic dicamus verè: *Hanc tu quidem omnis vitæ suæ splendore ornasti.* etiam auspicantem à conceptione vitam. ornat etiam ipsam, præcipuè cum peccatoribus parcit: *Ornabis autem maximè, cũ supplicum misereberis.*

Clementia maximum ornamentũ

Deiparam Christus quodã modo ornat, cum peccatorum miseretur.

Ex Epist. CIX. & CX. Ad eundem Principem.

1 DE vera amicitia sic: *Omnia amicis læta, & fausta cupio. amicos autem probos, & honestos intelligo. eosq; qui nobis virtutis nexu copulantur.* Aureum planè vinculum, & gemmatum. vile vinculum est, quo peccatores inter se colligantur, funis scilicèt est: sic appellat scriptura peccatum, *funes peccatorum.* facit autem hic locus pro Ioãne, *quem diligebat Iesus:* nàm quod ait hic Gregorius; *Omnia amicis læta, & fausta cupio.* Christus & cupiebat, & poterat.

Vera amicitia virtutum nexu copulatur.

2 Sophronio principi Amphilochium quendam sic commendat: *Sicut aurum, ac gemmas aspectu cognoscimus, ità si probos, & improbos dignosceremus, non opus esset commendare, &c.* Vide quàm tecta sint hominum corda, quàm facilè possint fallere. Tùm sic: *Amphilochij prudentia ætate maior, sed nihil liuorem effugit: quippè cum Momus etiam quidam eum attigeris, ob simplicitatem potiùs, quàm ob morũ improbitatem in culpam lapsum. tu virtuti*

Etiã iustus Momo, idest calũnijs est obnoxius.

ser

fer ep. m. Notabile est illud: *Nihil liuorem effugit.* adeò pronum est hominum genus ad calumniam, instinctu videlicet eius, qui ob id diabolus dicitur; vt etiam iustus ei sit obnoxius. notum est autem illud de Momo, qui in omnibus naturæ operibus inueniebat aliquid, quod reprehenderet: at non in Deipara, quæ opus est gratiæ, inuenit; vndè in Cant. ait sponsus: *Et macula non est in te.* græcè est Μῶμος Momus. atque hinc collige sine originali peccato conceptam, alioquin Momus, hoc est calumniator inuenisset, quod reprehenderet.

Ex Ep. CXI. ad Eustoch. sophist.

1 EVstochio sophistæ, qui collega in studijs fuerat, quendam elegantèr commendat: *Fac Alexandrum, vir admirande, imiteris. ac quemadmodum ille Atheniensibus placere studens, Athenas regni sui theatrum appellabat, eodem modo tu quoq; nos aliquid esse arbitratus, quamuis nihil simus, tamen propter idem literarum studium, & propter ipsas Athenas, hunc commendatum habeto; etiam si nos infra sophisticos thronos desideamus, quod videlicet silentium, vt periculo vacuum induxerimus.* Lepidè hoc dictum de sophistico throno, sophistæ enim venditabant se de arte disserendi, & eloquendi. rectè Gregorius appellat *silentium periculo vacuum.* quod ad quietem refert contemplationis: *In multiloquio enim non deest peccatum.* quod autem Alexander Macedo adulando, *Athenas regni sui theatrum appellabat.* verius poterat Xauerius, nisi humilitas obstitisset, Iaponiam appellare, *virtutis suæ theatrum*; tùm ob eximię sanctitatis exemplū, tùm ob visenda miraculorum spectacula, quæ exhibebat. at verò Alexander VII. nuper Pont. Max. inauguratus habet, *Pōtificatus sui theatrum*; non modò Romanam Vrbem, Atheniensi eò præstātiorem, quod non inanis sapientiæ, sed solidæ veritatis est magistra, sed Orbem terræ. nec mirum; nàm ille Magnus, hic Maximus.

Alexander vocabat Athenas theatrū regni sui.

Xauerio Iaponia theatrum virtutis.

Ex Ep. CXII. ad Pansophium.

1 PAnsophium, hoc est omniscium amplissimis verbis extollit: *Quis stirpem floribus abundantem non laudet? quem non oblectet seges matura, mox spicea? quē item non afficiat lætitia anima recens initiata, idm Deo coronata, ac terrenos compedes excutere incipiens, vt Deo se adiungat?* Pulchrè hæc pertinent ad adolescentem aliquem præclaræ indolis, qui relictis impedimentis sęculi, Dei seruitutem prȩeligat, ac tyrocinium subeat. elegans est similitudo ab agro florido, vel frugifero, iuxtà illud Isaac de Iacob: *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* rectè compedes sęculi vocat; contra verò Dei seruitutem, *coronam*: nempè seruire Deo regnare est. græcè est κατεστεμμένη; anima scilicèt Deo compta, & pulchrè ornata velut sponsa.

Anima deserens sęculum relinquere. Deo coronata, & compta.

Ex Ep. XCIV. ad Theodorum.

1 THeodoro quendam cōmendat pro amicitia, quæ inuicem intercedebat: *Pictores imitamur, qui corpora priùs adumbrant, ac delineamenta; postea secunda, & tertia manu addunt, & accuratiùs expoliunt, atq; omnibus coloribus absoluūt. erat inter nos pura, minimèq; fucata amicitia, rara omninò res, atq; hanc nobis non tàm cognatio, & communis patria, & vt Homerus ait, amabilis ætatis æqualitas, quàm morum similitudo, quæ maximè amicitias coagmentat, ac firmas reddit, effecerat. nunc amor noster incrementum capiet. idq; Deus agit iusto amori opem ferens.* Pulcher, & elegans hæc comparatio est de pictura, & amicitia; nàm & hæc virtutum coloribus effingitur. & sicut in pictura priùs est adumbratio, posteà delineatio, deindè perfectio; ità amicitia sensim cum prudentia ineunda est, experiendo mores, &c. amor igitur tanquàm pictoris officio fungitur arte quasi Apellèa. Tùm vide qualem laudet amicitiam, quam scilicèt non cognatio, non patria conciliet, sed virtus; nec fucata, sed pura, & sincera sit. ac rectè raram huiusmodi dicit.

Amicitię incrementū picturę assimulatur.

Amicitiam conciliat similitudo morum.

Ex Ep. CXVI. ad Sophronium.

1 SOphronio Nicobulum commendat sanè pulchrè: *Nicobulus egregia quadam indole animi est. verum quod ijs, qui eleganti sunt ingenio, vsu venit, segnitie quodammodo laborat, calcaribus indiget: studium tuum, ac diligentiam oppone. atq; vt de vestris literis aliquid vsurpem, fabulosam cicadam imitare, ruptaq; chorda cantu tuo incohato cantilenam exple. ita gloriam ex adolescente consequeris, maximoq; beneficio suos afficies.* Alludit ad id, quod de Eunomo citharœdo fertur, qui dùm in Pythijs cum Aristone Rhegino de musica arte decertat, ac propè iā victoria potiretur, repētè destitutus est vna chorda diffracta; sed implorata Apollinis ope statim cicada superuolans præstò fuit, & citharę insidens chordæ vicem cantu suppleuit. ità vult Sophronium sua diligentia supplere Nicobuli desidiam. est certè hoc frequens vitium ingeniosorum adole-

cicada fractæ chordæ vices subiens ad ingenium otiosum refertur.

lescentium, vt donum naturæ otiosum teneant, nec literis applicent; id si ad virtutẽ quoq; referamus, de nostro certè adolescẽte Aloysio Gonzaga dici non potest, *segnitie laborabat, calcaribus indigebat*. quippè qui, licet non ijs indigeret, tamen mortificationis nouum hoc genus adhibuit, vt latus calcaribus sibi spontè compungeret. illud planè verissimum: *Egregia quadam indole animi erat*. denique nota, quod ait circa cicadæ narrationem, siuè fabulam: *vt de vestris literis aliquid vsurpem*. quò ostendit, exteram eruditionem, præsertim Græcorum, qui multa fabulosa miscuerunt, non pertinere ad Ecclesiasticum virum, nec vsurpandam nisi rarò, & cum fructu: quod arguit concionatores vanos, qui in his describendis immorantur. porrò pulchrè comparat ingeniosum adolescentem, sed otiosum instrumento musico, cui vna desit chorda, idest diligẽtia. inuocare autem oportet non Apollinis opem, sed gratiam sancti Spiritus. hos autem stimulos ad studendum admouere operæ pretium est.

Ex Epist. CXVII. ad eundem.

Calamus, quo hæretici impugnantur, Achillea hasta est

1 NOn est omittẽdum illud lepidè dictum, & ænigmaticè: *O Achilles, ingentem iracundiam, rursumq; nobis hastam tuam, hoc est calamum moue*. Pulchrè accomodat hęc Homeridicta ad auctoris scriptionem, & calamum hastæ comparat: certè sanctorum Doctorum calami, in primis Augustini, Athanasij, &c. calami, quibus hęreticos impugnarunt, quid nisi Achilleę hastę amentatę sunt, quas in illos lacertis ingenij strenuè cõtorseru t? quos alij posteà imitati sunt, præclaris scriptis eos insectando.

Ex Ep. CXX. & CXXI. ad N.

In bona actione propè finẽ deficere turpe est

1 AD perficiendum, quod cœperat, hortatur: *Turpe est, eum, qui ampliorem habeat partem, totum non adipisci. nàm si principium totius rei dimidium est, quod dimidium excedit, quid aliud, quàm totum esse queat?* Acutè ostendit, quanti momenti sit progredi in eo, quod cœperis; nàm si vulgò dicitur: Dimidium facti, qui benè cœpit, habet: eo ipso, quod pergis, iàm es extrà dimidium, ergò attingis totum. bona igitur operatio ad finem vsq; perducenda strenuè est. alioqui turpe est deficere propè finem existenti.

2 Breuis est hæc, sed præclara omninò sẽtentia: *Cum Deo consilium cape, & ab officio non aberrabis*. Certè pudore suffundi nos oportet, cum legimus, ethnicos nihil aggredi solitos, nisi Deos consulerent, vel per oracula, etiã si illa per ambiguas ambages potiùs irretirent; vel per extispicia, & auguria, licèt risu digna. Scipio Capitolium adibat, consulens in omnibus Iouem. quid nos facere oportet? nihil sine oratione præuia agendum, præsertim in rebus arduis.

Nihil sine oratione aggrediendum.

3 Eidem ineunti magistratum benè ominatur: *Egregio natus es patre, tantùm attolle te, prosperè procede, & regna*. Rectè monet, nè degener sit à suis maioribus, quod ad religiosum quemq; spectat, intuentem sui Patriarchæ vitam. turpè est igitur, te humi repere, cum ille tàm sublimi sanctitate fuerit: *Egregium nactus es patrem, tantùm attolle te*: à terrenis scilicèt ad cœlestia. *procede*, scilicèt proficiendo. *& regna*, passiones subijciendo.

Maiorum virtus imitanda.

4 Ostendit, eum non impediri à virtutum cursu, quod de ijs differere nesciat, & sit imperitus: *Etiam si philosophiam non profitearis, tamen nos ad ea, quæ facis, potiùs attendimus: quandoquidem hoc ipsum philosophiam non profiteri, valdè philosophicũ est, quod de Oratore Lysia Demosthenes ait: nempe hoc ipso, quod artificio carere videatur, summum artificium est*. Vide quàm fugienda sit affectatio, & ostentatio artis. & rectè ait, non esse attendendum, an aliquis philosophetur, sed an philosophicè viuat, hoc est rationabilitèr, & sapientèr. actio magis virtutis, quàm definitio laudem habet. Cogita duos Franciscos, Assisiatem, & Paulanum, nùm in Zenonis porticu? nùm in Lycèo versati? minimè verò, & tamen nemo de veritate, tã egregiè philosophatus, quàm hi. *Hoc ipsũ philosophiam non profiteri, valdè philosophicum est*. quia iactantia, & fastu caret.

Philosophiam non profiteri valdè philosophicũ est.

Ex Epist. CXXV. & CXXVII. Ad Asterium.

1 GRates acturus, sic alloquitur: *Quid pro his rebus vobis beneficij rependemus? quid aliud quàm quod præclarissimum habemus? preces*. Egregiè ait, nullo munere posse pleniùs responderi beneficio accepto, quàm precibus. largiris tu rem temporalem, recipis quod confert æternitati. quantò magis si diuinum illud sacrificium offeram? est nè illo sanguine aliquid pretiosiùs?

Beneficio non melius respõdetur, quã precibus.

2 Hortatur elegantèr, vt contentus sit in eo munere, quod exercet, socium habere, & adiutorem: *Magnus inter homines Hercules, vt ferunt; libet erudito viro id referre. at non tantus fuisset, nisi Iolaum certaminum socium habuisset; ac præsertim aduersus Hydram sæuam illam, & multis* ca-

Socium muneris libẽter terẽdum, vt Iolaus Herculi in necanda hydra

capitibus praditam belluam; cuius ille capita desecabat, hic autem igni cremabat; quemadmodum & vos improbitatem. Pulchrè ostendit quanti emolumenti sit non suis tantùm viribus fidere, sed socio laboris vti. quod est aduersus eos, qui id ægrè ferunt, vt tota laus ad se pertineat. Hercules, quo nihil robustius, subcrescentia hydræ capita resecabat ferro, sed aderat simul Iolaus, qui concremaret igni, nè renascerentur: ità dicam. an non Dominicus instar Herculis fuit in edomanda hæresi, quæ tot capita, quot sectas habebat? ità sanè; forti, solidaq; doctrina quasi ferro ea truncabat; sed additus est posteà quasi socius laboris Ignatius, qui eadē illa capita veneno tumentia zeli igne consumeret. Addit aliud item venustum exemplum: *Multos, & Actoris filij curruli certamine superabant, vt Homero placet, dùm illi, & corporibus, & arte gemini flagellum, & habenas inter se partirentur, victoriamq; alter alteri conciliaret.* Facit hoc maximè ad concordiam, siuè ipsarum religionum inter se conspirantium ad eandem metam diuinæ gloriæ; siuè ad concordiam ipsorū fratrum inter se. sicut enim illi itē fratres, sed natura, ità hi gratia, ad cursum virtutis perficiendum vnanimes concurrunt. sic Cherubim templi alter alterum alis se contingebant. Affert & similitudinem elegantèr de hac conspiratione plurium ad eundem finem bonum. *Vectores multos seruat gubernator; at non proindè seruaret, nisi bonus proreta ipsi esset adiumento, qui & ventos obseruat, & scopulos præmonstrat, nauisq; velut oculus quidam existit. tales vos estis; nam cum præses ex se clarus sit, tu adiuncta opera eum reddis clariorem.* Præclarè hoc dictum, vt Prælatus, ac superior putet eos, qui partem sui muneris obeunt, non esse sibi dedecori, quasi solus non sufficiat, sed potiùs sibi conducere, vt quæ agit consilio plurium, sine vllo errore laudabiliora eueniant. certè mirum est, quod Mosi tanti spiritus viro, & Pharaonis Deo septuaginta senes adiutores ab ipso Deo dati sint. & illud egregiè dictum: *Gubernator nauis velut oculus quidam existit.* Vide qualis debeat esse Prælatus; totus oculus circūspiciens, vigilans, cautus; sed & oculus ipse amoris est typus

Concordia fratrum in eodē munere vt Actoris filiorum aurigarum.

Gubernator nauis oculus est, ità & Prælatus

Ex Epist. CXXVIII. & CXXX. Ad Adelphium.

1 AD Adelphium scribens, cum nonnulla de voce [illegible] dixisset, tamen ait non omnia litteris se committere, idquè elegantissimè sic indicat: *Verùm nunc quidem, vt Pindarus loquitur, velut aureas columnas felici thalamo subijcimus, paulò post autem per nosmet ipsos, Deo concedente, aamirādum quoq; palatium extruemus.* Videtur alludere ad illud: *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, &c.* vti possumus hac similitudine, cum alicuius sancti viri laudationē instituimus, nec tamen omnia laudum ornamenta, quod plurima sint, complecti possumus, temporis angustijs pressi. Aggredi autem laudationem ipsam est: *velut aureas columnas felici thalamo subijcere.*

Laudationē aggredi est aureas columnas thalamo subtexere

2 Suum, & aliorum ergà ipsum studia ostendit: *Multi nobili loco nati ad te adeūt. quis enim est, qui te, coniunctionemq; tuam non amet? multi alij supercilium, opes, potentiam in vrbibus, potentiam in Imperatoris aula, ac denique ea omnia protendētes, quæ temerariæ iactationis, ac temporis ludibria sunt, & velut in talorum iactu ad alios traijciuntur. tu nos habes, qui certè fide, ac sinceritate in amicitia colenda, non superamur, cuius maximè ratio est habenda.* Pulchrè comparat terrena cum ludo talorū, quia honores, & opes, vt illi, huc, illucquè transferūtur, nec sunt permanentia bona, quæ res multos mouet, vt ijs relictis Deo se dedicēt, & ex his sæpè nobili loco nati.

Bona terrena vt in ludo talorum ad hos, & illos traijciuntur.

3 Affert causam, cur ipsum liberè reprehendat: *Sacerdos erat Heli. obiurgabat filios, sed quia non acritèr, ac vehementèr, sceleris filiorum pater pœnas luit.* Nota verba illa Heli filios reprehendētis: *Quarè facitis res huiusmodi, quas ego audio? res pessimas ab omni populo. nolite, filij mei, non est bona fama, &c. si in dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Mirum videri potest, quod dicatur lenitèr increpuisse, cū & grauitatem peccati obiecerit: *Res pessimas;* & certam Dei vltionem: *Quis orabit pro eo?* Sed puto, quia blandis illis verbis est vsus, *Filij mei:* quos pro filijs in tanti momenti peccato, non debuit tàm amantèr agnoscere.

Reprehēsio iusta delicti qualitatē facienda.

Ex Ep. CXXXI. ad Ablabium.

1 ABlabium sophistam hortatur, vt cū animi generositate virtutem coniungat. sic igitur admodùm elegantèr, & pulchrè: *Sophisticis amore te flagrare audio. excelsum vultum præferre; altè, ac sublimitèr ingredi, atque ingentes tuos spiritus in Marathonem, & Salaminam, illa, inquam, vestra ornamenta tendere, nihilque aliud, quàm Miltiadas, & Telemachos cogitare. quod si vnà ex hac re virtutis tibi quoque ratio est, noster es; sin autem nihil aliud, quàm sophista es, non item.* Egregiè dictum contra eos, qui tantùm ostentant ingenium, & alijs naturæ donis se vendicant. ità dicam de religiosis quibusdam

Naturæ dona sine virtute nullius pretij sunt.

magiſterio gloriantibus: ſi nihil aliud, quã philoſophus es, religioſus non es. cęterùm de Marathone, & Salamina; Marathon vrbs inclyta fuit Miltiadis victoria, centum millibus ex Darij exercitu profligatis; & Theſei fortitudine, tauro ab Hercule immiſſo necato. Salamina item inſula, & Telamonis regia, & Iouis magnificο templo inclyta fuit. vanum igitur eſt magna cogitare, niſi & cœleſtia cogites. vanum magni eſſe ſpiritus, niſi ſancto Spiritu aſſleris.

Ex Ep. CXXXIV. ad Victorem

Fortitudo bellica cũ lenitate coniuncta laudatur.

1 AD Victorem ſcribens, omen eliciens ex nomine, palmam ei defert, & bellicæ fortitudinis, & vrbanæ lenitatis: *Verè Victor es tu, atq; in rebus omnibus palmam obtines, vir admirande; nàm vt hoſtes quandiù licuit, armis vincebas, ità nunc omnes benignitate vincis.* Eſt certè laus inſignis, ità ſe temperare vt hoſti aſperum, cęteris lenem te præbeas. & in vtroque emineas.

Ex Epiſt. CXXXVII. & VIII. Ad Eutropium.

1 DOlet ſe Eutropij præſentia frui nõ poſſe ob morbum: *Quo pacto me affici putas, congreſſum tuum auidiùs appetentem, morbo autem tanquàm compedibus adſtrictum? tu verò Aegyptium pharmacũ mihi eſto, ſiue ſermo, hoc erat, ſiue aliud, quo Homerus animis mœrentibus medetur: id erit ſi ignoſcas, & ſi per literas nos erudias.* Pulchrè ſermonem conſolatoriũ cõparat cũ nepęte Homerico pharmaco, q́ vim habebat mulcendi animum, & auferendi triſtitiam. ideò patres cum manna eum conferre conſueuerunt.

Sermo cõſolatorius pharmacũ Homericũ.

2 Eundem Eutropium ſic commẽdat: *Tunc cum imperio fungereris, virtutis potiùs, quàm potentiæ nomine ſuſpiciendus occurrebas.* Præclara laus in Principe, vt nõ ſolùm cum poteſtate probitatem coniungat, quod difficilè fit, ſed etiam tàm eximia ſit virtute, vt quãuis magna ſit potentia, magnum imperij decus, ſublime culmen honoris; tamen virtus ſuperior his emineat, & maiore cum ſplendore ſe viſendam offerat.

Maior laus virtutis in Principe, quàm poteſtatis.

3 Ad eundem ſic ſcribit: *Etiam publica negotia gerens, tuorum non obliuiſcaris; Homericos videlicet iuuenes imitans, qui in medio bello amicitiæ munera exequebãtur.* Rectè monet, amicitiæ nomen tàm ſanctũ eſſe debere, vt inter publica quoq; negotia non oblitteretur; inter arma ipſa lituorumq; clangorem amor inuenit ſibi locum. quod multò magis cum Deo agẽdum, in quẽ totus amor noſter dirigi debet, vt eius memoriam, & obſequium nullius negotij occupatio aboleat.

Amici memoriã nulla occupatio abolet.

Ex Ep. CXXXIX. ad Themiſt.

1 AD Themiſtium ſcribens, oſtendit à ſimili, in quo excellat: *Spartiatas lancea indicat, humerus Pelopidas, eruditio Themiſtium.* Egregia laus, ac cæteris maior; quia aliæ inſignes notæ ad corpus, hęc ad animum pertinet, ſapientia ſcilicet. Lacedęmonij lancea vtebantur pro peculiari nota. Pelopidæ humero candido notabantur, ob humerum eburneum Pelopis auctoris eius gentis. quanquàm ego ſic dixerim: religioſi inſigne ſit Chriſti crux, ſit ipſa lancea, quæ latus penetrans Sacramentorũ fontem aperuit. addo, nec deſit memoria candidi quidẽ ipſius, vtpotè ex matre virgine, ſed tamẽ liuentis humeri, tùm ex crucis pondere, tùm ex flagrorum ictibus.

Sapientia præſtat quibuſdam inſignibus notis.

Ex Ep. CLV. ad Nicobulum.

1 NIcobulo exprobanti paruam ſtaturam Alipianæ vxoris, filię Gorgoniæ, quæ erat ſoror Gregorij, ſic lepidè, & argutè reſpondet: *Alipianam calumniaris, vt paruam, ac tua proceritate indignam. O magne, ac vaſte, ac gigantæe, tùm forma, tùm robore. nunc demùm intellexi, animum menſuræ ſubijci, & virtutem expendi; ac rupes margaritis præſtantiores eſſe, coruoſque luſcinijs auguſtiores. tu verò magnitudine tua vtere, & cubitis fruere; equum enim agitas, & haſtam vibras, & feræ tibi curæ ſunt. at ipſa nihil operis patrat, nec magni roboris eſt radium ferre, & colum tenere, & telæ aſſidere; id enim fœminarum decus eſt. quid ſi hoc quoque adijcias, eam orationis cauſa humi curuatã eſſe, ac per ingentes animi cogitationes cum Deo conſuetudinem habere perpetuas? quid eſt, quod te de tua ſublimitate, & menſura iactes? conſidera tempeſtiuum eius ſilentiũ. quàm incompta ſit, animaduerte; quas rei domeſticæ vtilitates afferat, quã viri amãs ſit, ac tùm illud Laconis dices: certè animus in menſuram minimè cadit.* Præclarè omninò oſtendit, quæ ſit vera mulieris laus, etiam vxoratæ. non ſtaturæ magnitudo, quam affectant cothurni altitudine, ſemiligneas ſe facientes, ſed magnitudo virtutis. ac vide, quæ ſint vxoris laudes: lanificium, cura rei domeſticæ, ac præcipuè oratio, mortificatio, amor, & fides in virum, ſilentium, Mundi muliebris contemptus.

Nõ corporis paruitas attẽdenda, ſed magnitudo virtutis.

Mulieris dotes quæ ſint.

ptus. quæ ferè in illa muliere forti à Salomone deſcripta inueniuntur: *Confidit in ea cor viri ſui. digiti eius apprehenderunt ſuſum, dedit cibaria ancillis ſuis*. Deniquè rectè concludit, ſpiritalia præualere ſtaturæ, ac formæ: *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo, mulier timens dominum ipſa laudabitur*. penè ſolùm videtur deeſſe cõtemptus Mundi muliebris, nàm dicitur: *byſſus, & purpura indumentum eius*. ſed quàm hæc paruifaceret, oſtendit amor in pauperes; *manum ſuam aperuit inopi*: parata ſcilicet & veſtem dare. Deniq; parua eſt corpore, ſed *per ingentes animi cogitationes cum Deo conſuetudinem habet*. hoc eſt habet quidem breuem menſuram, ſed verſatur cum immenſo. rectè autem ait, quid fœminæ opus eſt proceritate? eſto ſit opus tibi, quia militas, &c. & illud acutè dictum: ſi magnitudo, & moles, & quãtitas ſpectanda eſſet potiùs, quàm qualitas, pretioſior eſſet vaſta rupes, & ingens ſaxum, quàm parua margarita; & præſtantior maior coruus, quàm minor luſcinia. addo, & ſic per cætera diſcurre; quod ſcriptura ait: *Breuis in volatilibus eſt apis, ſed initium dulcoris habet fructus eius*. & pręclarus poeta inquit: Ingentes animos anguſto in pectore verſant: quod ipſum hic Gregorius de Alipiana dicit: *Ingentes cogitationes habet*. poſſem afferre exempla in hoc genere multorum, qui corpore penè monogrammo, virtutum tamen, doctrinæq; præſtantia fuerunt ſublimes, ac celſi, ſed conſultò prætereo.

Ex Epiſt. CLIX. & XIII. Ad Amphilochium.

1 AMphilochio diaconum iniuſtè oppreſſum commendat, pulchrè, ſanè, & elegantèr: *Aureas, vt Pindari verbis vtar, felici thalamo columnas ſubijce; atque à laudabili initio in præſenti munere, & cauſa fac nobis innoteſcas, vt etiam admirandum palatium extruas, clarum, & illuſtrem te oſtendens; idq; fiet, ſi Deum, ac res diuinas honori habeas, quo quid maius, aut ſublimius? qui porrò, & quibus honorabilis? vna hac ſcilicet, ſi eorum, qui Deo aſtant, ac ſacrario miniſtrant, commodis conſulas*. Vide quàm Deo gratum ſit, & ſimul quàm præclarum Eccleſiaſticos tueri, ac protegere. hoc de diacono, quid de Sacerdote diceret? Quod autem de ædificio dicit ex Pindaro, id pulcherrimè videtur ex noſtris deſumptum, vbi dicitur: *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, &c.* Vide autem quid in hac vita ſit agendum: nempè omnis noſtræ vitæ ratio quædam quaſi ædificatio eſt, vt ait Apo-

Ædificium iuſti ſubiectis colẽnis aureis niti debet, hoc eſt præclaris initijs.

ſtolus, ſuper Chriſtum veluti fundamentũ excitata. multi ſuper ædificant lignum, ac fœnum, materiam combuſtibilem, conſũptioni obnoxiam. alij *aurum, argentum, ac lapides pretioſos*: quod agunt iuſti, qui animam Deo quaſi ſponſo coniungere, & per contemplationem ſtudẽt, & per charitatis actus; ac proindè *felici thalamo aureas columnas ſubijciunt*; ipſa enim initia pia, ac religioſæ vitæ præclara, & excellẽtia eſſe debent, quale & in Dei ſeruitute tyrocinium ipſum, iuxtà benedictionem datam Beniamin: *Amantiſſimus Domini habitabit confidentèr in eo: quaſi in thalamo tota die morabitur*. deindè per vitæ reliquum ad perfectionem incumbẽdo: *Admirandum palatium extruunt. idq; fit, cum Deum, ac res diuinas honori habent: quo nihil maius, aut ſublimius*. eadem penè ædificij ſimilitudine vſus eſt ſupra. Quod autem ait, id per miſericordiam perfici, non longè eſt à Prophetæ dicto: *In æternum miſericordia ædificabitur in Cœlis*. Deu. 33.

Thalamus animę ſpõſæ innitituur columnis aureis.

2 Eidem Amphilochio Nicobulum commendat ſic: *Illud Theognidis probo, qui cum eam amicitiam, quæ vltrà poculũ, & ſocietatem minimè ſe extẽdit, haud quaquam laudet: eam contra, quæ in rebus elucet, laudibus extollit*. Rectè ait; factis enim, & interno animi affectu amicitia magis probatur, quàm verbis, & externa tãtùm conuerſatione, & commodis.

Vera amicitia factis probatur.

3 Ad eundem ſcribens de quibuſdam, qui licet improbè, & miſerè vixerint, à ſuis tamen affectis honorantur: ſic argutè ait: *Horum hoc vnum laudabile eſt, quod etiam ſi fame intereant, tamen ſuauiter olent, ac ſplendidam ſepulturam conſecuntur. qui tandem? quia multis, ac varijs floribus conſperguntur*. Nempè improbi mortui ſunt Deo, & quaſi ſepultis flores illi mundani honoris ad tumulum proijciuntur; etiam Neronis ſepulchrum, qui infelicitèr obijt, à ſuis cõſperſum dicitur floribus. acumen ineſt in eo, quod ſuauitèr olere dicantur; at is odor extrinſecùs accerſitus eſt, cum nihil ſit ipſis putidius.

Honor exhibitus improbis quaſi flores ſepulchrales ſunt.

Ex Ep. CLXXI. ad Euſebium.

1 AD Euſebium de Euopiæ nuptijs ſic elegantèr, & pulchrè: *Alij Amores vocent, vt ſolent in nuptijs; ac virginis pulchritudinem pingant, ſponſiq; venuſtatem viciſſim attollant, thalamumq; cum floribus, ità ſermonibus conſpergant. ego verò meum epithalamium vobis hoc accinam: Benedicat vobis Dominus ex Sion; atque ipſe vobis coniugium aptet, & videas ipſe filios filiorum ſuorum; penè addidi, te quoq; meliores, & præſtantiores. hæc ſi adeſſent, optarem, & nunc opto*. Vide quod genus

In nuptijs quod epithalamium canendum.

epithalamij quàm pium, & quàm præclarum canendum sit in Christianorum nuptijs, ex psalmo desumptum. nempè Deũ pro auspice habere debent, qui coniuges inter se aptet. græcè est, ἁρμόσει, quod verbum significat adaptare, & coniungere, vt fit in citharæ, seù lyræ chordis, vt inuicem concinant: vndè colligitur quàm absonæ, & absurdæ inter coniuges rixæ inducantur. ac rectè non modò degeneres filios non vult esse, imò nec pares, sed meliores: sicut enim parentes optant filios in sublimiorem statum euehere, quàm ipsi fuerunt; ità & virtute præstantiores relinquere optare debent. sic sanctè matrimonium iniri vult: auspicatiùs, inquit, quàm à veteribus, qui Amorem auspicẽ inuocabant in epithalamijs coniugum: pulchritudinem illi laudabant, floribus thalamum aspergebant, pro quibus est castus, & spiritalis sermo. Addit alludens item ad nuptiarum ritus: *Cætera vobis curæ sint. pater filiam vittis coronet; hoc enim anteà scripsimus, nempè ipsorum coronas esse; nostras autem preces*. Est certè notabilis mos, vt in nuptijs sponsa coronaretur; imò pater ei pro corona esset, aut ipse filiam vittis, & infulis, & corona redimiret. de hoc videtur loqui Esaias, agens de ornamentis mulierum: *Auferet Dominus mitras, &c.* erat igitur hic mos etiam apud Hebræos, ac proindè non videtur improbabile, cum Deipara Iosepho nupsit, Iochimum parentem ei imposuisse mitram illam, seù coronam illã sponsalem. Tùm nota quãto ornamento sint preces iustorum, vt videlicèt coronæ vices subeant.

(Coniugũ harmoniæ simile. — Pater pro corona filiæ nubili. — C. 3.)

Ex Epist. CLXXX. Ad Fratern. B. Leocadij.

1 ELegantè hæc epistola continet consolationem de obitu: *Lacrymarum materia non est, quod athleta post pulchrã agoniam, siuè certamen, quo perfunctus est, ex arena decesserit; hoc est certantis arbitrò assumptus sit, vt coronam accipiat, & Angelorum choros augeat*. Vides, hanc vitam athletico agoni similem esse in stadio, mortem autem metam esse huius certaminis, cui brauium propositũ est à præfecto certaminis Deo. vndè illud Pauli: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, &c.* longè absunt ab hoc athletarum labore, qui sedent otiosè vnguentis delibuti, non oleo. porrò vide quã præclara mors sit iustorum, qui *Angelorum choros augent*. Quid iucundius, ac felicius? & propterea dicitur ipsis Angelis salus hominum gaudium afferre in Cœlis, quia dùm chorus augetur, plures sunt, qui Deũ laudant, & harmonia fit plenior.

(Mors iusti athletici certaminis finis, & brauij acceptio.)

2 Cum dixisset, felicem esse iusti mortem, ac propterea non lugendum, addit ex parte nostra quid agendum sit: *Solatium illud sit, vt per vestrum conspectum semper ante oculos vestros ille versetur; vt quisque ad beati illius viri vitam sese componat; vt dùm vos inuicem conspicitis, illud persuasum sit, vos ipsius characterem referre. vestram vitam informet puritas, lenitas, humilitas, actuosa philosophia, perpetuaquè animi ad Deum contentio: nec distrahi ad huius vitæ fraudes: sic fiet, vt eius monimentum in vobis effingatis; nec ille, aut vos in morte sitis: nàm & ille in vestra vita perpetuò viuens ostendetur; & vos rursùs per probam, & honestam vitam à mortis commercio alieni eritis*. Egregius omninò modus solandi cum profectu, qui ad vtrumq; pertinet, & ad vita functum, & ad posteros. morti nonnisi immortalitate medendum est: si ergò posteri exprimant in se virtutes defuncti, videbitur ille quodammodò adhùc viuere, imò multiplicatus. ideòque olim cognati, & amici excipiebant ore animam, quam exhalabat; vt in se ipsos eam quodammodò transfunderent, nec mori videretur. præterea posteri quoq; eius virtutes imitando per bonam famam, ac nomen redduntur immortales. pulchrè autem ait, hanc virtutum imitationem esse illustre monimentum, ac penè viuum simulacrum, præponendum æreis, & marmoreis statuis, quæ mortuum mortuo modo repræsentant. græcè est μνημόσυνον ζωγραφεῖτε, memoriam vitalitèr dipingite. ζωή enim vita est, & ζωγραφία pictura, ità dicta, quòd in ea viuat quodammodò id, quod refertur; colores autem hic virtutes sũt; nos tabula; pictor, & Apelles Amor: vndè pulchrè Ecclesiast. *Mortuus est pater eius, & quasi non mortuus; simile enim reliquit sibi post se*. item, *cum semine eorum permanent bona, &c.* Denique vide quas maximè virtutes ad imitandum proponat, *puritatem, & humilitatem*, quæ ambæ virtutes ex mortis cogitatione, & carnis in puluerem reductione oriuntur. hinc quoque oritur illa: *actuosa philosophia*, quæ consistit in operatione benè morata, nè segnes vitam inutilitèr transigamus. item, *perpetua ad Deum contentio sine distractione ad huius vitæ fraudes*; cum enim omnia transitoria contemplamur, his neglectis vni Deo adhærere studemus.

(Piè vita functus per imitationem viuit in posteris. — Imitatio maiorum pictura vitalis est.)

Ex Ep. CLXXXI. ad Verianũ.

1 INterrogatus de diuortio, vtrùm expediret facere nec nè, dissimulat, nec

nec vult decernere, pulchra vsus similitudine: *Nil graue carnifices agunt, legibus enim inseruiunt; nec iniquus est gladius, quo de improbis supplicium sumitur: nec tamen laudatur carnifex; nec cruentus gladius libentèr tractatur. ità nec nos odium conflare nobis volumus, dùm per linguam nostram diuortium confirmatur: præstat enim coniunctionis, & amicitiæ, quàm dissidij arbitrum esse.* Vide quàm cauti esse debeamus in controuersijs soluendis, vbi alterius offensionem incurrere oportet; inclinare tamen expedit in mitiorem partem, & pacatiorem.

In controuersijs paci studendum

2 Veritatem metum non admittere, ostendit: *Tuæ filiæ tùm demùm fidem habebimus, cum depulso eo pudore, qui ei à vobis incutitur, liberè proloqui poterit: vobis enim verba, marito lacrymas tribuit.* Est hoc etiam contra eos parentes, qui filias iniecto metu in Monasteria contrudunt, nec liberè sinunt, eas de se decernere.

Veritas nō extorquēda per metum.

Ex Ep. CLXXXIII. & IV. & V. Ad Nemesium.

1 NEmesij consilium exponit circa supplicia irrogāda, eleganti exēplo à simili: *Samium Pythagoram ferunt, cum in necessitatem venisset, vt sacrificaret, nàm alioqui sacrificia improbabat, boue ex argilla confecto, sacrificium exsoluit; quod scilicet negaret, mortua mortuis expianda; nàm ità corpora appellabat: ità tu, cum multam irrogare non liceret, metum constituisti.* Vide quàm non facilè in ipsa supplicia deueniendum sit, cum sufficeit metus, quod Princeps, & Prælatus notet; metus enim est quoddam simulatum supplicium, sicut bos ille fictilis, siuè luteus, hoc enim græcè est πήλινος. quod autem Pythagoras mortua appellaret corpora, similitudo grecæ vocis ostendit, nàm σῶμα dicitur corpus, & σῆμα sepulchrum. hinc Paulus clamabat: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* quò etiam referre possumus illud Euāgelicum: *Sine, vt mortui sepeliant mortuos suos.* hem quantis sūptibus, quibus delicijs corpori, hoc est rei mortuæ, rei vilissimæ, & cadauerosæ adblādimur. cæterùm, quod Pythagoras luteum bouem pro vero in sacrificium offerret, ostendit nullum donum quantumuis vile despici à Deo, modò piè, & castè offeratur.

Bos fictilis, & luteus à Pythagora oblatus Dijs pro vero.

Metus pro vero supplicio irrogatus.

2 Pro re cōmendata vices officij pollicetur: *Erit hæc gratia perpetuò in nostris animis inscripta: hominis calamitati fer opē.* grecè est ἡ χάρις ἀνάγραπτος, quæ vox etiam significat rem depictam coloribus inductis, in formam, imaginemq; delineatam. quod multò magis de Dei beneficijs dicendum est, vt in animis nostris tanquàm in tabellis depicta sint, velut in columnis inscripta, nullo tempore obliteranda.

Beneficium in corde depictum habendum

3 Eundem Nemesium laudat de magistratu benè gesto: *Tu præturam ipsam in philosophiam conuertebas, conuertisque rursum, spero, si quid Deo res nostræ gratæ sunt.* Pertinet hæc laus multò magis ad Ludouicum sanctum Galliæ Regem, qui imperium in Christianam philosophiam conuertebat, totus pietati deditus. eadem laus est sancti Henrici Imperatoris, & aliorum, inter quos laudatur Borgias noster, qui in Principatu, & munere Proregis, piè, ac verè philosophabatur.

Etiam in sæculari magistratu potest quis de Deo philosophari.

4 Dolet se non potuisse eius conuersatione frui diù: *Paululùm tui participes facti sumus; ac velati fulgetra, quæ oculorum acie teneri non possunt, meliore parte frustrati sumus.* Rectè præsentiam iusti fulgetro comparat ob coruscationem, splēdoremq; vitæ. idem accommodari potest ad nonnullos Sanctos, qui citò in adolescentia mortui, non sine fulgore virtutis, vt apud nos Aloysius, & Stanislaus; quorū tamen firma, & perpetua est memoria; quibus etiam ex parte competit, quod addit: *Id tibi persuadeas, te apud nos semper mansurum, in quibus nulla columnis inferioribus te ipsum inscripsisti, atq; etiam magis inscripturus es, cum te Deo adiunxeris.* Eleganter ostendit, Sanctorum virtutem in animis, ac mentibus posterorū inscribi tanquàm in solidis columnis, præsertim post mortem. sic Patriarcharum virtus in animis religiosorum sui ordinis. hinc etiam collige, amicitiam esse instar columnæ, vbi inscriptæ, siuè incisæ sunt amici res præclarè gestæ, atq; virtutes ad memoriam sempiternam.

Breuis vita Sanctorum fulgetro comparata.

Virtus Sanctorum in posteris tāquā in columnis inscripta per memoriā, & imitationem.

5 De eius inopinato discessu sic pulchrè: *Quid hinc nobis insilijs abijsti? nec magis arripi potuisti, quàm Echo ab ijs, qui eam propinquam se habere putant, ac per voces ex aduerso falluntur. Saltem ad nos scribe. habebimus, vt aiunt, certè vmbram pro corpore.* Elegans est hęc comparatio amicitię cum Echo. nàm sicut Echo imago vocis est; ità vnus amicus repræsentat alterum moribus; & in aduersis paritèr angitur, & in prosperis lętatur, &c. & sicut Echo aliquandò non semel, sed sępiùs eandem vocem iterat, quasi assensum suū confirmet, & multiplici responsione probare videtur, quod dicitur; ità amicus assentit amico. vis scire, an Dei sis amicus? vide an velut Echo respondeas, referens eadem verba. Dominus dicit per Esaiam: *Ego diligens iudicium, & odio habens rapinam.* Redde tu eadem, & responde non tàm voce, quàm factis. imitare Deum certè ex parte, & quasi extremis syllabis,

Amicitia echo pulchre cōparata.

nisi

nàm tàm integrè, & perfectè non potes. Deindè nota adagium illud, cum amico non licebat frui præsentia amici, sed solabatur se eius literis, vel alia re relicta: *Habemus umbram pro corpore*. sed quantò admirabilior Christi amicitia, qui discessit à nobis in Cœlum, & tamen non eius umbram, sed verum corpus habemus in Eucharistia.

Ex Ep. CLXXXVII. ad Timot.

1 OStendit quanti faciat bonorum amicitiam: *Bonus bonorum semper virorum venator sum. licet iuuenum mori gloriari, quippè qui eruditionem quoque tuam se occultantem indagando inueni*. Pulchra similitudo à venatione ducta, dũ præda se recondit, & sagacitate canum, & indagine, cursu, industria venatoris quæritur, & inuenitur. ex quo etiam ostenditur proprium esse bonorũ, vt per humilitatẽ, sapientiam abscondant; nec tamen deerũt solertes indagatores. certè S. Aegidius in eremo latitans, à venatoribus Galliæ Regis inuentus, & honoratus. item S. Bruno à Rogerio inter venandum.

Latens Sanctorũ virtus quasi venatione quærenda

2 Laudatus à Timotheo per literas, sic modestè respondet: *In literis laudes adiungis. nosco tuam philosophiam, vt meliores nos reddas, erubescentes videlicet tales non esse, quales arbitraris*. Vide quò laudes nostras traducere debemus, non ad fastum, & elationem, sed potiùs ad pudorem, & erubescentiam, dùm ijs nos carere cernimus, quæ dicuntur. prętereà vides ad quẽ finem laudatio dirigenda sit, non vt adulemur, sed vt ad virtutem acuamus.

Laus erubescentiam potiùs quàm fastum parere debet.

3 Quietem vitæ solitariæ commendat: *Inuidiam effugimus; Deo tranquillè philosophamur. soli degimus, in precibus versamur, à Mundi strepitu liberi*. Paucis ostendit quàm desiderabilis sit priuati status, tùm respectu aliorum, quorum inuidiam, deposito muneris honore, subterfugimus; tùm respectu nostri. quid enim iucũdiùs, quàm sine tumultu cum Deo versari? referri id potest ad eos, qui se tantisper à Mundi curis retrahunt, colligunt q; ad exercitia spiritalia S. Ignatij nostri, in quibus est vera philosophiæ magisterium.

Quàm expediat à Mũdi strepitu recedere, & Deo vacare

4 Excitat eum aduersus hæreticos, & sic vrget: *Tu age viriliter, ac pro Trinitate dimica: neque enim par est simios in existimatione esse, ac celebrari; leones autem iacere, ac submissè quiescere*. Vide quid sint hæretici, simij turpes, sed nostra imitãtes, vt in honore sint. quid autem Doctores Ecclesiæ, & Sapiẽtes sunt? leones scilicèt, præclari indole, & zelo acres. tanta autẽ indignatione contra simium fertur leo, vt nullum animal auidiùs perdère desideret, ob eius petulantiam, vt illudere solitum, etiam animantium regi. meritò igitur sãcti Doctores tanquàm leones in hæreticos quasi simios inuehuntur.

SS. Doctores hæreticos velut leones in simias inuehuntur.

5 Epistolam piè, sanctèque concludit: *Pro nobis precare, vt pacatum è vita discessum, quò vergimus, consequamur*. Vide quàm anxij, & solliciti fuerint etiam sanctissimi viri de vitæ exitu. hoc idem habebat in votis S. Thomas Aquinas; benè, ac tutò mori. multum autem valet ad hoc deprecatio iusti assidua.

Nil magis in votis quã bene mori.

Ex Ep. CLXXXV. ad Stagidiũ.

1 STagidio Nicobulum commendat: *Nicobulo adolescenti, & tuam doctrinam ostende, & nostram amicitiam, si modò tibi cura est; nàm & veteribus athletis à iuuenibus honor habetur; & quidem tantus, vt etiam victoriæ præmia ipsis offerentes, iuxtà palæstræ leges, grati officio fungi existimentur*. Notabilis planè hic mos est, quo ostendebant, quantus honor à iuuenibus deferri debeat senioribus: iuuenes enim cum athleticum laborem cursu, & alijs certaminibus confecissent; acceptam ab agonotheta coronam, & palmam non secum asportabant iactabundi, sed pudentèr seniori alicui digno, qui in vitæ quoque stadio præclarè excurrisset, donabant.

Athletæ victores acceptam coronam senioribus donabant

Ex Ep. CLXXXIX. ad Timot.

1 TImotheum ad tolerantiam hortatur: *Te calamitatem minus philosophico animo ferre audio: nec hoc laudo, nec nimiam doloris acerbitatem: illud enim inhumanum est, hoc autẽ à philosopho alienum: medium tenere decet*. Rectè monet, vtrumq; extremum fugiendum; nàm de indolentia, quam Stoici iactabant, dicit Iob: *Nec caro mea anea est*. de tolerantia idem sic egregiè: *Dominus dedit, Dominus abstulit, &c.* an non huius philosophicum animum dices, qui tã benè ratiocinatur?

In aduersis nec indolentia, nec nimius color probatur.

2 Solatium affert ex contemptu rerũ humanarum tanquàm vilium, quibus spoliari malum non sit: *Monet diuinus sermo, vt hac tanquàm vmbras, & ænigmata prætereamus; nec res molestas, nec iucundas pro veris rebus ducamus; sed alibi viuamus, aliò spectemus; atque vnam molestiam, peccatum; vnam lætitiam, virtutem, & cum Deo coniunctionem cognoscamus. hac tibi accine; nec dubito quin iàm accinueris, & rursum accinas*. Artificiosè dictum hoc extremum, nè videatur virtuti diffidere. rectè vmbras appellat; certè vita ipsa vmbratilis est, quando & Ezechiæ

Res humanæ vmbræ, & ænigmata.

per

per vmbram horologij significata est, & à Petro per vmbram sui corporis data. ænigmaticè item viuitur. ænigma voluptas est; nàm quod blãditur, cruciat; quod splendidum videtur, vile est. ac pulchrè ait, hanc sententiam sæpiùs accinendam, instar consolatorij carminis in aduersis.

Ex Epist. CXC. ad eundem.

1 FRuctum ex literis perceptum indicat elegantèr, ac pulchrè: *Mœrorē tibi obiurgatio extrusit, ac pudor doloris locum occupauit, atque ad obsistendum excitauit sanè strenuè. ac mihi videris quemadmodùm apud Homerum Achillis equi sublato in altum capite, atque excusso puluere, cum tempus postularet, & Patrocli mortem lugere desineret; camporum rursùs, & armorum, & ostentandi ingenij cupiditate flagrare.* Vide in quo agnoscatur præclara indoles; si non omninò dolori succumbat, sed cum parumper naturæ indulserit, equi instar, qui aliquantulum quidē decubuit, sed ad aurigæ vocē generosè se erigat, prosiliat, excurrat in campum, inter arma, tubasque: talis fuit Dauid, qui filium è Bersabea susceptum animam agentem cum humi decubans flesset; vbi obijsse audijt, ac frustrà se iàm dolere sensit, surrexit, & ad res prçclarè agēdas se retulit. Denique laudat, quod consolationem acceperit; maius enim hoc est, & difficiliùs, quàm afferre: quod pulchrè duplici similitudine declarat: *Non magnum est è terra de nauigantibus iudicium ferre, maiusq; est dimicare, quàm hortari ad perferendum. qui est in aduersitate, in naufragijs est. maior laus est gubernatoris peritè periculum euadentis, quàm alterius præcepta de nauigandi ratione dātis. item maius hostes propria vi sternere, quàm verbis incitare pugnantem.*

Post breuē dolorē generosi equi more in campum prodeundū.

Difficilius, & laudabilius consolationē accipere, quā afferre.

Ex Ep. CXCI. & II. ad eundē.

1 DIssidentes hortatur ad concordiã: *Tandem arma deponite, ac fundas, & atrociores hastas, hoc est linguas, quibus mutuò appetimini, & vulneramini, eòque magis, quò promptius, paratiusq; telum hoc est.* Rectè linguam primò fundæ cōparat, quæ de longè ferit lapide; ità detractoris lingua etiam in longè absentes fertur; vndè illud: *Posuerunt in Cœlum os suum, & lingua eorum transiuit in terra.* deindè hastæ comparat. græca vox μελία fraxinum denotat; ex qua hastę aptiùs fieri solent. detractores igitur, & sudabularij sunt, & hastati. quàm acre bellum cum his suscipitur? & rectè addit, non semper adesse nobis promptam, & paratam, vel fundam, vel hastam. at lingua semper armati sumus, quæ nobis adhæret.

Lingua ad feriendum promptior, quam funda, vel lancea.

2 Dolet de Timothei absentia: *Diuturno detrimento affecti sumus, dùm scilicet Vrbium prima, virorum primum non haberet; oportebat enim bonum diffundi, omniumq; vtilitatem omnibus communicari, vt ex alto æquitatem spargeret; quemadmodùm semina ij, qui hominum cibos mitigarunt, vt est in fabulis.* Alludit pulchrè ad Triptolemum, quem primum aiunt populis glande vescentibus frumenta ex alto sparsisse, per aerem circumquaque euectum; quod viris Apostolicis satis aptè conuenit, quippè *Semen est verbum Dei;* in primis Xauerio, qui primus apud barbaros Iapones fidem disseminauit, ac nōnunquàm visus è terra in altum elatus, præsertim dùm frumentum electorum distribueret. Addit pulchrè de eiusdem discessu: *Doleo me tantulùm dumtaxat te esse potitum, quantulùm fulgetra strictim oculos collustrant.* Hac eadem similitudine vsus est supra; ac vide quantus sit iusti splendor, & quasi coruscatio virtutis è nube carnis. græcè est περιλαμπούσης, quasi circum exsplendescentia.

Vir Apostolicus in communē vtilitatem se diffundit.

Iustus amicus mox abscedens fulgetro assimilatur.

3 Ostendit, cur se spontè Episcopatu abdicarit: *Inuidiæ cessi, & meipsum contraxi, Ecclesiæ regimini, ac speciosa scena, vt ob eos, qui in rebus minimè ludicris ludunt, verbis vtar, facilè cedens.* Elegantèr dignitatem tanquàm in theatro, *speciosam scenam*, vocat. vbi se actor ostentat, & personas heroum induens, & è machina Cœlites proferens: mox dissoluitur scena, aulęum tollitur, & euanescunt omnia. huiusmodi sunt honores transitorij huius vitæ, præsertim sæculariùm, quos tamen ambiunt multi allecti plausu. & rectè excusat se, cur similitudinem sumat à rebus ludicris in re seria.

Dignitas terrena speciosa scena est, mox euanida.

4 Concludit amantèr epistolam sic: *Tu verò omnium præstantissime vir, eundem ergà nos animum retine, qui magnetis instar ferrum ad se trahit.* Pulchrè amicitiam magneti comparat. ac Hieronymus quidem similem vim in Christo agnoscit, cum traxit Matthęum ad se. humilitèr autem hic se Gregorium ferrum facit, etiã dùm aureo stylo scribit.

Amicitia magneti comparata.

Ex Ep. CXCIII. ad Dioclem.

1 NOuis nuptijs gratulatur, & benè ominatur: *Adsumus nuptijs, & festum simul agentes, & vobis optima, & pulcherrima quæque optantes. vnum autem bonorum illud est, vt Christus nuptijs intersit, ac proindè modestia, vbi Christus; atque vt aqua in vinum conuertatur, hoc*

est,

est, vt cuncta in melius immutentur; & quæ misceri non decet, minimè misceantur; nec preces cum plausibus, nec psalmodia cũ tibicinum cantu. opera pretium enim est, vt quemadmodum cætera omnia, sic etiam Christianorum matrimonia habeant ornamentum grauitatis. hæc nuptijs munera offerimus. Rectè vult nuptijs interesse Christum, vt in ijs, quæ factæ sunt in Cana Galilææ. vbi autem adest Christus, adest & modestia; græcè est εὐκοσμία, hoc est decentia, bona morum compositio, quę ornet; hic enim est verè mundus muliebris. & quid mirum, quod modestiam etiam in nuptijs requirat, quando in illis Cana nõ modò Christus, sed etiam mater eius virgo aderat? & nota quid intelligat pro mutatione illa aquæ in vinum, mutationem scilicèt morum in meliùs, vt coniugium frenum sit vagæ libidinis, & concordiæ nexus, & incitamentum mutuum ad pietatem, &c. acutè autem innuit, cur vinum illud merum fuerit, nec aquæ gutta remãserit ad mixtionem: nempè in celebrandis nuptijs, quod certè sacramentum est, non sunt profana miscenda cum sacris, vt Gẽtiles faciebant, qui epithalamium cum tibijs, ac ludis accinebant. at Christianus pro epithalamio adhibeat preces, & psalmos. refer hæc ad sponsalia Deiparę cum Iosepho; ibi maximè modestia, decentia, & ornamentum grauitatis; ibi psalmodia, & precatio absq; dubio locum habuerũt.

In nuptijs adsit Christus, vt in Cana Galilææ piè, ac sanctè celebrandis.

Ex Ep. CXCIV. ad Candianũ.

1 PVlcherrima planè, & elegantiæ plena est hæc epistola, & instar panegyrici, qua Candianum mirificis extollit laudibus: quo genere dicendi possumus ferè in Sanctorum celebritatibus modestè, ac piè vti. *Vbi nunc Sophistæ? vbi poetæ? quam splendiorem materiam requirũt? nunc & linguam omnem musicam, & modulationem tua causa moueri, & omnem dicendi facultatem altum quiddam, & clarum resonare oportebat, vbi præses laudandus non modò dexter, & commodus, sed etiã summam scientiam obtinens.* Rectè in pręside, & dexteritatem in agendo, & scientiam laudat inter præcipuas dotes: alterũ ad praxim, alterum ad speculationẽ pertinet. nempè, hoc est, quod Plato optabat. vt aut philosophi regnarẽt, aut reges philosopharentur. Pergit item amplè, & venustè: *Nisi eloquentiæ finem imposuissem, fortassè nunc Tyrrhenicas quoque tubas cãtu superassem. dicam enim asperum mortis lapidem, vt cum Pindaro loquar, nil veritus.* immortaliter scilicet te laudarem. rectè asperum mortis lapidem vocat: dura mors est, & vocis surda. rectè etiam se accepto Episcopatu, rhetorice remisisse nuntium dicit, cum seria sint tractanda, quamobrem Augustinus Episcopum quẽdam arguit, quod à se quædam ad hanc artem pertinentia quæreret. tegit artem Gregorius, nec tamen profluus fons suopte liquido lapsu scaturire desinit.

Episcopum aperta dicendi ornamenta non decẽt.

2 Eleganti planè metaphora de laudatione, quam instituit, sic ait: *Ego ferocissimorum equorum in morem pedibus quidem solùm ferio, frænum excedo, aures erigo, furorem è naribus spiro, acremque aspectum præfero, & spuma impellor; nihilominus tamen intra cancellos maneo, lege nimirùm currendi potestatem mihi minimè faciente.* Egregiè, inquam, ostendit se gestire cupiditate laudãdi Candiani, sed impediri eius modestia. sicut generosus equus gestit excurrere in stadio, sed adhuc intra carceres manet, quandiù agonotheta non finit. transferri potest ad adolescentes, & iuuenes Apostolici spiritus, qui in Indias vellent erumpere, sed iustis de causis impediuntur. quamquam Teresia adhuc septennis, tanquàm equa generosa è paternæ domus quasi cancellis erupit, ad barbaros se cõferens; ad cuius generosissimã indolẽ pertinet illud Cant. iuxtà 70: *Equæ meæ in curribus Pharaonis assimilaui te.*

Gregorius eloquentiã frenãt, generoso equo similis.

3 Aggreditur ad eius virtutes cõmendandas: *Alij publicorum negotiorum administrationem, atque in his ingenij acumẽ simul & industriam; alij Iustitiæ latices, & quo pacto velut sub clara luce controuersias disceptes; alius alia, Themidem quasi in pompa ostentans.* Iustitia græcè δίκη; eadem, quæ Astręa virgo cum libra; eadem tamen spicam porrigit; Principis enim est iustitiam exercere, cum abundantia tamen. Themis dea consilij, & quæ fas iuberet, existimata est. has virtutes tanquã aurea simulacra de more in triumphali pompa thensis imposita vult deferri. Iustitiæ verò latices dicit, quia vbertim ad plurimos manat. eandem tamen iustitiam sic egregiè temperat: *Tuus gladius terrorem quidem affert tanquàm percussurus, tanquàm autem non percutiens votiuum donum est, dominaris enim non tàm in peccantes animaduertens, quàm id agens, vt nè omninò quidem peccent.* Præclarè ostendit, Principem gladium potestatis ferre, non vt cędendo perdat, sed vt terrendo corrigat. regem videlicet apum imitatus, qui fert aculeũ, nec infert. imò imitatus Deũ, de quo dicitur: *Gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & parauit illum.* totus in minis, & in apparatu tantùm bellico est; non grassatur in cæde. & alibi: *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* vibrabit gladium, nondùm vibrat; parauit arcum, non dùm autem sagittam iacit. & quod sanè mirum clemen-

Iustitię latices proflui.

In Principis triumphali pompa Themis pedata.

Principis cum potestate clementia.

men-

mentiæ ſignũ, ipſemet ſui hoſtis ſaluti cõſulit. quis autem ſi occidere vellet, moneret hoſtem, vt fugeret?

4 Tranſit ad cætera laudum genera: *Alij cenſuram, ac iudicium, & dicendi facultatem admirentur, ità vt alterum aureo calculo conformari queat, aut Homerica amuſſi, ſub qua equorum Eumelij æqualitatem conferri, ac perpendi contigit. alterum autem biemes ſuperat; partim enim eum laude nunc certaminis arbitrum agis, ac prius ipſe certabas.* Venuſtius græcè ἀγωνιζόμενος, καὶ ἀγωνοθετῶν, hoc eſt pari laude, & agoniſta fuiſti, & nunc agonotheta. præclara laus Principis, vt eas leges, quas Princeps factus præſcribit moribus, anteà priuatus ipſe ſe ſeruaret; ſicut is eligebatur, vt præſcriberet certamini Olympico leges, qui eas ante ipſe certando ſeruaſſet. pulchrè autem cẽſuram, & iudicium aureo calculo, vel amuſſi comparat, hoc eſt rectæ regulæ, vel æquabili normæ.

Princeps ſeruat easdem leges quas priuatus ipſe ſeruauit, & agoniſta, & agonotheta

Cenſura, & iudicium aureo calculo & amuſſi comparatur.

5 De cupiditate opum domita ſic: *Aurum potens, & honoratum vnà cum magnificis nominibus à te contemptum, atque à tua iuſtitia in fugam verſum commemorent; quæ res ſanè vna ex omnibus eſt auditione, ac ſiat ſublimior.* Vide quàm difficile ſit, ac penè incredibile, auro, & pecunia non trahi. vix enim credibile videtur: quò excellentior, ac maior laus eſt eorũ, qui his ſpretis, relicto ſæculo, paupertatẽ Dei ſeruorum præligunt. pulchrè autem ait: Iuſtitiam tàm acri, ac ſeuero vultu aurum inſpicere, vt hoc tanquàm metu conterritum, vndè illi pallidus color eſt, in fugam vertatur.

Auro non trahi quam difficile, ac præclarum.

6 Eius prouidentiam circa fruges cõmendat item eleganter: *Quin poeta quoque quiſpiam cum agricolarum choro ruſticum tibi carmen accinat, demeſſaq; matura ſpica, quam iucundiſſimam corollam nectat, vitibuſq; bedera, & vuis intertextis caput cingat. agricultura nimirum hæc feſta ſunt, tuo beneficio rursùs ad homines reuerſa.* Eſt ſanè hæc præcipua laus Principi, vt de ſemente cogitet à ruſticis facienda, & meſſe abundanti pro ſubditorum alimonia, quod egit Ioſephus. hinc apud veteres feſta inſtituta pro demeſſis frugibus cum ſpiceis corollis: talem coronam Princeps præponat aureæ. Addit venuſtè: *Rupes etiam lac fundant, & fontes mel. plantæ etiam agreſtes fructus commutent.* Vide quàm dignus gratulatione ſit optimus princeps, prouidus, dignus, cui Natura ipſa beneſica, quaſi congaudens ſiluescentes agros in frugiferos vertat, duras rupes emolliat in papillas, in lac eliquet; & è fontibus velut ex aluearibus riuos nectarei liquoris educat.

Principis ſpicea corona ob frugũ copiam.

Bono Principi ipſa Natura congaudet.

7 Cum hactenus Principem hunc, vt adhuc ethnicũ, amplè, & Pindaricè extollerum ferè more poetarum, laudaſſet, artificiosè aieſe oſtendiſſe, quid alij dicturi eſſent. ipſe autem ſic ſeriò: *Hæc alij; ego autem in tuis virtutibus ſingularem in modum illud admiror; quod temporum difficultatibus omni moleſtia ſublimiorem te præbeas; nàm cum religione gentilis ſis, & Imperatori ea, quæ imperij ſunt, adminiſtres; non ità ei inſeruis, vt temporis adulatores, ſed vt honeſti, ac probi animi alta, & excelſa mente præditi. Illud quoque in tuarum laudum numero ponatur, quod in tanta imperij amplitudine, potiùs amicitia honorem tribuis.* Nota, vt egregia laus ſit eius, qui magiſtratum gerit, vt nihil contra fas agat, verbi gratia nimia extorſione pecuniæ à ſubditis, vt Imperatoris ineat gratiam; quod puſilli potiùs, quàm excelſi animi eſt. nec hanc laudem omittẽdam dicit, quod magiſtratum adeptus, & in altiore gradu dignitatis conſtitutus, amicos, vt anteà, magnifaciat. Deniq; pio voto concludit, vt tantis laudibus adiungatur Chriſtianæ fidei profeſſio: *Pro his omnibus illud à Deo exopto, vt ad gloriam, & nominis celebritatem cumulus aliquis accedat; ſed pro omnibus id vnum, & maximum, vt ad noſtras, Dei q. partes aliquandò te conferas.* eo quò direxerit laudationem, & quàm præclarum finem ſpectarit.

Regis miniſtri etiam integri eſſe debeant.

Amicitia etiam poſt adeptã dignitatem tenenda.

Ex Ep. CXCVI. ad Valẽtinian.

1 Conqueritur, ſe ad muliercularum arbitrium de Vrbe pelli: *Eijcimur, non ſermone, ſed re ipſa. ac multò melius erat tabula publicè propoſita nobis diſceſſum indicere, quàm per mulieres, quas è regione nobis collocatis. grauitatem, & ſanctitatem intercidere ob maleuolentium obtrectationes. ità nos quoque per Euam è paradiſo eijciſtis; nos certè ad domeſticarum fœminarũ imperium ità nos proripiemus, vt ad viperinos impetus.* Vide quanta inſit in impijs mulierculis vel audacia, vel ſæuitia; quas rectè cum Eua comparat, per quam è paradiſo eiecti ſumus. rectè etiam viperinos impetus appellat maledicas calumnias; venenum habẽt ſub lingua. porrò multæ quoque hæreſes non ſine mulierculis irrepſerunt.

Hæreſes ſæpe non ſine mulierculis.

Mulierum viperini impetus in bonos.

2 In ſuo diſceſſu, Martyrum in primis templa, & ſacrorũ miniſtros cõmendat: *Tu locũ incolas velim caſtius, ac pudicitius, vt nec Martyribus contumeliam inferatis, nec ipſi huiuſmodi incolatu percutiamini. prouideteiné quid durius in eos, qui ſe Martyribus conſecrant, ſtatuatis.* Vide quãtum laboret pro Martyrũ honore. & nota cõmunem in ipſos pietatem: multi enim Eccleſiaſtici fiebant, ac templis inſeruiebãt; vt ſe Martyribus conſecrarent.

Martyribus honor exhibitus.

Ex Ep. CXCVII. ad Magistrat.

1 AD Magistratus diaconum Theotecnum persequẽtes hæc habet: *Vos quidem nè à Diogenis quidem pera temperastetis, obyicientes ipsi philosophicum pallium, baculum, & hoc ipsum, quod ex philosophiæ præscripto, nihil possideret. quid Theoteeno obycitis? nùm quod diaconus? nũ quod Martyrum sacerdos, &c?* Acutè arguit, quod vanis calumnijs contra hunc niterentur. sunt sanè quidam ità natura asperi, atq; tetri, vt vndiq; materiam maledicendi, & persequendi arripiant, vt in Diogene Cynico lepidè ostendit; nempè canum est oblatrare.

Calumniator Cynico Diogeni cõparatus

Ex Ep. CXCVIII. ad Theotec.

1 PErtinet hæc ad præcedẽtem. hortatur Theotecnum, vt parcat iniuriæ: *Grauia perpessus es; adde, si lubet, qualia nemo alius mortalium. at veniat tibi in mentem, baptismi gratiam consecutum: est autem non vulgaris periculi donum illud contaminare*. Notabile sanè dictum, memoriam baptismi ad parcendum incitare, & gratiæ baptismi fieri iniuriam, nisi parcatur iniuriæ. nempè ibi promisimus, nos victuros iuxtà Christi, non diaboli, ac Mũdi leges. ibi peccatum originale dimissum, & Deo reconciliati sumus, hæc imitanda. Addit: *Nè committamus, vt nobis ipsis insidias tendamus, ac fiduciam, quæ ad Deum est, amittamus, dum nos ÿs, à quibus læsi sumus, acerbos præbemus.* Rectè monet; nàm si nos ipsi vltores esse volumus, amittimus fiduciam, Deum deprecando, vt nobis reconcilietur, & ignoscat. Denique præclarè sic: *Romanis suæ leges sint, nobis item nostra. illorum leges acerbæ, nostræ benignæ.* Vide quàm diuersa sint dogmata, & axiomata Mundi, & Christi. ille ait: Nè feras opprobrium, vlciscere iniuriam. hic ait: *Si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe illi & alteram.* exlex est, qui agit ex Mundi lege.

Baptismi memoria efficax ad ignoscẽdũ.

Vlciscens iniuriam amittit fiduciam veniæ à Deo.

Lex Mũdi, & Christi opposita sunt.

Ex Ep. CXCIX. ad Adamantiũ

1 ADamantio, qui ipsius scripta omni lepore affluentia postulabat, sic respondet: *Libros à nobis petis ad rhetoricen repuerascens, quam nos abiecimus, cum diuino instinctu in Cœlum oculos ereximus. fecimus finem ludendi: pulchrius quidem faceres, si diuinos libros quæreres.* Rectè puerilem ludum vocat, dicẽdi flosculos carpere, & blandimenta verborũ sectari: adhùc terram respicientis hoc est, dùm plausus hominum ferè captatur. abÿcit hæc, *qui diuino instinctu in Cœlum oculos erexit.* nempè alia lingua loqui gestit, idest cœlesti. Tùm lepidè ostendit simul, & humilitèr, quàm parui faciat huiusmodi sua scripta: *Sed quia ità vis, en libros, quos postulas, eos, inquam, qui tineas, effugerunt, fumumq; super quem siti erant. quemadmodùm nautis gubernacula post nauigationem.* Vide quàm abiectè tantus Doctor sẽtiret de suis in hoc genere scriptis: in angulum reiecerat tineis consumenda ea, quæ cedro digna erant; & ad camini fumum collocarat ea, quibus inerat tantùm lumen ingenij: nos partus nostros tanquam turpiculos simiolos fouemus, amplexamur. Deindè sic elegantèr: *Tu verò sophisticè age, & fortiter, quandoquidem apud vos magno in honore sunt, & pretio Cynægyri, & Callimachi, ac Marathonis, & Salaminis trophæa.* Ad nos, inquit, Ecclesiasticos ista delectamenta dicendi non pertinent, qui seriò agimus: tu qui adeò delectaris lectione poetarum, & historia rerum præclarè in bello gestarum, tibi habeto. Denique ostendit, quo modo hæc legenda sint: *Sic eis vtèris, si Dei metus, quem coli semper oportet, vanitatem superet.* Egregium sanè monitum. timor Dei frenum sit in profanis libris legendis, nè ea, quæ sunt vana, sectemur. habeat locum eruditio, & ingenium, non illecebra voluptatis.

Studium eloquentiæ posthabendum vt ludus pueris respectu rerum spiritalium

Gregorius scripta sua humiliter tineis, & fumo committit.

In libris externis legendis vanitas cauenda

Ex Ep. CC. & CCII. ad Teclã.

1 TEclæ honestæ matronæ consilium probat: *Laudo dignam solitudinem, ac philosophicum recessum, nempe quia ab omnibus Mundi voluptatibus separata es solo Deo, & sanctis Martyribus, apud quos habitas, te ipsam conclusisti, ac Deo vnà cũ filÿs tuis hostiam viuentem, & gratam obtuleris.* Mira pietas. quasi cœnobium hęc sibi extruxerat in remotiore loco; vbi templum erat Martyrum; ibiq; cum sobole orationi vacabat: tanta in veneratione Martyres semper fuerunt, vt indè generosos spiritus pia mater cum prole conciperet. pulchrè appellat *philosophicum recessum*, locum vbi soli Deo vacatur procul à Mundi curis; quod ex parte intẽdunt exercitia spiritalia Ignatij nostri.

Philosophicus recessus vbi soli Deo vacatur.

Apud Martyrum templa secedere solent vt Deo tantũ vacarent.

2 De ferendis aduersis sic: *Magnus ille Dauid in futuris illis bonis, ad quæ cogitationes suas mittit, huius vitæ acerbitates occultat, dicens: Quoniam abscondisti me in tabernaculo tuo in die malorum. nec tantùm molestias deponit, cum Deus in ipsius mente versatur, sed etiam voluptate afficitur: Memor, inquit, fui Dei, & delectatus sum.* Psal. 20.

ſum. Pulchrè ait, cum in aliqua aſſlictione variæ cogitationes inſurgunt, mœroris, impatientiæ, &c. eas ad futura bona in Cœlum mittendas, vt ex eorum contemplatione pacatæ quieſcant. quod item pulchrè ſic oſtendere pergit: *Commodum ergò, & pulchrum pharmacum nobis fuerit in dolore, Deum, ac futuræ ſpes vitæ in animum reuocare, dilatari, vt Dauid, non anguſtijs premi, nec mœrore tanquàm nube obduci; verùm tùm maximè ad reconditam beatitatem intueri.*

In aſſlictione mēs ad cœleſtia bona erigenda.

Mœroris pharmacū ſpes alterius vitæ.

3 Ad tolerantiam ſic etiam excitat: *Dolent etiam, qui Mundo ſunt addicti, ac multò quidem ampliùs, quàm Dei ſerui, ſed eorum dolor mercede caret.* Eſt certè hoc religioſis erubeſcendum: ecquis enim tā ſollicitè, tanto cum labore, tàm toleranter Deo ſeruit, vt poſſit æquare, vel auari, vel ambitioſi anxiam curam? itàque eos inprimis commodis addictos iure ſic vrget: *Vtrùm abundare, & florere, an vexari ſtatuimus, cum Deo nos obtulimus? Vereor, nè pacta cum Deo irrita violemus; cū & hæc terrena habere ſtudeamus, & illa diuina ſperemus? nè quæſo negotiationem deleamus, verùm hæc feramus, vt illis potiamur.* Pulchrè negotiationem vocat, quam cum Deo iniuimus ſub certis conditionibus, vt ſi quid pro ipſo momentaneum patiamur, æternitatis beatitate donemur. conditionem ſoluis, ſi ægrè feras aduerſa, nec futura tibi dona debet Deus

In aduerſis cogitādum quāto magis mundani angantur ſine mercede à Deo.

Qui Deo militat pactū init de tolerādis aduerſis.

4 Parcendum dicit lædentibus, & aliquid tolerandum, vt à Sāctis adiuuari mereamur: *Siquidem mihi perſuadeo, Sanctorum animas res noſtras ſentire.* Notabilis locus non modò de ſuffragijs Sanctorum, ſed de cognitione, quam habent de rebus ad ſalutem noſtram pertinentibus; ſed rectè monet, non eſſe gratas preces, vel irati, vel impatientis, cum ipſi tàm alacritèr ſæuiſſimas pœnas tulerint.

Sancti in Cœlo res noſtras ſciunt, & iuuant.

5 Denique ſic pudorem incutit impatienti: *Abſurdum eſt, cum nulla neceſſitas vrget, philoſophari; in aduerſis autem philoſophiæ expertem apparere.* Sic irriſus eſt philoſophus ille Stoicus, qui indolentiam ſanus iactabat, poſteà in morbo clamabat querulus, falſa eſſe, quæ dixerat. igitur cōcludit: *Vt gratiarum actione opus eſt in rebus ſecundis, ità tolerantia in aduerſis.*

Qui iniurias, & res aduerſas ferunt, ſanctis à Martyribus exaudiuntur, & iuuantur.

6 Teclam conſolatur de obitu fratris, qui Sacerdos appellabatur: *Vndè præclarus noſter Sacerdos, ſyncerus ille, & nunc pius Dei adminiſter adſtans ortum traxit? ex Deo. vbi autem nunc ille? apud Deum, poſtquàm ſe diaboli luctis ſubtraxit. vndè item nos ortum duximus? an non indidem? quonàm autem migrabimus? an non apud eundem Dominum? atque vtinam cum pari fiducia.* Egregia conſolatio. habes terminum eundem à quo, & ad quem, videlicet Deum: quàm pulcher hic circulus ex Deo ad Deum? huc ſpectat illud Eccl. *Donec ſpiritus reuertatur ad eum, qui fecit illum.* Non quod anteà extaret, ſed quia à Deo factus. quod autem ait: *Nunc pius Dei adminiſter adſtans.* græcè eſt θεοῦ παραστάτης, vocabulum eſt militare, quo ſignificatur is, qui latus alterius cingit. quamquam in choreis quoque dicitur paraſtates, qui præſultori ſecundus eſt. hic igitur Cœlum petens, vel ſtipatoris inſtar ſummo Imperatori Deo adſtat; vel tanquàm in Beatorum chorea, quam diuinus Amor choragus ducit, exultat felici tripudio.

Mors iuſti migratio ad Deum.

Felicitas iuſti poſt mortem ſolatium eſt ſui.

Beati paraſtatæ Dei, & choraulæ.

Ex Ep. CCVIII. & IX. ad Nic.

1 NIcobulo elegans aliquid ab ipſo petenti ſic reſpondet: *Autumni tempore flores à prato poſcis, & Neſtorem ætate prouectum armis, dùm à me ſcitum aliquid, & elegās in ſermone petis, qui iamdudùm omnem orationis, & vitæ amœnitatem abieci.* Elegantèr negat ſermonis elegantiam, ſibi conuenire iām ſeni; ſimilitudine prati, & exempli Neſtoris. non omnia quouis tempore, & loco conueniunt, præſertim Eccleſiaſtico viro tractanti ſeria, vt Epiſcopo, aut concionatori grauē perſonam ſuſtinenti.

Flores dicendi decent ſenem, & Eccleſiaſticum.

2 De ſtylo epiſtolari præcepta tradit. primùm de longitudine: Nec longior, inquit, epiſtola ſit, vbi pauca negotia; nec ieiunior, vbi multa: *Quid? an Perſico funiculo ſapientiam metiri oportet, & puerilibus cubitis?* Secundò iubet eſſe dilucidam, nec futili loquacitate garrulam: *Nec pulcherrima epiſtola eſt, quæ & indocto perſuadet, & erudito; illi vt ad vulgi conſuetudinem accommodata, huic vt vulgi indolem ſuperans, ex ſe quamprimùm cognita, perſpectaq; ſit. Tertia dos epiſtolæ eſt gratia, vt non prorſùs arida, & ingrata, & incompta ſcribamus, & tædium gignētia; ſed ſententijs, adagijs, & memorabilibus dictis vtendum, itemq; iocis, ſalſiſq; dictis, nec tamen ijs abutendum, ſed æquè, ac purpuris in textura figuras admittamus, quanquā perpaucas, et verecūdas, vt ludentes potiùs, quā ſeriò agentes. Ferunt cum aliquandò aues de regno diſceptarent, atque aliæ alitèr ſe exornaſſent, aquilæ pulcherrimum fuiſſe, quod non putaretur eſſe pulchra: quod etiā in epiſtola eſt obſeruandum; quod non comptum eſt, proximè ad naturam aſcendet.* Vide, vt omnis affectatio fugiēda ſit, quod & in concione quoque locum habet, & in more viuendi. vide aues multas diſcolores; pauone verò explicante gemmatas alas quid vel elegantiùs ad venuſtatem, vel ſuperbiùs ad faſtum? nec tamen auium regina dicitur, ſed aquila, licet pullis aliis,

Præcepta ſeruāda in epiſtolis.

Omnis affectatio fugienda, vt in aquila reſpectu aliarum auium.

& pluma. & tamen & huius, & illarum decor est à natura: quātò magis fucus artis à natura discedens principatum non habebit in laude?

Ex Epist. CCXII. & III. & IV. Ad Sacerdotem.

Sacerdoti benè precari debemus vnionem cum Deo.

1 AD quēdam, nomine Sacerdotem, sic scribit: *Saluto te nouam spem nostram, qui senex es in iuuentute; & omnia tibi praclarissima, & optima volo, & voueo: eorum quid primum sit, non ignoras; nempè Deum semper possidere, & Dei mancipium esse factum per familiarem cum eo coniunctionem, & ascensionē.* Præclarum votū. vide quid amicis optare debeamus, prę sertim re Sacerdoti, nō opes; non aliquid humanum, sed possessionem ipsius Dei, & à terrenis ad ipsum ascensum, & vnionem, quod maximè fit per religionis ingressum. vide etiam quàm laudabilis sit iuuentus cum senili prudentia.

Iuuentus sanctè traducta laudatur.

Nihil graue præter offensam Dei.

2 Non est omittenda ad eundem breuis, sed digna vox: *Quid graue nobis? nihil, praterquam à Deo, & diuinis aberrare.* adeò vbi offensa Dei non est, nullus mœror est, etiam si aduersa circumstent.

Patientia in aduersis vt in arte sculptoria.

3 Ad eundem de tolerantia sic: *Si nihil à te asperum, ac difficile expectabatur, quādo ad philosophiam accedebas, alienum à philosophia imperium, & sculptores reprehēdo.* Nempè Imperator philosophari sic debet, vt ardua quæquè aggrediatur; & sculptor non sine multo labore rude marmor efformet.

Ex Ep. CCXXIII. ad Adelph.

Nihil perfunctoriè agendum

1 STrenuè, diligentèr, & prçclarè operandum dicit: *Non exiliter agemus magna; nec seria obitèr, & perfunctoriè; sed nunc quidem, vt canit Pindarus, quasi aureis substratis benè structo vestibulo columnis, paulò verò post per nosmetipsos abiectas ades condemus.* Elegans hæc similitudo est ex Pindaro sumpta ode 1. in Olympia, qua & alibi vtitur, & referri potest ad spiritale ædificium, quod nobilissimum certè esse debet, vtpotè in Christo lapide fundatum. substernendæ sunt primò columnæ, eæq; aureæ; initium enim ipsum pulchritudinem habere debet. hęc ad tyrones maximè faciūt. columnas aureas intelligo timorem Dei, mortificationem, deuotionem, & similia: nefas autem est aureis columnis fœnum, lignum, stipulam superponere; sed item aurum, & pretiosos lapides, vt ait Apostolus. hoc est actiones præclaras, & virtutes insignes, atq; spectabiles, quòad ædificium excrescat vsq; ad perfectionis culmen. huc refer murum illum adamantinum Dei manu ædificatum. Tùm nota illud ad religiosos maximè pertinens: *Non exiliter agēdum, nec seria obitèr, & perfunctoriè.* Vides nihil negligentèr, ac remissè operandum, & quasi per ludum; cum perfectio, res tàm seria, intendatur, hoc est salus nostra, & vnio cum Deo.

Ædificium spiritale aureis columnis mixtum.

Amos 1.

Ex Ep. CCXXIV. ad Eudociū.

1 ARguit, se rò fuisse prouisū, & affert adagium: *Post bellū auxiliū; & cum prius deliberandum sit, posteà agendū; ordinem peruertimus.* Rectè; quid enim est vita nostra, nisi militia? & quæuis actio, nisi pugna cum hoste? tempestiuè igitur recurrendum ad Deum, &c.

Tēpestiuè ad Deum recurrendū

Ex Ep. CCXXVII. ad Nectar.

1 COmmendat Nectario Episcopum de fide suspectū, nè patiatur causam apud seculares Iudices agi: *Illud tibi non ferendum videatur, quod nostra publicis pratorijs traducuntur. quid commune gladio, & spiritui? aut quomodò iustum est, disputationem de fide cum alijs controuersijs implicari?* Meritò rem intolerandam hanc dicit, vt diuina negotia cum humanis confundantur, & ad seculare tribunal Ecclesiasticus pertrahatur, inter prætorios fasces, ac secures lictorum is, cui cōmunicata diuinitùs est potestas, ligandi, atq; soluendi in terra, Cœloq;

Tribunal seculare à sacro diuersum.

Ex Ep. CCXXVIII. ad Pallad.

1 PAlladium egregiè commendat: *Si quis interrogauerit me, quid eorum, quæ in vita sunt, pulcherrimum sit? dicerem vtiq; amicos esse. ex his verò, qui huiusmodi sint? bonos enunciarem. ex his porrò, quē primum nominas? alium certè nullum virtuti tua anteponerem. atq; hæc scribo non principatum colens, sed mores honorans, quorum parui quidē pracones sumus.* Nota primùm, quomodò artificiosè per gradus quosdam ascendat ad eius laudes, & vt se submittat, negans aptum præconem tantarum laudum. Est autem hic insignis locus pro S. Ioanne Euangelista, qui amicus, & dilectus Christi fuit. dùm ait: *Amicum esse eorum, quæ in vita sunt, pulcherrimum.* ideò tanquàm monile gemmatum sibi applicuit pectori. deniq; vide, vt assētationē omnē fugiat. nō ait à se illū laudari, quia princeps est, sed qa benè moratus.

Amico vero nihil pulchrius.

Ex

Ex Epist. CCXXXVII. Ad Homophronium.

1 DE Synodo, ad quam inuitatus fuerat, sic ad Homophronium scribit: *Ad Synodum nos vocas. optarem itâ valere corpore, vt viderem Christi domicilium, Sanctorum radicem; illam re vera matrem filiorum latantem, & latantium: hoc persuasum habeo in Domino, atq; confido, si quid triste, ac molestum vobis occurrat, fore vt haudquaquam extinguatur lucerna Israel, etiamsi dæmonis flabelletur vento; nec bonitas eius amplius occultabitur, quam arcanis dispositionibus abscondit, sed magis glorificabitur, & admirationi erit per patientiam nostram, & spem.* Vide, vt Diabolus quasi flabello aduersitatis, & ventorum impetu conetur extinguere lumen Ecclesiæ, cũ potiùs quasi flamma ventis agitata maiores vires capiens exsplendescat per charitatem.

Synodi laus.

Ex Ep. CCXXXIX. ad Gigant.

1 DE inconcussa, & stabili fide Trinitatis sic pulchrè ad Gigantium scribit: *Lætitia gestio, quia rectè sentis, & germana tibi est Trinitatis adoratio, quã magis enunciamus, quàm spiramus, & cum periculo, & extrà aleam periculi. cum cætera temporibus permittamus, vt ea quomodolibet versent, atq; circumferant; hoc autem immutabile in animis habemus, solùm inuidiæ expertem thesaurum, & verè nostrum.* Nota perseuerantiam simul, & affectum ergà fidem Trinitatis, vt *hanc magis enunciemus, quàm spiramus*. quasi magis egeamus huius confessione ad vitam, quàm ipsa respiratione. pulchrè itẽ thesaurum vocat huius fidem. vndè illud: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, &c.* Vide igitur quanto cum studio seruandus sit. Deniq; elegantèr ait, cętera subijci tempori, at Trinitatis fidẽ ad æternitatem pertinere.

Trinitatis fide vt respiratione egemus.

Ex Epist. CCXL. & XLI. Ad Amphilochium.

1 AMphilochium Sacerdotem rogat, vt pro ipsius valetudine vota faciat: *Vix ab aduersa valetudine respiramus, ad te sanitatis conciliatorem accurrimus; nàm lingua Sacerdotum dominũ meditata excitat ægrotantes. fac igitur Numẽ sacrificum, & peccatorum molem nobis solue, victimam resurrectionis oblatam contingens.* Vide quanti faciat missæ sacrificium; & quantam vim habere putet cùm ad corporis, tùm ad animæ sanitatem. vir tàm sanctus pro se missæ sacrificium tàm ab altero enixè exposcit. græcè prò *Lingua Sacerdotum dominum meditata*. habetur φιλοσοφοῦσα philosophata; quo ostendit, Sacerdotem habere templum quasi Lycèum; & orando, circà diuina, præsertim circà hoc Sacramentum, philosophari: quæ vera sapientia est. appellat autem *Victimam resurrectionis*, quia incruẽtum sacrificium est. Nota etiam tàm sãcti Doctoris humilitatem: *peccatorum molem nobis solue*.

Missæ sacrificium quanti valoris sit.

Philosophari debet Sacerdos circa missæ sacrificium.

2 Ad eundem Sacerdotem sic item elegantèr: *Mihi lyra concinna effectus es; in mentibus nostris inhabitasti*. Pulchrè Sacerdotis linguam *plectrum* ἐναρμόνιον, *enharmonicum* vocat; tùm quia ex eius ore nihil nisi consonum exire debet, Deũ laudando, tanquàm harmonico concentu. tùm quia quasi melicis consecrationis verbis trahit Deum. quod sic egregiè explicat: *O Dei cultor sanctissime, nè cuncteris pro nobis orare, & intercedere, quando dicto allicis verbum Dei, quando incruenta sectione corpus, & sanguinem Dei secas, vocem adhibens pro gladio.* quod ait, allicit Deum, ad plectrum pertinet; quod sine lęsione diuidat, ad gladium. nec mirum, nã vtitur verbis Christi, ex cuius ore, vt ait Ioannes, prodit gladius anceps, ad vtrãq; videlicèt speciem huius Sacramenti se extendens. quò etiam referre possumus illud: *Cum sederis ad mensam potentis, statue cultrum in gutture tuo*. hoc est, quod ait, *Quando incruenta sectione corpus, & sanguinem Dei secas, vocem adhibens pro gladio*. similitèr de pane illo viso per aerẽ deuolui contra Madian dictum est: *Gladius Dei, & Gedeonis*.

Sacerdos lyra diuina est, & lingua plectrũ enharmonicum trahẽs Deum.

Verba consecrationis gladius sũt.

3 Eidem quendam nomine Glaucum commendat lepidè, alludens ęnigmaticè ad hoc nomen: *Cum vrbes montanas lustraremus, Glaucum ibi marinum in montibus piscati sumus, non lineis retibus è profundo extracto pisce, sed charitate amicorum captura irretita.* Vide vt charitatis hamo, escaq; etiam in terra liceat prædã potiri. de Glauco nota fabula. Deus marinus senior fingitur, ex piscatore conuersus in Deum gramine gustato.

Amicitia piscatio quædam charitatis est.

Ex Ep. CCXLII. ad Aburgiũ.

1 ABurgio benè precatur, ac de eius honoribus gratulatur: *Fama bonorum nuncia nobis narrare non desinit, te transilire Stellarum, ac planetarum instar, modò in hac, modò in illa barbaricæ oræ parte*

Magistratus regij planetarũ more discurrunt ad publicam vtilitatem.

parte eminentem, nunc frumenta militaria erogando, nunc in Regis conspectum cum splendore prodeundo: Deum precamur, vt te ad summum dignitatis gradum promoueat. Nota quales ministros, ac magistratus Rex habere debeat, qui videlicet planetarū more discurrētes cōsulāt subditorū bono. porrò pulchrè pertinet hæc laus ad Apostolicos viros, in primis ad Xauerium, varias orbis terræ regiones, etiam vltimas excurrentem, instar planetæ cœlestis errātem, & fama miraculorum clarum, & virtutibus eminentem, & semen verbi Dei quasi frumentum spargentem, cęterùm orationi coràm Deo insistentē: *Fama bonorum nuncia narrare non desinit, eum stellarum, & planetarum instar, modò in hac, modò in illa barbarica ora parte eminentem, nunc frumenta euangelica erogando, nunc in summi regis Dei cōspectum cum splendore prodeundo.* solitus quippè est eius vultus orātis exsplēdescere, & ignescere charitate.

Xauerij excursio per Orbem

2 Testamentum conficit, quo ostendit qua liberalitate fuisset in egenos, qui post præclaros Episcopatus tàm paruas relinqueret facultates. Euagrio diacono gratiam habeo, inquit, coram Deo, qui ipsi maiora retribuet. do parua amoris symbola, tunicam vnam, pallia duo, aureos nummos triginta: *Alypianam veniam mihi dare volo, quod nihil possim ipsi relinquere, quippè qui omnia iam pauperibus destinaui.* Erat hæc filia sororis suæ, quam alibi filiam dulcissimam vocat. & tamen excusat se, quod nihil superfit, nè exiguū quidem, vt donet. est hæc laus S. Caroli Borromèi, qui vno die quadraginta millia aureorum admirabili planè exemplo impendit in pauperes. Bellarminus verò noster, item Cardinalis vix habuit, quod in exequias solueretur. quàm absunt ab eximia in pauperes beneficentia, qui Ecclesiasticis bonis locupletare studēt suos!

Greg. omnibus in pauperes bonis erogatis, vix habet, quod sororis filiæ donet.

EX LIBRO CYGNEORVM CARMINVM.

Ex Carmine de Dei dilectione, &c.

1 ELegans, & pia est inuocatio: *Da Deus, vt te monarcham celebrem, propter quem Angelorum tripudia, propter quem Sol fulget, propter quem Luna cursus, & ingens siderum gloria; propter quem homo, Numen diuinum mente percipiens. viuam te Trinitatem appello, naturam immutabilem, ineffabilis essentiæ, imperscrutabilem, &c.* Quantò præclarior est hæc inuocatio, & nobilior, quàm illa poetarum ad vana Numina? quid potest dici illo præstantius: *propter quem Angelorum tripudia. propter quem Sol fulget, &c.* carmen verè Cygneum, prę quo anserinum nescio quid sonare videntur poetæ profani. vide, vt ad Deum, tanquàm ad finem omnia referantur.

Ad Deum tanquā ad finē omnia referenda.

2 De prouidentia Dei sic pulchrè: *Non quia tu picturæ rationes non intelligis, ideò pictor ipse imperitus est. nec si tu linearum rationes perspectas non habes, eadem & geometræ sic sunt incognitæ.* Vides Mundum istum instar picturæ esse, Deum quasi pictorem, sapientiæ pennicillo varias rerum formas inducentem. artis inscius multa stultè quærat, quid sibi vult illud tectius adumbratum, nec tàm viuaci colore? quid facit illa forma depressior, non eminens, non tota apparēs? & similia, quæ data opera peritus pictor effinxit. ità non sunt curiosius indaganda diuina consilia in ijs, quæ in hoc Mundo cernimus. Addit: *Spectandus est finis rerum omnium, tunc apparebit cur Deus nūc finat pati, &c.* huc refer illud psalmistæ in hoc genere: *Labor mihi est, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligā in nouissima eorum.* Non tibi promissum est in baptismo, te diuitem futurum, &c. sed æterna vita victurum. si omnia nunc aperta essent, vbi fides locum haberet? *Videas aliquando ingentem bouem ad præsepe pinguem, ceruices attollentem, & iugulationi reseruatur.* huc pertinet illud psalmi: *Et occidit pingues eorum.*

Mundus quasi Dei pictura exterasfaci.

Psalm. 72.

3 Egregiè ostendit in vtramq; partem nos paratos esse debere ad nutum Dei: *Scelesti serui est herum tantùm sibi arridentem colere. quamlibet inflexionem, conuersionemq; diuini tabernaculi ferre debeo, quò me Deus è tempestate appulit ad portum.* Alludit ad tabernaculum arcæ Dei in deserto, quod ad columnæ motum mouebatur, quocumquè illa pergeret. sic nos, qui ipsius Dei tabernaculum sumus. Item videtur vti metaphora venti vela implentis, & nauim è medijs fluctibus ad portus stationem appellentis. ità spiritu Dei agi debemus.

Ad Dei nutum quò velit paratos esse debemus.

4 Qua ratione tentatio superanda sit, ostendit: *Rursùs accedit ad me serpens; paululùm flammam illam extinguito, Gladio, quo rursùs in paradisum admittar; sicut latro ille de Cruce vnà cum Christo ingressus.* Alludit ad Apostoli verba: *Sumentes gladium, quod est verbum Dei.* ac pulchrè opponit gladio illi igneo, qui impediebat aditum ad paradisum, gladium igneū spiritus, id est diuinum verbum, nàm dicitur: *Ignitum eloquium tuum.* Ardeat igitur zelo concionator, & hunc gladium alteri opponens, reseret paradisum. ità latroni gla-

Tentatio gladio spiritus superanda.

gladius ille cessit, distringens strenuè suũ, quo alterius latronis maledicta confodit.

5 De Mundi contemptu hæc præclarè: *Magnum hunc Mundum viuis concedo, facilè cuncta terrena respuens, quæ scenæ sunt, atque larua maioris theatri. obaudio Verbi voci: Discedamus hinc. vocat nos Deus; alati festinemus.* Pulchrè referri hoc potest ad eos, qui è seculo ad religionem per inspirationem sãcti Spiritus vocantur, vt statim id agant. sic mulieri illi in apocalypsi, vt tuta esset à draconis impetu, *data sunt duæ alæ, vt abiret in desertum.* hoc est in locum remotum à Mundi strepitu. rectè autem res terrenas laruas theatrales, & scenicas appellat, fictè apparentes. huc etiam spectat, quod similitèr addit: *Para te ipsum ad Cœlum quàm celerrimè; præclaram illam, ac pretiosam animam ratione velut alatam redde. abÿce quicquid est oneris.* quod de ratione ait, græcè λόγῳ, potest & diuinum Verbum intelligi; neque enim ratio tantùm potest sine Verbi diuini gratia euolare tàm altè, vt Deum attingat. Tùm vide quanto desiderio flagrare debemus deificç visionis: *Para te ipsum ad Cœlum quàm celerrimè, animam velut alatam redde.*

Res mũdanæ scenicç & laruata

6 Orat pro grege sibi commisso: *Parastates ego sum mensæ illius mysticæ; populum tibi offero, ò scaturiens splẽdor, & fons lucis.* Pulchrè Sacerdotem sic vocat. græcè παραστάτης est miles Imperatori dilectus, eius lateri assidens, cum stipans etiam in mensa. hoc agit Sacerdos; quamobrem in scriptura Angelus vocatur. item parastates in chorèa dicitur, præsultori, hoc est chori magistro secundus: Sacerdos autẽ in quadam Angelorum, ac beatorũ chorèa proculdubio versatur, accinens Deo. discat autem hinc Episcopus missæ sacrificium offerre pro populo, & populum ipsum Deo in sacrificium. de hoc nomine infrà fusius.

Sacerdos est parastates sacrç mensæ.

7 Ostendit nihil vilius homine, nisi secum habeat Deum: *In vitam veni; at cur fluctibus iactor decumanis? dicam audacter. nisi tuus essem, Christe, iniuria mihi fieret. procreamur, adolescimus, angimur, morimur, computrescimus cum pecudibus. ignominiosa hæc essent. quid mihi eximium præter te Deum? nihil: nisi tuus essem, putarem iniuriam mihi factam.* Rectè, & acutè; nihil magnum quodammodò deberẽ Deo, quod in hunc Mundum me produxisset, nisi mihi seipsum daret. quas enim ei grates agerem? an quod me in hoc corpore tot miserijs obnoxio tanquàm sepulchro infodisset? nàm ideò Græci corpus σῶμα dixerunt, quasi σῆμα idest sepulchrum. Quod autem de fluctibus decumanis ait, decimumquemq; fluctum aiunt esse tumidiorem. & Lucretius quidẽ ait, nos in hanc vitam appulsos, tanquàm è naufragio in littus eiectos; quamquã igitur creatio beneficium est, tamen nobis non esset vtilis, nisi ad se fruendum Deus creasset.

Natũ esse miserũ est sine Deo.

8 Diabolum tentantem sic increpitat: *Venisti, scelestè, sed deprehensus es. cum fumum cernerem, ignem animaduerti. halitus acer, ac vehemens certum draconis indicium.* Videtur alludere ad verba Iob de Leuiathan: *Halitus eius prunas ardere facit.* ac pulchrè initium tentationis, & persuasionis fumum vocat; quasi enim insufflatione quadam, sic persuasione materiã per occasiones dispositã ad operationis ipsius prauæ flammam prouocat. quod vbi iustus aduertit, statim obruere conatur, antequàm ignescat, & Crucis braculo struem fomitis dissipat, ac diabolum incẽdiarium fugat; Crucem, inquam, tentationi opponit: *Ego verò Crucem in sublime tollo, quæ vitæ meæ cust[...]; quæ Mundum vniuersum ceù vinculo, & nodo quodam constringens offert Deo. hanc tu reueritus, cede.* Pulchrè vocat, Crucem Mũdi nodum, & vinculum. finxit Homerus à Ioue Vniuersum, cõstringi, atquè coniungi, & colligari aurea catena, quod Plato ad Solem retulit. Sed re vera Crux hoc agit, in qua Christus passis hinc indè manibus quasi Mundum vniuersum amplectitur; & partes ipsius Crucis quaquè versus, supera, terrena, ima respectant, & cuncta recolligunt simul, & colligant: ità nodosum lignum factum est Mundi nodus. peculiaritèr in religiosis hoc patet, quos in vnum Crucis amor tãquàm vinculo colligauit, & votis adstrinxit.

Iob 41.

Tentatio est diaboli insufflatio in ignem.

Tentatio memoria, & signo Crucis dissipanda.

Crux Vniuersitatis nodus, & vinculum cum Deo constringes.

9 Diabolum sic etiam eludit: *Meræ Dei Gratiæ me suum adstitem purum vocat.* græcè est παραστάτην. quæ vox militaris est, vt diximus, significans milites præcipuos stipantes, & circumsistentes Imperatorem. talis Sacerdos est: quod munus Gratiç refert acceptum, modò purè exerceatur. magnam hinc spem, & fiduciam sumit, quasi per Sacerdotium diabolum minimè iàm formidet.

Sacerdotiũ Dei adstitẽ, seu parastatẽ facit.

10 Ad Solitarium quendam, qui apud scaturientes aquas degebat, cum venisset, dolet non inuenisse, sic acutè, & elegantèr: *Veni, vt desiderÿ flammam extinguerem, qua flagrabam ob tuam consuetudinem. fontes inueni, re vera non fontem, qui longè aberat. ille fons, de quo haurire cupiebã discessi: hoc vnum consecutus: quid? sitim ardentiorem.* Allusio est, quod Solitarius hic instar puri fontis esset, ac limpidi, diuinæ sapientiæ scatebris manans. hunc cum non inuenisset, sed tantùm circà eius habitaculum variarum aquarum scaturigines, ait lepidè, maluisse se fontẽ reperire, quàm fontes; quippè magis sitibun-

Ad sanctos viros velut ad limpidũ fontem est sitis accurrendum.

bundus recessit. itâq; sic item pulchrè addit: *Sed tamen alterum tu mihi congressum precibus impetrato, vt vrgentem hanc flammam contingere possim, cogitationum diuinarũ aliquid accipiẽs, & vicissim impertiẽs.*

11 E Mundi periculis ad Christum suspirat: *Mater pars vitæ præterÿt. sum idem semimortuus, nec dùm malitia consumpta. hinc nobis peccatum, illinc stat pœna, medius ipse inter terrores consisto. solue me, Christe, priùsquam priorem accipias.* Vide quàm humilitèr de se sentiret sanctus hic Doctor; & quàm sollicitè de sua salute loquatur, ac precetur.

Gregorij metus de salute.

Ex Carmine de fide Trinit.

1 COnstantiam miram præsefert in prædicatione Trinitatis: *Nũc lapidum ictus in me dirigite. tanquàm veritatis scopus nihil moror telorum strepitus. Pater radix est, ac fons bonorum, ex eo Filius est, qui & Verbum lumen genitum, principioq; carentis expressio, veluti sigillum; ex eodem & Spiritus natura æternus Deus, Deus, Deus meus, vnitasq; trina testem ipsum Trinitatis appello. nullum tempus hanc orationem incusabit. cõcutiantur omnia. Deus modò mihi nõ aboleatur.* Præclara fidei professio, pro qua nec lapidari curat ab hæreticis obstinatione lapideis; imò si totus Mundus subruatur, *si omnia concutiantur*; ipse tamen stabilis erit, ac firmus in dictis. Ad hãc constantiam spectat, quod pulchrè addit, aduersarium vrgens: *Ego hunc sermonem habeam, tu Ciuitates, & splendidos thronos. vtinam velut lucerna in candelabro posita splendeat, Orbemq; totum suo fulgore collustret.* Vide quanti faciat hanc fidem, vt omnes opes, atquè honores præ illa despicabiles putet. elegantèr autem vult hanc de Trinitate sententiam, tanquàm luminare ex alta specula toti Mundo collucendo se prodere. & antè aureo tabernaculi candelabro comparat, in quo triplex erat, inter cętera, ornamẽtum: sphærulæ, quod ad Patris personam pertinet; nucis, quod ad Filij ob amarum corticem, & in nucleo Crucis imaginem; scyphi hoc est poculi ad Spiritus sancti, cuius est inebriare animam. quod & illis, licet non rectò sensu, visum est, qui dixerunt: *Musto pleni sunt isti.*

Greg. pro fide Trinitatis ad necẽ paratus.

Fides Trinitatis aureo candelabro templi comparata.

2 De spe inter aduersa sic: *Grauis profectò esset huius vitæ infelicitas, nisi tandèm Deus cubos inuerteret. Esaias serra secabatur, & ferebat, &c.* Adagium est de mutatione ad meliorem statum, inuersio cubi. figura est ex omni latere quadrata.

Ex Carmine ad Animam.

1 ANimam suam terrenis deditam ac itèr increpat: *Empusa, Baccha, infelix anima, quò te voluptas abripit! non ignem cupiditatis extingues?* Animã quasi lymphatam facit, vt erant Bacchæ, siue Mænades dictæ in orgijs Bacchi, discurrentes amentium more, thyrsosq; iactantes. ità anima velut insana fertur per illecebras voluptatũ. Sed acriùs illud, quod huiusmodi animam appellat Empusam, quam Philostratus monstrum facit, ac Lamiam vocat, ore quidẽ virgineo, sed leonino corpore, insidiantem, & exugentem infantilem maximè cruorem. eandem Empusã Morpho vocat, ob varios, quos induit turpitèr, vultus. imò dæmonem ipsum putat in libidinosam mulierẽ versum, ac Menippo Cynico sic illudẽtẽ. Vide igitur quàm monstrosa, quam noxia res sit anima peccatrix atqui sanctus hic Doctor incredibili humilitate sic animã suam vocat, Empusam, quã verius vocaret ob splendorem virtutis, Eulampiam.

Greg. animam suam vocat Empusam, & Baccham.

2 Animam ad passiones edomandas sic elegantèr vrget: *Nonnè excitabis partem ratione præditam, adiungens tibi partem alteram, quæ iram cohibet? an non tibi gubernator obuenit quasi trigæ, ad quam iuncti equi natura dissimiles? vnus nobilis, ac generosus; alter immodestus, & incompositus; tertius mansuetus. si remittas habenas audaci, exilit, luctatur, perturbat cursum; impetu ruit, ac medio se adiungens persuadet, vt secum conspiret. fertur demũ per abrupta loca præcipitans, donec in Orcum deuoluatur. Tu cursum omnem generoso illi equo committe tanquàm perito itineris quod sursum ducit. obiurga medium, vt vim magnanimam suam in rebus conuenientibus declaret. immodestum cohibe, nè frenos respuat.* Omninò præclara similitudo rationis aurigæ moderantis trigã equorum inter se dissimilium prudenter, ac peritè. ac rectè ait generoso equo cursum committendum; huiusmodi enim indoles ad virtutẽ requiritur; nec prefractũ ingenium in laude est, nec nimis lentum.

Anima trigæ equorum fertur.

3 Describit, quid sit anima: *Dei spiraculum anima est, cum terrena commixta materie, tanquàm si lux in antro abscondatur.* Vide quid corpus sit, quod ornamus, obscura specus, & antrum. in quo latet anima quasi lux. ità Persæ Solem, quẽ Mitram vocabant, in antro coluerunt; atquè indè magna cum celebritate euocabant, extrahebantquè: sic & anima extrahenda ex antro corporis per abstractionem mentis ab ipso corpore. Tùm Pythagorę opinionem de anima damnat: *Non in corpora*

Anima sic quasi lux in antro corpore.

pora migrat ad pœnas, quasi in Ixionis rota voluatur; nunc in anguem, nunc in piscem, &c. Rectè arguit. videtur enim Pythagoras hac reuolutione quasi rotam illã, in qua Ixionẽ uolui finxerũt ad pœnã, imitari. vtrumq; igitur fabulosum.

Ex Carmine de Creatione Hominis.

1 PVlchra sanè prosopopœia Dei, & hypotyposis de Mundo iàm condito, & homine condendo: *Iàm Cælum tenent puri ministri mei, mentes sanctæ, egregij nuncij, perpetuis meam gloriam celebrantes hymnis. habet & terra ornatũ suum. creetur homo medius inter mortales, & immortales, indagator rerum cœlestiũ. magnus telluris Imperator, alius ex terra conditus Angelus, mea potentiæ, ac sapientiæ celebrator sic ait, & terræ dudum creatæ partem sumens, manibus suis immortalibus meam formam expressit; tùm vitam impertiuit, spiritum immittens quasi quendam riuulum diuinitatis, expertem materiæ.* Vide incredibilem dignitatẽ. ad hoc positus est homo in terra, ad quod positus Angelus in Cœlo; vt ornamento sit ille Cœlo, hic terræ; & vt vterquè factoris sui præco sit. ille Dei minister, hic *magnus telluris Imperator*. Quod autem ait, *immortalibus Dei manibus expressum*. pulchrè id describit Tertullianus, & Moses Barcephas; nàm si Midæ manus quicquid tangerent, etiam si lutum, vertere in aurũ dictæ sũt, quid de Dei manibus dicemus? Perpende visum illud Amos: *Dominus stabat super murum litum, & in manu eius trulla cœmentaria.* 70. vertunt: *Stabat super murum adamantinum, & in manu eius adamas.* en vt cœmẽtum, ac lutum in manu Dei versum erat in pretiosissimum lapidem. Illud autem pulcherrimè, & magnificentissimè dictum: *Spiritum immittens, quasi quendam riuulum diuinitatis.* quàm igitur indignum est, tàm limpidum, & purum riuulum inficere cœno peccati? ac rectè per Prophetam exprobat Deus: *Quid tibi est in via Aegypti, vt bibas aquã turbidam?* attende ex quàm puro fonte defluxeris, scilicèt diuinitatis. Addit illud item præclarum: *Natura mentis regina est corporis, & animæ.* Vide mentem, siuè rationem tanquàm è solio iura dantem potentijs, atq; sensibus.

Hominis præclarum elogium

Hominis formatio describitur

Spiritus in hominis creatione immissus quasi riuulus diuinitatis.

Mẽtis quasi regina dominium in homine

2 Eleganti similitudine ostendit, quo pacto ratio in homine temporis decursu vim accipiat, ac magis se prodat: *Sicut exiguis in tibijs etiam flatus ingens exiguum quendam, & inconcinnum sonum edit, etiam si canendi peritissimus sit, qui tibias inflat; sed cum capaciores, & latiores tibias sumpserit, perfectior est sonus: ità anima nata primùm infirmiora, & puerilia membra, & ipsa videtur infirmior, donec ijs solidioribus factis, ipsa vim suam ostendat, mentemq; totam patefaciat.* Vides, vt hominis temperatura tota sit harmonica. animus sit instar tibicinis, membra tibiæ, vt totus homo ad concinendas Dei laudes factus videatur. quò admirabilior fuit Nicolaus Myræ Episcopus, & Thomas Aquinas, & alij, qui à pueritia cum adhùc hæ tibiæ exiguæ essent, tàm clarum deuotionis, ac pietatis sonũ reddiderint. Idem de vita spiritali dici potest: nàm etiam si totum flatum, id est spiritum velis infundere nouitio, quia nondùm capax est, exiguum reddet sonum, ità tamen vt, quò magis adolescit, eò clariorem reddat, spiritu abundantiore repletus, & per incremẽta virtutum ad perfectionem tendens.

Homo mutieum Dei organũ sẽsim perficitur.

3 De prima hominis creatione sic pulchrè: *Postquàm hominem Deus condidit, vt gloria sua frueretur, ac tandem terra relicta, Deus ad Deum accederet, naturæ lege lata impressit cordi virtutibus in thesauros sẽper florentis paradisi, statuit quasi pendentem in æquilibrio, quonàm inclinaturus esset, expectans.* Vide quàm præclaro fine conditus sit homo: *vt gloria Dei frueretur, ac tandem terra relicta, Deus ad Deum accederet.* tanta vis est gratiæ, vt faciat deiformem. & nota pulchrè illud de æquilibrio liberæ voluntatis, vtrùm ad legem Dei se inclinet, an Mundi; quod optimè expressit Dauid dicens: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas.* Vide, vt cor tanquã in libra lancẽ fecerit; & quia maioris ponderis putauit Deo obedire, quã Mundo, cordis lancẽ inclinauit.

Deus hominẽ liberũ velut in æquilibrio creauit.

Hominem Deus creauit ad sui gloriã deiformem.

4 Egregiè differit de arbore scientiæ boni, & mali, quam Deus degustare vetuit, non quia ex se noxia esset, sed quia homini, vt recens nato infanti solidior ille cibus aptus non erat, nisi ante lacte obedientiæ, ac præcepti aleretur, ac disceret cibi qualitatem: *Præclarè illi arbori Deus igneum zelum suum quasi pessulum obdidit, nè quis Adamus ætatem maturam nondùm consecutus, ingrederetur, antequàm dulcis rami noxium cibum vitare norit.* Pulchrè præceptum vocat, *igneum zelum Dei, quod quasi pessulum obdidit.* ideò quia igneum zelum homo contempsit, gladius igneus versatilis in pœnam positus. & sicut zelus ille igneus pessulum, ac sera quædã erat prohibens ab accessu ad esũ; ità gladius ille igneus vt pessulum, & sera fuit, prohibens aditum paradisi.

Dei igneus zelus pessulum positus, nè ad vetitam accederet arborem.

5 De conuersione peccatoris ad Deũ sic: *Sicut mare nauigans quispiam tempestate retroactus, rursum flatibus mitioribus*

bus expansis velis, vel per remiges ingenti labore cursum suum perficit: ità nos longè à Deo prolapsi, rursum non sine labore nauigationem absoluimus. Vide, vt peccator, licet in prosperitate sit, ac secundo flatu se ferri putet, in tempestate potiùs sit, ac naufragij fluctu iactetur. diù igitur à recto cursu aberrauimus, corrigenda nauigatio est.

Post peccati naufragiū dirigendus nauigationis cursus.

6 De peccato originali hæc habet: *Eiusmodi damnum semper recenti semine virescens, ab homine illo primo, à quo generis humani spica orta est, in miseros homines est propagatum.* Humanum genus spicæ simile dicit ex Adam semine, & quod mirum est, virescit hoc dãnum, dùm spica consumitur quasi rubigine, & à locusta, eruca, brucoq; comeditur. sed per Christum, qui granum frumenti est, fit, vt huius spicæ grana in cœlesti horreo recõdãtur.

Genus humanu velut spica ex Adamo

Peccatum orig. vel rubigini, vel erucæ simile

7 Inscriptio est fani ex idolorum cultu ad Dei cultum traducti: *Antiqua sum dæmonum sedes. postquàm corrui, Gregorij manibus erecta Christi fanum sum, vos hinc mali Genij facessite.* Idem ad peccatorem conuersum referri potest.

Ex Carmine deprecatorio.

1 PVlchra, & pia est ad Deum apostrophe: *O Deus, qui es super omnia, nã quo alio te dicam nomine, qui omnia geris nomina, & solus appellari, & enunciari nequis? tu omnium commune desiderium, cõmunes aculei res omnes ergà te stimulant, ad te cuncta festinant, tu finis omnium.* Nota primò quàm mirè Deus, & omnibus nominibus appelletur, & nullo. lux dicitur, nec tamen vt lux hæc, quam cernimus, &c. deindè egregiè dicit, res creatas omnes tanquàm aculeos esse, atque calcaria, quæ nos incitant, vt curramus ad Deum ipsarum conditorem. Aloysius certè noster non contentus his mysticis calcaribus, aliud calcar materiale lateri admouebat ad hanc finem.

Res creatæ stimulus sunt incitantes ad Creatorem vt finem

2 Diurnas precantiunculas piè admodùm apponit. manè dicatur: *Diluculum appetijt, dexteram tibi Deo meo porrigo. diẽ hunc tibi consecro. caligini nihil consentaneum faciam, inconcussus manebo, & affectuum Imperator. ipsa mensa, cui adsto, mihi pudorem incutit, nè sim malus; itemq; mensa, cui adsto, hoc est animi institutum, & cupiditas mei. tu euentum prosperum largire.* Egregia certè precatio matutina, à Sacerdotibus in primis vsurpanda. primò piè dedicat, & consecrat eum diem Deo. deindè acutè petit, nè sub diei luce sibi peccati caligo offundatur. tertiò strenuè, firmitèrq; proponit, se nolle peccare; passiones sub se habiturum. quartò excitat se ad sanctè, castèq; viuendum, hoc maximè nomine, quod Sacerdos sit, Deo adsit, Deo sacrificet, Deum tractet: nullũ certè maius incitamentum ad pietatem, nullum maius auocamentum à peccato. deniquè gratiam, opemq; poscit à Deo, vt quod proponit, obseruet. Vespere autem sic precandum: *Fefelli expectationem tuã, Christe, qui veritas es, dùm diem hunc tibi consecraui. pedes offenderunt, nàm caligo venit, qua inuidet saluti, sed tu lux rursus mihi luceas.* Respondet hæc precatio precedenti, manè factæ. dolet se summæ veritati esse mentitum circa promissum non peccandi. displicet tàm præposterè egisse, vt sub ipsa diei luce in caligine sit versatus; quamobrem orat, vt lux illa diuini fauoris, qua sub hac luce caruit, certè nocte sibi respondeat, quia nocti non subiacet. Magnum affectum, & pondus continent illa verba: *Fefelli expectationem tuã, Christe, &c.* nempè hoc conqueritur per Prophetam: *Expectaui, vt faceret vuas, fecit autem spinas.* Deniq; non minus pulchra, ac pia sequentis diei precatio est: *Perijt mihi, Christe, dies hesternus; fac, vt hodiernus dies mihi sit lucis dies. interim, tu Gregori, memento: Deus intuetur.* Dolet de hesterni diei iactura, minùs piè transacti. petit, vt saltem hodiernus procul à tenebris peccati sit, non tàm Solis, quàm diuini fauoris lumine illustratus. deniquè se ipsum componit ad pietatem ex Dei præsentia, quàm subindè memoria recolit: *Deus intuetur.*

Egregia oratio, quæ ad Deum mane facienda.

Vespere quæ precatio ad Deum facienda.

Precatio ad Deū secundo die facienda.

Dei præsētia semper habenda deterrens à peccando

Ex Carmine de Custodia sensuum.

1 CVstodiri se à Deo postulat: *Muri, fores, vectes occludite me, nè quis sermo, vel vis furtiua clàm ingressa, pretiosa mea supellectilis aliquid surrepta elepat; neuè tyrannus quispiam violenta manu diripiat: thesaurus autem ipse Deus est, & Dei timor. iniuriæ dilacerabunt me, nisi tu, mi Deus, Cercopibus illis imperabis, vt quiescant.* Cercopes quõdam fuisse dicuntur omnium scelerum auctores, & architecti quidã, quos Iuppiter in turpes simios, vt ludibrio alijs essent, verterit. tales sunt hæretici nostra stultè fingentes. porrò pulchrè thesaurum dicit suum, Deum, ac Dei timorem: magna custodia opus est, nè diripiatur; vide quot propugnacula requirantur, *Muri, fores, vectes.* hinc tãta illa sollicitudo circa sponsam adhùc puellam: *Soror nostra paruula est, quid faciemus sorori nostræ? si murus est, faciamus ei propugnacula argentea; si ostium est, cõpingamus illud tabulis cedrinis.* potest etiã hoc

Custodia sensuum, & clausura commēdatur

Deus quasi thesaurus cautè custodiendus

Cantic.

hoc referri ad claustra religiosorum: sic enim seruatur deuotio, ac disciplina, contra quam circumforanei quidam faciunt.

Ex Carmine in nobilem malè moratum.

1 OStendit frustrà iactari nobilitatem generis sine virtute: *Si data opera simium tibi leonis ornatū habitu offerrem, nūm tu illum metueres? quòd si coruus volucrum fœdissimus, videri cygnus velit adfecto colore albo, nūm magis etiam tibi ridiculus esset? ità sanè: nū ergò si moribus ignobilis suam nobilitatem magno cum fastu iactitat, eum ego reuerebor? minimè verò; sicut nè pictam quidem imaginem, tametsi valde splendidam homini viuo prætulerim. Alij igitur pictura sint, & fucati nobiles; mihi probitas est genus; non est ales, quæ alis se sursum non leuat. vna nobilitas est, honestis, ac bonis esse moribus præditum.* Egregiè dictum. vide ergò quid sit nobilis, sed malus; turpis simiolus, ornatus spolio leonis, & Herculem præferens; niger coruus, albas cygni plumas: non ità qui sancti sunt simul, & nobiles, vt Thomas Aquinas; leo erat cum ferox in procacem muliereculam irruit; cygnus item candore eximio castimoniæ, quamobrem & moriens cecinit suauissimè exponens Canticum cantic.

Nobilis malè moratus simius indutus leonis spolio.

Nobilis malus coruus cygnū mentiens.

Ex Carmine de pugna spiritus, & carnis.

1 HEi mihi defatigatus sum, mi Christe: *O pugnam, & tempestatem ortam à compare meo, nimirùm corpore. ò diuturnam vitam & incolatum. ò lucta tā interna, quàm externa, à quibus imaginis diuina pulchritudo violatur. quandm, obsecro, quercus tantam ventorum vim experitur? & quæ nauis tantis est fluctibus agitata?* Addit peculiare quiddam de persecutione ab aduersarijs facta: *Lapidibus exceptus sum, vt alius quispiam floribus.* hoc vltimum ad Stephanum pertinet, cui lapides in floridam coronam cesserunt sui nominis. Vide autem quid sit fomes in nobis, lucta videlicet, tempestas, procella. quanta igitur felicitas Thomæ Aquinatis, qui præcinctus Angelico balteo hæc sopita habuit, sicut & Aloysius noster Gonzaga adolescēs. Tùm tentationes Satanicas sic execratur: *Venisti ad me, sceleratissime, venisti, sed deprehensus es. cum fumū cernerem, ignem adesse animaduertebam; halitus acer, ac vehemens, certum Draconis indicium.* Alludere videtur ad illud Iob de Leuiathan: *Halitus eius prunas ardere facit.* Est igitur tētatio fumus quidam obnubilans, & excæcans mentis oculos; suggestio autem Diaboli, quasi exsufflatio, quo fumus in ignem exardescit. Subiungit autem remedium: *Ego verò Crucem in sublime tollo, quæ vita mea custos est; quæ Mūdum vniuersum ceù vinculo quodam constringens offert Deo. hanc tu reueritus cede, nec rursùs apparueris; mera Dei gratia me suum adstitem purū vocat.* Vide, vt memoria passionis Christi, & sanguinis eius extinguat omnes concupiscētias, ac tentationes. vndè illud Petri: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* & rectè Crux vinculum Mundi dicitur, quasi enim aurea illa Homerica catena est: *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, scilicèt *in vinculis charitatis*. Vide etiam, vt in tentatione Gratia quasi clamore quodam, per inspirationem internam ad se vocet, à peccato reuocet.

Fomes lucta est, & tempestas.

Gregorius lapidatus lapides vt flores excepit.

Suggestio Diaboli halitus exsufflans in flammā est

Memoria Crucis Christi cōtra Mundi tentamēta.

Ex Carmine Dialogistico.

1 HOc poema dialogum continet inter vitam spiritalem, & mundanam, quæ de præstantia inuicem contendunt; litis arbitrum hospitem quendam constituunt. & mundana hæc quidem fic: *Ego cupedijs, & condimentis varijs vescor; vnguentorum odoribus fruor, cantilenis oblector, pedumq; saltatione, ac plausibus.* Tū spiritalis: *At nobis psalmorum cantus, qui animum cum rebus intellectilibus coniungit; quolibet autem vnguento Christus fragrantior est. tripudium autem est diuina quædam conuersatio.* Nota quantò iucundior sit vita spiritalis, quàm mundana. Subiungit illa: *Vos quidem infelicitèr felices: tametsi suppetat aurum, gemma, purpura, equitatus, currus, apparitores, & c. quæ omnia sunt fucata, pictaq; diuitis sepulchralis venustas. at egenus sit quispiam è nobis, stat firmus. & si maximè cadat, morbo delectatus; ceù leo quispiam inter rugitus moritur; & mortuus floridior erit ijs, qui diuitijs abundant.* Pulchrè iustum morientem leoni illo mortuo Samsonis comparat, in cuius ore apes mellificarunt; itàque verisimile est in loco floribus consito mortuum, vndè apes postea mel compararunt: tanta est suauitas iusti in morte. Addit: *Tu rebus aduersis frangeris, ego spe me sustento; aut si tibi nihil graue videtur, quo minùs sentias, voluptas impedit. mihi verò delicta vel exigua luctum afferunt, nàm peccatum est abalienatio à Deo. quomodò autem aequo animo ferre possim amissionem, iacturamq; Dei? tu alteram exercis,* lu-

Vita spiritalis quantū differens à mundana.

ludis, rides, commodè dormis: mihi maxima pars insomnis agitur; & si parumper somni capio, lacrymor, etiam ipsamet hora noctis spectra territant: iudicium, Iudex incorruptus, horribilis illa statio; fluuius ex vna parte igni æstuans inextincto, ex altera vermis in æternum rodens; media inter hæc conscientia accusatrix. Vide quàm cautè Gregorius vitaret quãtumuis exigua peccata, vtpotè quæ etiam Deo displiceãt; & quanto metu terreretur iudicij, & gehennæ: quæ ita infixa erant animo, vt etiam in somnis occurrerent; sicut de se Iob dicebat: *Terrebis me per somnia, &c.* Addit ad hæc: *Tibi prospera sint cunctis; ego Deũ veneror, etiam si contraria mihi offerat; nã ipsi cruciatus me cum Deo constringunt.* Tu in aduersis à Deo desciscis: *at ego Deũ meum mecum semper gesto, & cogitationes meas ad alterã vitã remitto.* Præclarè hoc dictũ, vt omnia ad æternitatẽ referamus.

Etiã leuia peccata vitanda.

Ex Carmine cõtra Maximum Phil. Cynicum.

1 PEr ludibrium eum insectatur, quod cum rudis sit, se literatum faciat: *Audes tu quoq; Maxime, aliquid scribere? hæc est impudentia; profectò canes alios superas. Nũm tu nobis repentè veluti Musis afflatus es, quemadmodùm de priscis quibusdam sapientibus fingunt? nũm te lauri ramus aliquis furiosum reddidit? an subitò vatum aquas haustisti? ò rem incredibilem: Saul sit prophetes, & Maximus librorum scriptor. Iàm nunc vel anicula scriptorium sibi calamum vsurpent. non satis erat tibi, si album illud, ac vile pallium, & canina, stultaq; vita ratio tenuem tibi panem suppeditaret, cum oratio tibi erat, vt asino lyra; nunc autem tanquàm Orpheus quispiã cuncta digitis commoues, musicisq; pulsibus Amphionis exemplo muros excitas?* Rectè audaciam, & impudentiam irridet, quod ignarus literarum subitò se ad scribendũ accinxerit, quasi Apollinis lauru gustata, vel Castalijs aquis epotis afflatus repentè esset. referri potest ad quosdam hæreticos, qui cum theologiam nunquàm addidicerint, de vera fide effutire audent, & SS. Doctorum doctrinam carpere. Subiũgit: *At verò quid scribis, & contra quem scribis, Canis? nempè ad eum, qui maximis à te est affectus miserijs. heù dementiam: leonem molli manu pungis.* Quod canem appellat, vtpotè de Cynicorum secta, hoc agunt hęretici, oblatrando contra Catholicos. sed opposuit eis Deus Dominicum, qui in materno vtero instar catuli facem gestantis est visus.

Hęreticorũ iactãtia de sua doctrina, est quasi canum latrans.

Ex Carmine in Inuidos.

1 SIbi obtrectantes arguit: *O iustitia, ò leges, ac tribunalia, tuq; Gladie fulgens aduersùs malos, audite: Cum omnibus morientibus etiam inuidia sepelitur; nàm cum ijs pugnare solemus, qui vicini sunt, non qui remoti. ego tamen paritèr, & mortuus sum, & inuidiam experior, qui omnis in vita generis certamina sustinui.* Vide quot afflictiones sint Sanctorum. Inuidia in viuos sæuit, non in mortuos: at Gregorius cum Mundo mortuus esset, adhùc vexabatur. Itàque subiungit: *O Christe, qui cordis mei latebras penetrasti, omniaque refers, & gubernas ad vitam alteram, tu mea sis felix portio, &c.* Rectè ait, tribulationes immitti à Deo in hac vita in ordine ad alteram vitam, vt purgati, & meritis onusti eò tendamus.

Inuidiæ malum.

Ex Carmine de Episcopatu.

1 MAlos Prælatos exagitat, eos feris omnibus dicit acriores: *Leonẽ vereri nolito. pardalis mite est animal. vnũ mihi quoddam modo euitato, malos scilicet Episcopos. pellem missam facito, lupum inspice.* Agendæ sunt Deo grates, quod nos in meliora tempora incidimus. Subiungit egregiè: *Omnium est eadem sublimitas, at non omnium gratia.*

Nihil peius Prçlato malo.

2 Ostendit, quæ ab improbis sit passus: *Quid improbum, quid vobis contrarium, vel verbis protuli, vel re designaui? vnum licet excipias, quod malis pepercerim, à quibus ingressu primo lapidatus, hoc ipsum constantèr toleraui. vides qualia pauperes offerant Deò? corpus hoc meum aheneum, curis maceratum, & tabefactum iàm elanguit, & aliud eius loco, quod dem, nullũ habeo.* Mira planè tolerantia, sanctum Episcopum appeti lapidibus, & ob ingentes curas penè tabescere.

3 Dolet, quod rudes, & imperiti in Episcopi munus obreperent: *Verùm ego de præstantissimis primum eligo, vel saltẽ non postremum. præsertim hoc tempore, & in hac tẽpestate, & procella.* Tùm respondet obiecto dicentium, quod Apostoli rudes erant piscatores, & illiterati, & tamẽ etiam doctissimos reti fidei ceperint. respondet acutè: *Exhibe tu mihi fidem alicuius ex Apostolis; ostende quemquam, qui seminudus sit, qui in dies viuat, sola spe opulentus: si vnus ex horum numero sis, etiã in Angelorum cœtum aggregaberis. nũm tu, vt Apostoli à malis Genijs obsessos repurgasti? nũm mortuos de sepulchro eductos in vitam reuocasti? &c.* Rectè arguit, nàm in

Doctrina requiritur in Episcopo, non tamen eloquentiæ ornatus.

in Apostolis Spiritus sanctus supplebat humanā doctrinam, donis supernaturalibus, cælestis sapientiæ, miraculorum, &c.

4 Vrget etiam aduersarios, dicentes, quod Ecclesia non curat de doctrina, & literarum cognitione: *Qui fit, vt tu rudes, & imperitos doctrina voces? quorum tot extant libri, atq; scripta; de quibus vel exiguum quoddam, quod abditum sit, nos quoq; vix intelligere magno labore possumus. caeteroquin doctrinis à prima ætate innutriti; quos quidem in libros nos tantum commentamur, & scribimus, vt lucubrationibus omnia plena sint, &c.* Vide humilitatem tanti Doctoris, qui Theologi nomen est assecutus, & tamen solùm se aliorum cōmentatorem dicit. Porrò hoc maximè tempore quis non admiretur tantam scriptorum vel multitudinem, vel doctrinā? vt illud prophetæ vsurpare possis: *Repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris operientes.* Subiungit: *Fortasſè dices, in Apostolis id factum auxilio, nutuq; sancti Spiritus: rectè dicis; at mihi deinceps hoc cōsidera, nùm tu sancti Spiritus non es particeps? atqui maximè hoc ipso te effers; cur igitur illis doctrinā inuides, q eā inquirūt?*

In Ecclesia multi viri sapientes.

5 Cum aduersarios conuicisset, nec respondere auderent, ait: *Agnosco quidē spiritum mutum; ac etiam solus eorum linguā ò Dei sermo.* Nempè cum opus est, non est continendus Dei sermo; excusabant se illi, dicentes, se nosse quidem diuina intrinsecus, sed eloquendi arte carere, ideò non loqui. Respondet, hanc artem non esse necessariā, modò veritas sincerè exprimatur; Episcopum autem decet sermone proferre, quæ mente concepit: *Etenim quæ vtilitas est fontis obstructi? qui radij Solares, si tegantur à nubecula? scilicet quiddam est; si mens sit silentio tecta, quale rosa, cuius venustatem folliculus non admodum elegans occultat; profert autem tuclidissimam aspectu pulchritudinem suam, cum aura spirante adaperta oculis exponitur; quod si venustas eius semper tecta maneret, nulla veris amœni esset gratia.* Pulchrè comparat Episcopi concionātis sermonem limpido fonti, qui foras emittat aquas ad sitim sedandam; item radijs Solis, cum ex opacitate nubis liberi, Orbem illustrant; item rosæ, cum è folliculis educta pulchrè se prodit, ac fragrātiam profert. negat tamen ad hoc necessariam esse artificiosam oratorum eloquentiam, aut sophismata philosophorum: *Nihil argutum, & eloquens requirimus; potiùs id concedemus alijs eius artis studiosis; valeat Chrysippus, valeat Stagirites; noli Pharonis facundiam affectare; saltem mihi in doctrina simplicium versare; magnoperè mihi acceptus es, etiam si rudi, & simplici genere sermonis vtaris: doce nos, vt vales, modò doceas, quæ mea sit Trinitas, quæ Incarnatio, quæ natura sit Angelorum, quæ iustæ prouidentiæ ratio, quæ sit futura vita, &c. sin es omninò cæcus, cur alios quasi manu ducis?* Nota, vt scientia rerum diuinarum, saltem in rebus præcipuis, nota sit oporteat Episcopo, eamq; subditis communicare debeat sermone, etiā si is minus ornatus sit. hinc illud Prophetæ: *Quia tu repulisti scientiam, repellam te, nè Sacerdotio fungaris mihi.* Osee 4.

Doctrina nisi verbis exprimatur ad bonum commune, est vt rosa intra folliculū tecta, vel fons obstructus.

6 Hactenus de doctrina Prælati dixit, nunc etiam de moribus arguit: *Sunt infeliciores quidam, misera, & abominanda vitæ ludibria, quod ad finem attinet, vtramq; in partem parati, colentes temporum, non Dei leges: Euripi doctrinæ, hinc indè fluctuantes; ramorum flexus, adulatores, dulcia mulierum venena. paruis leones sunt, potentioribus canes.* hoc est contemnunt genere minimè conspicuos, adulātur magnatibus. Vide quantum malum sit principibus adulari, nàm cum se personis accommodant, necesse est, vt nunc hoc, nūc illud sentiant, atq; agant. pulchrè ait: *Euripi doctrina,* reciprocantes scilicèt ex inconstantia in ijs, quæ docent. Subiungit: *Quàm indignos Antistites habemus? scenæ cuiuslibet præstantioris instar ludi: nunc laruas, deinceps ipsas facies intuebimur.* nempè in scæna personam aliquis induit regiam, qui extrà mox vilis, qualis est, apparet. Addit: *Pudet me dicere, quo pacto res nostræ comparatæ sint, sed canam tares nostra comparata sint, sed canam tamen; cum constituti simus virtutis Doctores, omnium malorum officina sumus, tacitè clamamus: Mali euadite: hoc maximè compendiarium est, & optimum,* quasi dicat, cum ij in Episcopos eligātur, qui sunt mali, ergò, dicet aliquis, expedit esse malum.

Mutatio sententiæ ad placitū Principum taxatur.

Prælatus hypocrita, veluti scænicus histrio.

7 Dolet, quod nullus sit delectus in Episcopis creandis: *Aiunt, aquilam singulari quadam industria pullorum suorum oua ad Solis radios explorare, vt fœtum germinum, an spurium agnoscant; nos non eos Antistites facimus, qui priùs de doctrina, & moribus fuerint examinati.* Rectè ab aquila similitudinem capit, ob status huius præstantiam. Sed hæc querela hoc tempore locum nō habet, cum à summis Pontificibus cautum sit, vt seriò examen anteà subeant. Pergit: *Qui fit, vt magno quidem pretio gemma difficultèr conquiri possint, & non cuiusuis terræ loci sit aromata ferre, Antistes verò facilè momento reperiatur?* Satis idonea similitudo, nàm nō tàm gemmis ornata tiara facit Episcopū, quàm gemmati, & pretiosi mores; nec tā compositio illa odorum, quæ olim summum Pontificem Aaron afflabat, quàm odoramēta virtutum necessaria sunt. hinc Ecclesia orans pro eo eligendo, illis verbis vtitur, vt talem concedat, qui plebē

Delectus Episcopi, vt in aquilæ pullis.

Cōquisitio boni Episcopi vt gemmatū, vel aromatum.

Ss i-

ſpiritalium aromatum odore perfundat.

8 Eum eſſe dicit deligendum in Epiſcopum, qui anteà benè probatus fuerit, non autem qui nihil anteà præſliterit, ac nouitius ad dignitatem accedat: *O ſubitã morum mutationem: res diuinæ modò ſunt iactus alearum, cuborumq; ſi larua comica ſubitò imponatur homini vitiſſimo, ſtatim ille nobis prodit recens factus homo religioſus: heri in medio ſpectaculorum verſabaris, nũc te nobis ſpectaculum exhibes nouũ, & tantùm verecundiam vultu prætefers; niſi fortè clàm ad mores priſtinos recurras, tanquàm ramus incuruus, quem cum manus ſe dirigentis effugerit, ad priſtinam formam redit. heri gladio nudato pro tribunali ſedebas, hodie nobis miſtis es: nè veſtimentum quidem tàm facilè mutare quis queat, vt tu mores mutas: heri Simon Magus, hodie Simon Petrus. pro vulpecula leo prodyſti.* Simoniam taxat de venali Epiſcopatu, ſicut ille per pecuniam Apoſtolorum gratiam affectabat.

Subita mutatio morum non ſufficit ad Epiſcopi munus capiendum.

9 Reſpondet obiecto, quod mutatio facta ſit, vel per baptiſmum, vel per conſecrationem Epiſcopalem. At non ideò, inquit, ſtatim, & omninò optimus euadit: *Nũc aliud remedium extrà lacrymas nullum planè ſcio, quibus quidem lacrymis vix obducta vulnera conſaneſcunt; nàm cicatrices quidem, de mea ſententia, nihilominùs remanent, peſſimorum vulnerum, quibus affecti eramus, accuſatrices.* Vide quantum malum ſit peccatum, quod etiam ſi abſterſeris, & ſanaueris per ſacramentum pœnitentię, & lacrymas, adhùc remanet, quaſi cicatrix, inclinatio ad malum, quæ nonniſi per magnum, & longum exercitium, & habitum virtutum tollenda eſt; quod ſic etiam vrget: *Quomodò ſimul & diſcipulus es, & magiſter? pugil nullus eſt, qui non anteà manum aduerſaryjs obiecerit, nec ſtandi rationem commodam deſpexerit; non ſtadij curſor vllus, qui ante pedes ſuos non exercuerit. quem vnquàm pictorem extitiſſe ſummum accepimus, qui non varias colorum formas priùs miſcuerit? aut medicum, qui morbos abegit priùs, quàm inſpexerit?* Rectè à re athletica ſimilitudo ſumitur: nàm quomodò aliptes ſit, id eſt vnctor, aut palęſtræ magiſter, aut athleta, & pugil, qui de hac arte nihil antea nouit? talis eſt Epiſcopus, qui ſpectaculũ alijs anteà prębere debet ſuarũ viriũ, hoc eſt virtutum. item vt pictor peritiſſimus eſſe debet, & medicus animarum.

Diuturna probatio requiritur in Epiſcopo initiando.

10 Arguit eos, qui Epiſcopatũ ambiũt malis moribus infecti, cum videant tot Dei ſeruos virtutibus inſignes carere illo munere licet dignores; ipſi autẽ illis præire audeant: *Quo pacto ſit, vt tu conſpiciſti adſtitem aliquem iacentem in inferiore gradu, nihilominùs ceruicem attollis, & filiorum poteſtatem expetas? cur non trepidas, & ad ipſos thronos exhorreſcis, metuẽs nè boues agas te bubulco præſtantiores? alius eorum humi cubans, & eroſus à puluere carnem tabefecit vigilijs, pſalmorum concentibus, inſtitutione, noctem, diemque durante; denique mentis extrà molem corporis, ad ea, quæ ſurſum ſunt, peregrinationibus; idem lacrymarum fontibus maculas ſuas abſterſit, ſi quam vel exiguam habebat, quemadmodùm huius vitæ puluere reſpergitur quiuis etiam ſapiens. præterea notis in carne pulcherrimis obſignatus eſt, quæ per preces, multoſque labores in ipſo exiſtunt. per frigus, per famem, per laceras veſtes, ſolum immortalem veſtem conſequi cupit; etiam per ciborum inopiam, ſcit enim vnum eſſe cibum ſimplicem Angelorum Deum.* Egregiè verum religioſum depingit, cuius tota vita eſt mortificatio, notas illas in carne intellige, callum in genibus, & per laminas ferreas, & per flagella cõtractas, vndè vibices, & vlcera. Tùm pergit circa cęteras virtutes: *Alius vitatis vrbibus, & populorum applauſibus pulchritudinem mentis ſuæ Deo applicuit, ſolus cum ſolo res diuinas tractans. alius corpus ſuum concluſit, atq; conſtrinxit vinculis ferreis, ornamento clandeſtino, nè ſolutus, ac liber inſolentèr ſe gereret, conſtringens nimirùm ſenſus in ſeipſo, qui à natura ſunt errones, ac vagabundi.* Huc refer illud cruciatus genus, quod inflixit ſibi cũ vitæ periculo Xauerius noſter, arctiſſimis vinculis crura conſtringens, quod aliquãdo iuueniliter ſaltatione delectatus eſſet. Subiungit: *Talia ſunt horum ornamenta; nunc mihi tua commemorato: nimirùm ea ſunt opipara menſa, &c. Interim continentia præditus aliquis ſtat omnis honoris expers, vultu demiſſo, Deũ ſolum intuens, diſcipuli locum boni conſulens.* Rectè præpoſte: è factum arguit, vt viri tot virtutibus inſignes humiliter iaceãt, & latitent; contra verò mundanis rebus addicti Eccleſiaſticas dignitates affectent.

Religioſę diſciplinę pulchra deſcriptio.

11 In Antiſtite ſimulatos mores arguit: *Tùm verò cernimus deincepſ ex aurò veſtitũ, vel colorum in chamaleonte mutationẽ: barbam, mores triſtes, ceruicis inflexionem, vocem pertenuem, inceſſum lentum, rebus in omnibus ſapientia præditum, excepta mente; cernimus venerandum ephod, & Samuelis diploidem, &c. ſcilicet duplicem ſemitem faciens, veſtem duplici de materia contextã facit; non copulanda ſub iugũ vnũ iuncta diuerſa: lege, ſi neſcis, interdictum hoc erat, vt quæ morum diuerſorum connexionem haud ferrent. alia graculorum, & alia aquilarum ſublimitas eſt. turpis eſt magnorum imitatio tantùm in rebus admodùm paruis; parum hoc decet, & ineptum eſt.* Egregiè dictum contra hypocritas, qui

Hypocriſis in Prælato mundano taxatur.

qui improbi sunt in rebus magni momēti intrinsecus, & bonitatem extrinsecus simulant in minoribus, vt in habitu, &c. & pulchrè comparat cum Magis Pharaonis, qui aliqua prodigia Mosis, & Aaron effingebant, alia non item: *Noli mihi solam virgam in serpentem conuertere; desidero abs te, vt per omnia magnus sis ille Aaron.* Rectè requirit congruentiam, & tenorem eundem in benè agendo, quod non agit hypocrita.

12 Idem sic lepidè ostendit: *Nùm obsecro, iucundo quodam figmento in re seria ludere licet? licet verò etiam risus in lacrymis. Felem in tabula nuptiali fabula collocat, tanquàm sponsam, cultu sponsalitio exornatam; ea verò cum murem in medio procurrentem vidisset, in eum irruit, ac cœnam minimè nuptialem famosit: tales sunt omnes Doctores spurij, & adulterini; nàm quod à natura nobis inhæret, non facilè mutatur.* Rectè sponsæ similitudine vtitur, nàm Episcopus est quasi sponsus propriæ Ecclesiæ. Idem Gregorius Nyssenus ostēdit in simio pulchrè exornato quasi aulico, sed obiecta nuce, ad eā statim accurrit indecēter: adeò quod fucatū est nō durat.

Prælatus hypocrita vt Felis sponsæ ornatu amicta.

13 Ostendit, quanta sit vis in exemplo bono, vel malo: *Nemo est, qui sibi soli viuit, neq; bonus, neq; malus; sed quemadmodùm hic aer eius, quod forte attraxit, vel fragrantiam, vel fœtorem acquirit: sic nos etiam quàm celerrimè tales euadimus, quales sunt proximi nostri; ac boni quidem rariùs, mali verò vt plurimum; quippè procliuiores ad imitationem mali sumus.* Rectè admonet; & nota, sicut aer in cor attrahitur, sic exemplum. Addit, si Prælatus improbus est: *Nimirùm hoc est, quod dicitur, rhamnum imperio lignorum potiri.* ex libro Iudicum est hic apologus, vbi cum cæteræ arbores regnandi curam detrectassent, rhamnus spinosus frutex accepit: qualis est Prælatus malus, pungens, & vexans subditos, & infructuosus. Subiungit de bono Prælato: *Sic optimè populus Israeliticus, præcedente columna ignis iter fecit ad terram exoptatā, quò contendimus.* Nota qualis sit verus Antistes, nempè Angelicū munus illud fuit ductricis nubis.

Malū exēplum faciliùs arripitur, quam bonum.

14 Pergit in hypocrisi detestanda: *Nō sit quispiam vel Proteus ille furtim varias in formas se conuertens, vel Melampus, vel quis alius instabilis, in quauis figura se facilè conformās.* De Proteo notum est. Melampus infans expositus, toto corpore tectus, præter pedes, qui à Sole exusti nigri erant, reliquo corpore albo, sicut hypocrita simulatione versicolor, ac versipellis, & varius.

Hypocrita Proteo similis, ac Melampo

15 Addit item pulchrè, quàm vitanda sit omnis affectatio, & fucus: *Nùm præstantissimus tibi pictor videtur esse, non qui res cunctas simplicibus exprimit coloribus, vt Zeuxis, vel Polycletus, vel Euphranor, sed qui floridis, & apricis coloribus, informia quædam corpora; quorum erant in numero, mea quidem sententia, Callimachus, & Chalais, vix imagines imaginum pingentes. talis est omnis homo versutus.* Huc ego refero illud: *Cor suum posuit in similitudinem picturæ.* Nempè cor quasi tabula est, vbi illa imago virtutum optimè depingitur, quæ ad viuum simplicibus coloribus, non quæ affectatis, ac fucatis. hoc item spectat illud apud Clementem Alexandrinum, quod cuidam imperito pictori exprobatum est in Venere depingenda: Cum nescires, inquit, facere pulchram, fecisti auream. sic hypocritæ cum simplices virtutum colores adhibere nesciāt, pallore, quod auri proprium est, decolorem sibi vultum effingunt.

Astutus est malus pictor.

Eccl. 38

Affectatio fugienda, vt fucus in pictura.

16 Amplissimis verbis ostendit, quantum munus sit Episcopatus, & Sacerdotium: *Meo iudicio vnum est maximum Sacerdotis, & quidem solius opus, nimirùm animas vita, doctrinaq; purgare; diuinis homines moribus sursum ferendo; atq; sedatus sit, & sursum erectam mentem habeat, & Solis in se diuinos radios absq; maculis habeat expressos tanquàm speculum intus conformatum; ac sanctas prosuis oblationes mittat Deo; cætera missa faciat, & relinquat alijs.* Pulchrè ait, Sacerdotē, seù Prælatum, tanquàm speculum limpidum esse debere, in quo non aliarum rerum terrenarum imagines appareant, sed diuini Solis, eiusq; radios excipiat, hoc est illustrationes supernas. Tùm vide quibus de rebus loqui debeat; non humanis, sed de ijs tantùm, quæ auditores à terrenis ad cœlestia attollat.

Episcopi præclarum munus quale sit

Episcopus speculum tersum referens diuini Solis radios.

17 Ait, se omnis ambitionis expertem Deo soli vacare velle. sic autem ambitiosos compellat: *Vos, & solia retinete vobis, & Patriarchatus inter vos diuidite; magnus hic Mundus vobis cedat, valete. Ego me ad Deum conuertam, cui viuo, & spiro, ad quem solum respicio; cui me mater mea promisit, ac deuouit priusquam in lucem ederet; hæc nunc vobis dicta sint, cætera in altera vita dicentur; vnum tamen quodam, si videtur, à nobis accipite, velut in discessu à nobis prolatum, breue quidem illud, sed vtile, velut paternas voces, & ad maiorem memoriam dignas extremum excipiētes, secundū quas abiens ampliùs nihil auditur, quo ipso fit, vt eò firmius in vna hæreant mente: pacem semper diligite, &c.* Rectè in hoc Christum imitatur dicentē: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* debet verò in omniū ore versari præclara illa vox, qua Mundū hunc mundanis relinquens, dicit: *Ego me ad Deū meū conuertā, cui viuo, et spiro, ad quē solū respicio.*

Gregorius discedens pacis monitum dat Deo soli vacaturus

18 Est

18 Est & hæc parænesis multum habês ponderis: *Vos, qui thronos ornatos consequimini, & ob fluxas eminentias elati estis, Iustitiam illam extremam, & ineuitabilē intuemini, omninò nihil vnquàm esse, quod illam effugere possit, considerantes.* Licet hæc ad Episcopos dicat, tamen quia de eminentia loquitur, multò magis ad Cardinales pertinet, quia hoc titulo insignes sunt: meminerint, quod non dubito, quin pro ipsorum virtute faciāt, quodlibet genus honoris in terris, & ipsas *eminentias fluxas*, esse labiles, ac transitorias; ac prętereà quantumuis eminenti Deum Iudicem imminere.

Dignitas vel eminēs fluxa est

Ex Carmine de Ira.

1 MVlta elegantèr de Ira affert, in primis hæc: *Ira velut ignem, sæuam flammam euomentem, succussionibus frequentibus flagrantem, subiectaq; depascentem sopire debemus, & aquam, & puluerem inycere.* A camino, qui per fuliginē ignem concepit, videtur ducta metaphora. & certè cogitatio de nostra conditione mortali, quasi puluis iniectus magnam vim habet ad extinguendam iræ flammā. Videtur etiam similitudo sumpta ab incendiarijs montibus, non sine magna succussione telluris omnia vastantibus. & quidem igniuomus Chimęræ mons cum flammarum globos euomit, omnia latè depascens, miro modo dicitur extingui, iniecto videlicet fœno. cogita ergò illud: *Omnis caro fœnum.* aut certè mansuetudinem, & abiectionem tibi propone Dei filij iacentis in fœno Bethleem. Addit aliam metaphoram: *Vel quasi belluam quandam, quæ de vmbroso lustro prodiens fremit; igneos oculos ostendit, spumat, expetit pugnam, cædes, debellemus hastis, venabulis, fundis.* Pulchra similitudo à venatione. vide quàm validè, quot cum telorū generibus configenda sit hæc bellua, Ira, inquam: aprum dicas Erymanthium, vel Nemeçū leonē, & similia mōstra; Herculе aliquo opus est laborioso, qui domet.

Sic ignis extinguitur puluere nostri memoria iniecti.

Ira bellua monstrosa, ignē spirās quasi venatione configēda.

2 Iræ quomodò occurrendum sit, docet: *Ira si quando fumum edit, prius quàm excitetur flamma, Deum amplectere; & cogitatione prehende, cum pudore, ac metu.* Pulchrè initium iræ per fumum explicat. non est morandum, nec expectandum, vt flammam concipiat; sed statim ad Deum accurrendum, qui cum perennis misericordiæ fons sit, iram nascentem obruat; & rectè ait, *cum pudore, & metu.* nempè tùm vt erubescas coràm clementissimo Domino irasci; tùm vt metuas, nè & de te meritas pœnas ille sumat, dùm tu vlcisci paras iniuriam in alio.

Ira adhuc fumigans nondum accensa precibus reprimenda

3 Alia metaphora describit iratum: *Ira, vt equus effrænatus, nihil spirat aliud, quàm cursum, saltus, ac valles; ac seipsum inflammare non desinit, donec vectorem suum, idest rationem præcipitem agat.* Pulchrè rationem facit aurigam, vel sessorē. magna peritia opus est in regēndo equo tàm refractario, & calcitroso. sæpè, vt bucephalus ille Alexandri, sola vmbra hoc est suspicione efferatur, & frænū excutit.

Iratus equus effrænus domandus.

4 Elegans est, & pulchra irati hominis hypotyposis: *Speculum excandescentibus exhibere oportet. sanguine suffusi oculi, planiq; distorti crines, vt apri setæ, erecti. genæ pallidæ mortis quasi viuum simulacrū; quorūdam tamen rubicundæ, vel plumbeæ, prout aliquem furiosus hic pictor, & scelestus, nempè Ira, depinxerit, & colore infecerit. ceruix turgens, venæ rotundæ, spiritus attractio crebra, rabiosus anhelitus penitùs indecisus; nares pandæ, ac penitùs iracundiam spirantes. subsultationes pedum, sudores, labores, buccæ inflatæ, ac sonantes instar salis.* Non potuit magis graphicè describi forma deformis irati. ac rectè speculum proponendum id dicit, vt videat quàm monstrosum Ira effinxerit. tanquàm pictorem dicit Furorem, qui varijs illis coloribus, sanguineo, pallido, plumbeo vtatur, vt horribili specie depingat iratum. est igitur Ira *furiosus pictor, & scelestus*: furiosus, dùm quasi vna ex Furijs depingit; scelestus, dùm imaginem Dei, & vultum innatum dehonestat. nota singula, & præsertim, quod ait, *buccæ inflatæ*: nàm Minerua dicitur, cum in aqua veluti speculo buccas suas inflatas, tibicinam agēs, vidisset, statim tibias abiecisse. quid si addas plūbeas genas, turgentē ceruicē, &c.?

Irati elegās descriptio graphica.

Ira vt furiosus pictor valdè delineans deformem

Speculum proponendum irato, vt videat deformes affectus.

5 Pergit in iracundiæ detestatione: *Quid sequentia commemorem? iniuriam, periurium, &c. partim maledicta quadam profert, partim proferre nititur. omnia tumultu perturbare conatur. optat fulmina, fulgur emittit. Cœlum ipsum permanere in suo statu ægri fert; mala nonnulla iàm opere agit, alijs mentem satiat, &c.* Egregiè mores describit irati contumeliosos, & omnia permiscentes cum inexplebili auiditate vindictæ. Addit: *Tàm cæcus hic feruor est, vt si orator sit, amittat subitò vocem; si Milo, fiat languidus; si Tyrannus, bubulco similis, &c.* Nempè quasi lupi aspectum denotat illa vocis amissio; sed mirum quod, dùm vires omnes ira exerit, vires amittit. & dùm potentiam vult exercere tyrannicam, impotens, & imbellis fit bubulcus, suas passiones quasi irrationale pecus subsequens.

Ira in omne contumeliarum genus effusa.

6 Iræ impotentiam elegantèr ostendit: *Nihil non arripit ira loco armorum, etiam si non adsint. Simia est, & fit Typhaeus, collem quærit, Aetneamuè rupem,*

ve-

velut eodem momento telum cum sepulchro in hostem manu violenta vibraturus. cum funda verborum exhausta sunt, manibus pugnat. Vide vt Iratum cum aliquo ex monstrosis gigantibus comparet, quibus pro telis erant prærupti montes, ac rupes immanes. licet enim Ira vilis sit, vt simia, vellet tamen arripere manu ingentia fragmina telluris, vt simul & occideret aduersarium, & sepeliret. acutè dictum; nam si lapis aliquis obuius, licet durus iaceretur, ad necem tantùm deseruiret, nô ad tumulandum etiam. Quod autem Ætnæ incendiariæ, & omnia deuastanti simillimum facit iratum, adderem & Vesuuio, cuius & infinitus cinis, & horribilis fragor nostra ætate, vt aliàs, totam penè Italiam exterruit, vt habes in libro, quem edidi: pulchrè etiam iratum fundabulario similem facit. iacti lapides contumeliæ sunt impetu iræ rotati. sed post contumeliosa verba, etiam manus exercet ad verbera, & si potest ad cædem.

Iræ impotentia, & impetus insanus, ac tyrannicus.

7 Irasci, & vlcisci, contra quàm mundani putant, potiùs ad dedecus refert; sicut contrà ferre iniurias ad decus: *Vis asseritur, superior euadit iste, qui superatur: nàm in malis rebus vincere, est inferiorem discedere*. præclarè dictum. Addit, quod in irati ipsius damnum recidit; *Dei peculiaris est mansuetudo; eius igitur imaginem violare, malum*. Vide, cur Deus nos ad imaginem, & similitudinem suam crearit; vt ipsum per mansuetudinem imitaremur. violat ira imaginem Dei, quia facit, vt Deum non referat, sed diabolum potiùs, quem Iram appellari ostendunt verba psalmi, quæ infrà citabit.

In ira vincere est cadere.

Imago Dei in nobis edita, vt ipsum referamus, qui Charitas est.

8 Iram non solùm alteri, & irato ipsi iniuriam facere dicit, sed Deo: *Iracundia priùs Dei fores obstruit. in ipsum Deum insurgit iniurijs. omnia rapiuntur vno impetu, ac torrente*. huc refer illud psalmi; *Posuerunt in Cœlum os suum, & lingua eorū transiuit in terra*. Nemini parcit iratus, nec in terris homini, cui est infensus; nec Deo, qui ipsum tolerat, & viuere finit. Quod ait: *Ira Dei fores obstruit*, tanquam serā, siuè vectes Dei foribus opponit, quas ille semper ad misericordiā vult apertas.

Ira Dei fores obstruit.

9 Dauidem pro exemplo mansuetudinis proponit: *Dauidem tibi in memoriam reuocato, & pulsationes illius cithara, quibus Saulem à malo spiritu liberauit: cum tamen deinceps ingratum expertus eum fugeret, & cursaret huc illuc de vita sollicitùs, traditum sibi in manus non occidit, sed seruauit: vestis diplois accisa, & galeæ lenticula clàm ablata, inditium erat, quod in potestate Dauidis fuisset*. Vides ingratum, & inuidum similē dæmoniaco fieri: opus igitur cithara est, hoc est, orandum potiùs pro inimico est. nec dubium, quin ea cithara Dauid aliquid ad mitigandum aptū accineret, Deum inuocando. fuit autem mira illa pietas in Saulem, vt non modò non necaret, cum posset, sed & ipsius seruos reprehenderet, quod regem excubādo non custodirent; & pro scissa tantùm regia veste: *Percussit cor suum Dauid*. non Saulem, sed cor suum percussit, quasi cor pro aduersario haberet, à quo suggestum sibi sit, vt partē regiæ chlamydis abscinderet. Tùm elegantèr de eiusdem pietate in Absalonem, parricidio se inquinare conantem: *Parricidam, & tyrannum filium quomodò tulit? nimirùm ante crimina stabat ipsa Natura, quæ procreationem sibi adiungebat, vt eius patrocinio vteretur*. Pulchrè describit quasi Absalonem reum ad Tribunal iustitiæ constitutum, & iàm capite damnandum. sed Natura paternitatē quasi patronam protulit, quæ ipsum defenderet; perorauit, & vicit. hinc illæ voces: *Seruate mihi puerum Absalon. & Absalon fili mi*. scilicet *de parricida, & tyranno* sic piè loquitur. Mirus igitur iræ domitor Dauid iure laudatur.

Dauid mitis, iræ domitor.

10 Accedit ad exemplum noui testamenti: *Petrum sapientissimum admirari soleo, qui tàm patientèr præclaram Pauli libertatem tulerit, præsertim in vrbe tanta, tot inter approbatores, ac discipulos doctrina; quod non rectè cum gentilibus victitaret, tametsi videretur id quodammodò doctrina profuturum*. Meritò exaggerat Petri mansuetudinem, quem sapientissimum dicit. nimirùm cum Christo versatus, & eius diuinitatis præco eximius fuerat, præter sapientiam in aduentu sancti Spiritus infusam, tamen Paulum iuniorem in fide, cum ab ipso redargueretur, tàm pacatè tulit. nec erubuit publicè coràm suis discipulis redargui, quod certè incredibilis tolerantiæ fuit. adde cum posset excusare, cur ità ageret circà circumcisionem, ob finem videlicet bonum. quis nostrùm post hæc ægrè feret se redargui? contra egit Saul, qui cum transgressus esset Dei mandatum, veritus reprehensionem publicam Samuelis, ait: *Honora me coràm senioribus*.

Petri mira mansuetudo reprehensi à Paulo iuniore.

11 De Stephano sic: *Quid Stephanus inter lapidestan non manifestè Dei formam referebat? qui cum Deus esset, ac fulminum Dominus, tanquàm agnus mutus ductus est ad necem; cuius benignitatem in aure læsa expertus est Malchus, &c*. Supra dixerat iratum velle, vt aduersarius statim fulmine consumeretur. at Christus, qui fulmina conflat, loco fulminum preces ad Patrem pro suis inimicis in Cruce obtulit; ac præterea cum non reciperetur hospitio, Ioānem filium tonitrui increpuit, fulmina de Cœlo euocare cupientem. quid quod in ipso passionis initio, cum suis auribus exci-

Stephanus Christi mansuetudinem imitatus qui pro fulminibus preces ad Patrem obtulit pro inimicis.

 cipe-

cipiebat opprobria in se collata, sui lictoris sanauit aurem? porrò eadem penè veniæ verba protulit Stephanus inter lapides, quę ille inter latrones, qui ambo, certè initio, maledicta in ipsum tanquàm lapides inijciebant: adeò adstare ipsi visus è Cœlo, & patronus, & doctor.

12 Affert exempla etiam exterorum in ira cohibenda: *Aristoteles nactus malum seruum, quia erat iratus, substitit. turpe, inquit, est, si nunc, cum malus sum, malū ceciderо; seruum corrigēs ipse affectui subiacens.* Acutè, & verè Aristotelicè, iratus, & malus tunc est, quia vitio laborat; & seruus, quia iracundiæ subiectus. cur igitur, dùm quis & malus, & seruus est, corrigere audeat malum seruum? Addit de Alexandro, cui ambigenti, virùm quandam Græciæ vrbem deleret, nec nè, cum diceret vnus ex Ducibus Parmenio: *Non parcerem, si essem Alexander.* respondit ille: *Nec ego, si essem Parmenio.* Vide igitur vt generosi, & regij animi parcere, & cōtra pusillanimi sit vlcisci. discant hoc mūdani, qui contra sentiunt, à mundanis ipsis principibus. quò spectat alterum, quod subiungit exemplum: *Pericles vir magni meriti probris, & contumelijs exagitatus à quodam, haud secus, ac si fuisset honore affectus, tandem defatigatum ad vesperam eum cū facula deduci iussit.* vbi nota, illum non modò non exarsisse iracundiæ flamma, sed flammam adhibuisse ad vsum honoris aduersario. prætereà, inquit, cum alius quidam iratus diceret philosopho cuidam: *Dispeream, nisi te occidero;* respondit ille: *Dispeream, nisi te amicum reddidero.* Præclara vox, & à Christiano viro multò magis in opprobrijs vsurpanda. Diogenem etiam ait meretricijs scortis insultasse, vt disceret pati. Affert deindè ex nostris egregium Constantini Imperatoris dictum contra iratos: apis enim exemplum proferebat, quæ dùm ferit iniecto aculeo, ipsa perit, aculeum videlicet vnà cum visceribus relinquens: id Iudæis accidit circa Christum: *Circumdederunt me sicut apes.* vt ait per psalmistam.

13 De animi affectibus egregiè sic cōstituit: *Affectiones dona sunt Dei, cum à ratione duce mouentur. iracundia moderatè spirans, Dei est armatura: citra cupiditatē Deum amare non possumus. ratio magistra est rerum honestarum.* Rectè affectiones dona Dei dicit. nàm sine ea parte, quę irascibilis dicitur, non possemus irasci contra vitia, nec zelum habere diuini cultus contra hæreticos, & idololatras; & sine ea parte, qua concupiscimus, non possemus cœlestia desiderare, nec Deum ipsū amare. arma igitur sunt. at potest insanus, vel infans gladio sibi ipsi nocere, quo alter pugnando palmam adipisci.

Exempla Gentilium de ira frænanda.

Irasci pusillanimis est.

Apis feriēs aculeo vnà cum visceribus perit.

Affectiones iræ, & amoris Dei armatura sunt, si benè vtamur.

14 Quinque iræ remedia egregiè ponit: *Primum est rectà ad Deum currere, vtq; mali huius grandinem aboleat, orare simul vt & nobis parcat, nō lædētibus.* Vide quid sit ira: plaga quædam est, & tempestas grandinis, vt illa Aegypti, quæ omnia vastat. ità cogitationes illæ irati cum impetu sæuiunt: ad orationem igitur, & ad Deum currendum statim est, vt plagam hanc auertat, & nobis parcentibus parcat: *Secundò Cruce insignitus, quam omnia metuunt, ac tremūnt, ad luctam te arma.* nempè passionis, & opprobrij Christi memoria omnem iram extinguit; si cogitemus, quot ille pro nobis opprobria, pœnasquè pertulerit. hinc illud Petri: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.* Addit: *Tertiò cogita quid merearis, qui sis, vmbra, cinis.* & hoc præsens remedium: si enim cum aliquid ab alio pateris, cogites, te debuisse iàm æterno igne cruciari per dæmones crudelissimos ministros, ac lictores, pro nihilo reputabis, quod per hominem suffers: item cum ira tumescis, & vt supra dixit, gigantēa audacia insurgere in aduersarium statuis, cogita, mox vilem, & leuem puluerē te futurum, ac velut æstuanti mari dictum puta: *Hic franges tumentes fluctus tuos.* Iob. 38.
His addit: *Quartum remedium. cogita gloriolam, opes, & similia nugas esse pueriles, turpe solùm esse improbitatem.* nempè irasceris, quod de tua æstimatione minuitur, nisi vlciscaris. at hæc inanis gloriola est, & mox instar fumi euanescet. & nota nugas pueriles putat, quæ mundani tanti faciūt, vt propterea oriantur vel duella, vel bella, cædesq; stragesq; fiant; & idcircò subiungit: *Cogita plerosq; in iudicando errore duci, ac fortasiè te indè delicias capere debere, vbi molestiam putas.* ità sanè Basilius, cui cum Arianus præses minitaretur, se ei iecur extractorum, cum ipse iecinoris morbo cruciaretur, respondit: Atqui nihil gratius feceris, ac magna me molestia liberabis, si iecur, quo vexor, extraxeris Quintum denique iræ remedium: *Si falsa obiecta sunt, nihil ad te pertinent; si vera tibi potiùs irascitor.* acutè hoc dilemmate conuincit.

15 Respondet obiecto: *Beneficijs, inquit, affectus est à me, qui lædit. at maiorem ipse vituperationem habet.* Rectè opprobrium transfundit in lædentem ingratum. Tùm pulchrè monet cedendum, non obsistendum: *Quid si canis accurrat furiosus, si camelus erigat in te ceruicem, nùm pugnabis? satius est fugam arripere.* Vide quid sit alium lædere, canina rabie efferari, cameli turpitudinem induere: talis Absalon, quantumuis pulcher, effectus est. quamobrem Dauid inscripsit titulū psalmi: *Cum fugeret à facie Absalonis.*

Quinque iræ remedia.

Ira plaga grandinis noxia.

Cum lædēte non pugnandum, sed fugiendum, vt à fera bestia.

16 Ele-

16 Eleganti similitudine ostendit de opprobrio non esse curandum: *Vidisti aliquandò pugiles quo pacto primùm de loco certant, vbi stare volunt, vt superiorem capiant; nàm id non parum ad victoriam facit. at tu toto furentem pete. risus est maxima in iræ prælio armatura.* Multum autem laborat, qui validum athletam manu aperta petit. notabile certè remedium, & efficax; excipere ioco, & risu iniuriam. ità cum Constantino suggererent amici, vt seuerè puniret eos, qui ipsius statuam humi affixerant, & caput contriuerāt, manum fronti admouit, ac dixit, se nihil damni agnoscere, integrè se habere: ità lepidè iram elusit. huc item facit responsum illud Basilij, quod narraui de iecinore. pulchrè autem iocum, & risum de contumelia maximam armaturam dicit: cū potiùs videatur qui id agit, arma deponere, & inermis fieri, atq; imbellis.

Opprobria per iocum eludenda.

17 Concludit hoc de ira notabili testimonio sacræ scripturæ: *Scias inter alias improbitatis appellationes, quas diabolus habet, etiam ipsum Iram vocari: Misit, inquit, in eos Iram, indignationem, et Iram, immissionem per Angelos malos.* Vides iratum tanquàm in diabolum transformari, cuius est tanta in Deum, & in nos ira, vt Iram ipsam antonomasticè dicas. græcè Diræ Furiæ dicuntur. & in Apocalypsi dicitur: *Væ terræ, quia descendit ad vos diabolus habens iram magnam.* imò Ira ipsa, sicut à contrario: *Quid est omnium mitissimum? Deus.* imò vt ait Dauid: *Deus meus, misericordia mea.* His addit: *Ira tempestas est mentis, ebrietas est, & spirituum legio.* horrendum dictu hoc extremum. iratus, dæmoniacus ille est, de quo in Euangelio legitur: *Vestimento non induebatur, nequè in domo manebat, sed in monumentis; & spiritus immūdus arripiebat illum, & vinciebatur catenis, & ruptis vinculis agebatur à dæmonio in deserto. interrogauit autem illum Iesus dicens: Quod tibi nomen est? at ille dixit: Legio: quia intrauerāt dæmonia multa in eum.* tandèm in porcos ire permissi stragem de ijs fecere maximam. vides igitur quid sit iratus ex sententia Gregorij, *Spirituum legio*. hoc est sexmillia, & ampliùs dæmonum inhabitabant, quot militibus ferè legio constabat: huiusmodi scilicet sunt innumeræ illæ cogitationes de vindicta, quæ iratum vexāt. nudatur autem omnibus virtutibus. ad hæc in sepulchris habitat; cum enim in contumelias abit, & blasphemias, quid nisi *Sepulchrum patens est guttur eius?* habitat & in desertis procul à societate hominum, quia ad iratum nemo audet accedere. quod autē illa dæmonia in porcos, immundū animal intrare petierunt, ostēdit quàm vile sit irasci, hoc est cœnosi, ac turpis animantis modo obgannire, & apri Erymanthij instar infremere.

Psalm. 77.

Diabolus antonomasticè Ira dicitur.

Ira dæmonum legio, &c.

Luc. 8.

Ex Carmine in Auaros.

1 MVliebrem mundum exagitat: *Mulierum deliciæ in auro, & gemmis, catenæ manuum; grata pedum onera.* Cothurnos puto intelligi deauratos, atq; gemmatos. laudatur & sponsa: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis!* at non in cothurnis, quibus altè inductis femigneę à Comicis rectè dicuntur, sed in affectibus, quibus quasi pedibus pergit ad Deum. & nota quasi captiuæ dicuntur in diaboli triumpho: parui enim interēst, vt quidam ait, auro vinciaris, an ferro. Zenobia captiua ducta est, aureis catenis manibus deuincta in Aureliani triumpho.

Mundus muliebris taxatur.

2 Inexplebilem auari famem taxat: *Terræ, ac maris profunda scrutare; mortuorum etiam capillos, vt prouerbio dicitur, radito. sacrifica euerriculo, dexteram adora. quæ tantùm tibi auri collegit; nihil hæc differunt ab æstu maris reciproco, vel à Charybdi, quæ classes absorbet.* Simile est illud Tullij: Quæ Scylla tàm rapax? quæ Charybdis tàm vorax tantos absorbere gurgites potuit? maris æstui comparat, tū ob sollicitas curas auari, tùm quia diuitiæ, vt fluctus, modò ad huuc, modò ad illum deuoluuntur, nec in vno domino sistunt. Quod autem per derisionem dicit: *Sacrifica verriculo, &c.* Alludit ad illud Habacuh per metaphoram de Nabucdonosor dictum: *Totum congregauit in rete suum, super hoc lætabitur; immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo.* hinc puto dici ab Apostolo: *Auaritia, quæ est idolorum seruitus.* totus enim cordis affectus in auro est.

Habac. 1.

Auaritia species idololatriæ

3 Auari inter opes miseriam ostendit: *Oportebat te aurum omne consequi, vt Midas, vt iusta fame labores.* Notum est de Mida, qui cū assecutus esset à Ioue, quod postulabat, vt quicquid tangeret, aurum fieret, cum cibus etiam in aurum verteretur, fame perire se sensit. Addit: *Qui dipsadis venenum ebibit, bibendo moritur, oreq; hianti totus in aquas irruit, donec viscera potu discerpat.* certè Iudas, qui ob auaritiā perijt, quasi dipsadis morsu: *Crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera eius.* simile est illud Lyrici poetæ, qui hydropi auaritiam comparat. Tùm sic vrget: *Num tibi soli terrarum Orbis tribuendus erit? si hoc, quod appetis, detur, nonnè & reliquum superest?* rectè ostendit inexplebilem esse cupiditatē. quamobrē suadet, qu à burget

Auarus est Midas. datus.

Auaritia dipsadi serpenti comparata.

4 Nonnisi Deum explere ticini, & facere satis posse ostendit: *Abijcienda sunt*

corporis vincula, quæ tyrannidem in diuinā imaginem exercent. Deo se totum dedere, vera est eruditio, ac doctrina. quod enim tantum lucrum esse potest? etiam si in vnū cogant omnia bona, quæ putantur; etiam si facultates Gygis habeas, omniaq; cōuertas, vt libet, conuersione palæ; si Lydij regis aurum, si Abaridis sagittam, &c. De Gyge refert Plato: is, cum post multos imbres dehisceret terra, in eum hiatum descendit, vbi equum æneum vidit, cuius latere aperto cadauer inuenit gigantis cum annulo aureo. huius annuli cum palam ad palmam conuertebat, inuisus alijs videbat omnia. sic Lydij regis aulam intrans, & coniuge eius est potitus, & regno, cum esset anteà pastor. Abaris autem accepisse dicitur ab Apolline sagittam, quam iaciens per aerem ferebatur, nulla re indigens. Hæc, inquit, si habeat auarus, minimè erit contentus. quamobrem hanc cupiditatem rectè tyrannidē exercere dicit in animum, & vinculis constrictum tenere.

Auaritia tyrannidē exercet in anima

Auaritia nunquam contenta, etiā si Gygem, aut Abaris fit

5 Affert exterorum exempla, qui pecuniam contempserunt: *Crates relictis facultatibus, in ara claro, & exaudibili præconio velut in Olympia proclamauit: Crates Cratem Thebanum in libertatem asserit. quod sciret seruitutem esse, obnoxium esse diuitijs.* Attamen rectè monet circa hunc opum contemptum: *Sed in his maior erat ostentatio, quàm honesti studium. nàm quid erat opus Crati aram conscendere, aut illo præconio? nostris verò virtutibus hoc primum est; nè sinistra quidem sciat dextera motus, & actus.* Vide vt omnis ostentatio contraria sit Euangelicæ doctrinæ. ità Nicolaus Myræ Episcopus noctu per fenestram iniecit aurum, quo pauperis filiæ dotarentur. Crates aram tanquàm suggestum ascendit se venditans; sed ara potius supplicis est, & humiliantis se coràm Numine, quàm iactabundi. nunquàm igitur minus pius fuit, quàm cum in ara. quantò sanctius religiosi apud aram præsēte Numine paupertatem humiliter vouent? Addit & alia exempla: *Alius omnibus, quæ possidebat, in vnam glebam auream redactis, superbum illum errorem in profundum abiecit, negans alijs tribuendum, quod bonū non est.* rectè appellat *superbum errorem.* quid autem stultius, quàm aurum in mare abijcere, cum egenorum fami, ac nuditati succurrere possis? & quàm ridicula illa oratio, idcircò se non dare illud pauperi, quia malum est? malum quidem est malè vtēti, bonè benè, & necessariò vtenti. Quod autē de aurea gleba dicit, hæc aliquo modo refert illud Iob: *Locus sapphiri lapides eius, & glebæ illius aurū.* nempè sicut humus, quę auri glebas fert, inutilis est germini: ità & cor auari sterile ad bonum est.

Cratis iactantia super arā de relictis diuitijs.

Superbus error philosophi in mare proijciētis aurum negādo pauperibus, eò quod esset malum.

6 Pergit ad alia Gentilium exempla de opum contemptu: *Cynicus quidam à rege cibum poposcit; ille siuè reuerētia causa, siuè tentandi gratia, auri talentum ei numerari iussit. at ille coràm rege talenti pretio coempto pane; hunc, inquit, capere volebam, non fastum, quo vesci non licet.* Egregiè, nisi iactātèr dixisset. melius Paulus inquit: *Habentes victum, & vestitum, his contenti sumus.* & Iacob ait: *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum, erit mihi in Deum.*

Fastus mēsæ diuitum taxatur.

7 Ostēdit, Gentiles, licet visi sint opes contemnere, tamē alijs vitijs inquinatos fuisse: *Præclarum quiddam erat Cleanthis puteus, & inops vita Socratis; verùm cætera quàm erant fœda? Soli, inquit, formosi valent ingenio. pereat hoc dictum. virtutē nemo de amore venetur.* Rectè Socratis dictum arguit, vt honestati minimè congruens. pulchre autem ait, virtutem tanquàm prædam latere abditam inter sepes difficultatum; cingendus est locus indagine. opus est labore, & industria quasi venatoris: sed non Cupidinis telis quasi venabulis capienda. putabat enim Socrates formosos adolescētes esse virtuti maximè idoneos, ac proptereà adamandos; qui amor Platonicus dicitur, re vera Plutonicus; hoc est diabolicus, ob periculū, & occasionem scandali ex tali familiaritate. quod autem ait de Cleanthis puteo; ferunt illum tàm pauperem fuisse, vt noctu aquā è puteis hauriret, accepta mercede, per diem autem sub Zenonis porticu philosophatum. & cum charta careret, in ossibus boum, ac testis scripsisse. at quantò laudabilior Paulus, qui cum totius Orbis terræ curam suscepisset, de se dicit: *Omnia, quæ mihi opus erant, ministrauerunt manus istæ.* Scenofactoria autem arte se exercens, vt viueret; nihil tamen agens, vt in scena, ad ostentationem, & plausum. nec omittam de Iob, qui in ea testa, qua saniem radebat, tanquàm veræ philosophiæ præcepta scripsit de tolerātia, atquè constantia.

Socratis suspiciosa vita ex formosorū familiaritate taxatur.

Cleanthis philosophi paupertas minor nostra.

8 Ostendit auaritiæ indignitatem, ac sordes: *Quis porrò factum illud Alchimaonis vnquam laudauerit? is cum clarissimæ Ciuitatis Athenensis facilè princeps esset; ac tùm generis nobilitate, tùm potentia magnos spiritus gereret, ità tamen à pecunijs est victus, vt liberalitèr tractatus à Crœso, cum aurum illi omne, quod in thesauris haberet, ostendisset; vtque ramentorum aureorum, quantum posset auferre, sibi retineret, iussisset, repletis vestium sinibus, & buccis, totaq; coma inaurata: (proh quanta cupiditas!) opulentus, ac ridiculus simul in conspectum Lydorum prodijt.* Vide vt hic omnem rerum anteà gestarum gloriam auaritiæ sordibus inquinarit. pulchrè ait: *opulentus simul, & ridiculus.* quantò magis

Alchimæō ex thesauris regijs totus auri ramentis onustus exiēs partā glorīā dedecorauit

gis expediret, vt nos in hac vita tanquàm inter Dei thesauros positi, hoc est inter abundantiam gratiarum, auidè quantum excipere possumus, dùm licet, nobiscum reportaremus? aurum in capite per sanctas cogitationes; aurum in maxillis per sermonem de cœlestibus. deniquè vt toti auro onusti, hoc est aureis moribus, & meritis pluribus locupletati, ex hac vita exeamus. certè Paulus sæpè appellat *diuitias gratiæ*. nempè sub liberalissimo rege Christo, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.*

Cõtemptus pecuniæ apud Gentiles.

9 Ostendit etiam apud Gentiles pecuniæ contemptum in honore habitum: *Cum à rege Macedonum Archelao Sophocles munus posceret, dedit Euripidi, dicens: Tu Sophocles mihi videris dignus, qui munus postules, sed Euripides, qui accipiat; ostendens generosam indolem antecellere.* Argutè taxauit Sophoclis cupiditatem. multò magis in Ecclesiasticis præsertim muneribus obeundis, id obseruandum. certè olim in Episcopos, & Hierarchas eligebantur, qui non modò id non peterent, sed refugerent. & rectè hoc ad generositatẽ refert indolis, quæ humanũ omnem honorem, & fastum infra se habet.

Generosæ indolis est nec auro capi, nec metu cadere.

10 Addit exemplum aliud generosæ indolis: *Ceperat in bello Fabricium Pyrrhus rex. oblata auri talenta respuit. tùm ei armigeram belluam elephãtum eximii, & magnum et inuisum ad terrorem protulit; at ille intrepidus: Me nec aurum, inquit, cepit, nec bellua.* At quantò generosiores nostri Martyres, quos nec promissa à tyrannis dona mouerunt! belluas autem non modò non timuerunt, sed contra se lacessiuerunt, vt Ignatius Martyr leones. Eleazer verò sub ipsum elephantum subijt, eumq; ferro transfodiens occidit, suo sepultus triũpho, vt loquitur Ambrosius.

11 Docet, qua ratione, & quàm cautè legendi sint libri, maximè Ethnicorum: *Ex veterum libris noli mihi dictare partè honesta; vt: Sine me lucrum capientem vocari malum: nàm hoc præstat, quàm Deum colendo in paupertate degere. item illud: Nec Phœbus absq; ære oracula edit. Sed è contra prolata sapienter hæc laudato: Cum è scelere lucrum ceperis, puta habere te arrham infortunij. &, Noli mihi Plutum appellare Deum: illum non magnifacio, quem improbissimus quisq; tenere potest. &, Malo pauperem sapientem, quàm Midam malum.* Vides, vt nonnisi honesta, & quæ pro

Ex libris Ethnicorũ nõnisi honesta excerpenda

Christiana religione faciunt, ab antiquorum libris sint excerpenda? quæ autem sunt obscęna, aut certè mali exempli, reijcienda; vt illa vox: Adeò pecunia expetẽda est, vt Apollo ipse nonnisi ea accepta fundat oracula; prouenieb at autem hoc ex Sacerdotis, siuè Phœbadis cupiditate, quæ referebat oracula. meritò laudat illud dictum: lucrum ex rapina fatale esse; & pecuniam illam alienam, quàm auarus domi habet, esse *infortunij pignus*. rectè etiam, & argutè ille negat, Plutum, qui diuitijs præerat, esse Deum, quia non sineret se teneri ab improbis, cuiusmodi ferè sunt diuites. Addit de librorum lectione, Theognidem in multis increpatione dignum; item Homerum. vt cum ait, virtutem diuitiarum esse comitem. laudandus tamen est, cum Vlyxem facit post mortis periculum, mendicum; regem tamen, & Phæacenses ad reuerentiam sui trahentẽ. & cum dicit, Midæ auri auido datum, vt cibo in aurum verso, fame periret.

Plutũ quidam Deum negauit, quia sinit se ab improbis teneri, hoc est auaris.

12 Accedit ad nostra: *Elias pauper, quẽ Carmelus per coruos, & torrentes alebat, sed idem & tyrannos domabat, & pluuias, & fluminum profunditates sistebat. ignem è Cœlo aduersùs hostes, & super victimas deuocabat. viduis alimentum augebat egenus ipse.* Vide pauperis potẽtiam miram, cui natura ipsa famulari videbatur. Cœlum, tellus, ac cætera elementa parebant. Addit: *Quid de Paulo dicam ex artificio suo victitante? quid de Petro lupinis tantùm vescente? quorum de panibus ingentes opes manabant ad pauperes, donantibus eas locupletibus.* Mira pauperum Apostolorum dignitas. diuites ipsis egebant ad salutem, tùm animorum, tùm corporum; etiam vmbra Petri egebant. & nota delicias Apostolicas, viles lupinos, amarissimum omnium leguminis genus; adde, quod nõnisi amarissimis etiã eius lacrymis, quas perpetuò fundebat, macerabatur. dictum autem aiunt lupinum à lupi natura, tanta enim auiditate appetit terram, vt etiam inter alios frutices subigens eò penetret, & radices agat; quod ad Petri humilitatem eximiam pertinet; vt cum recedere à se Dominum voluit, vt peccator; & cũ pedes sibi ablui detrectabat. sed illud mirum, quod etiã si hoc legumen adeò terram appetat, tamen ei cognatio magna cum Cœlo est. etenim cum ipso Sole planetarum principe se circũagit, illius cursum refert, & imitatur, etiam in nubilo, quamobrem rusticorum horologium nũcupatur. audi Petrum dicentem: *Domine paratus sum tecum in carcerem, & in mortem ire.* nempè iustitiæ Solem etiam in nubilo sequebatur, hoc est in aduersis. certè & crucifigi ad eius similitudinem gestijt.

Elias pauper naturæ dominus.

Petrus lupinis victitans.

Plinius.

Luc. 22.

Ex Carmine aduersus gulam.

1 ETiam ipsorum Gentilium sententiã affert contra voluptatem: *Quidam philosophus ventris voluptati dedito ait: Desine tuos augere compedes, & dilaniantem*

tam belluam efferare. Nota, quis crederet, licentiam viuendi, ac libertatem esse cōpedes? voluptatem tàm aspectu blandam esse immanem belluam? ità sanè, nàm & pondere adipali volatum animæ impedit ad supera, & inexplebili voracitate belluina exitio est. Lamia quædam voluptas est ore virgineo, sed in monstrum desinēs, lac mammis offert, & sanguinem sorbet.

Gula vinculum animæ, & bellua immanis.

2 Proponit exemplum Dei seruorum de abstinentia: *Quàm multi apud nos vitā Angelicam agunt! qui exiguis vitæ scintillis retinentur, & quidem inuiti propter diuinū mandatum. nàm ligatos esse nos oportet, donec Deus dissoluat.* Meritò religiosorum in primis vitam Angelicam commēdat, quorum multitudo nunc maximè in tot Patriarcharum familijs viget. qui non modò Angelos imitantur insigni puritate, sed etiam admirabili abstinentia. vtinā veteres illos Dei seruos sēper ante oculos proponamus; cibi, inquit, parcitate adeò tenuantur, vt vix corporei sint, ac tàm paruo aluntur, vt vix huius vitæ scintilla superesse videatur, qua & carere vellent, si Deo libitum esset, cui vsiri festinant. talis fuit inter cęteros Basilius, penè sine carne, vix hærētibus ossibus pelli.

Religiosorum veterū Angelica vita, & abstinentia.

3 Item religiosorum vitam à corporis commodis alienam, ac totam Deo addictam summis effert laudibus. Ex quo, inquit, Christus ieiunauit, hoc exercitium in vsum magis prodijt: *O incruentas, ac diuinas hostias: Mundus vniuersus Domino litat, non externas victimas, sed suam ipsorum absumptionem, qua modico cibo vtētes contabescunt, eo ipso delicati, quod delicijs fruuntur nullis. ò inauditas delicias per nocturnos hymnorum concentus, per vigilias, per mentis migrationes ad magnam illam mentem. eatenùs in vmbris, figurisq; versantur, quatenùs occulta percipiantur; hinc fit, vt alij carnem ferro, vinculisque constringant. alij in arcta loca, vel aspera occlusi, vagantium sensuum perniciem inbibeant. alij in ferarū saltus se abdiderunt, vt peccatum, rem fœdam, & immanem vitarent. alius sacco, cinere, lacrymis, humi cubando, perq; complures dies, & menses, & annos, interdiù, noctuq; stando miserationem commouit. etenim instar columnæ cuiusdā eos stare iussit fides, & timor Dei, mentē de corporibus ante tempus abripiens. quid de his videtur? nùm tu Cleombroti saltum narras? nùm Epicteti crus, aut Anaxarchi vtrem, aut Socratis aconitum? sed hi in malis necessarijs erāt fortes.* Insignis, & egregius hic locus est de religiosorum institutis, ac viuendi genere. vides tot cœnobia, tot collegia, tot parthenones? ibi sunt, qui in holocaustum se per vota Deo obtulerunt, vt meritò exclames: *O incruētas, & diuinas hostias: Mundus vniuersus Domino litat, non externas victimas, sed suam ipsorum absumptionem.* Vides mortificationem propriam religiosorum, sed hæc de interna. de externa verò sic pulchrè: *Modico cibo vtentes, hoc ipso delicati, quod delicijs fruuntur nullis.* adde corporis afflictiones voluntarias: *Carnem ferro, vinculisq; constringunt, sacco, cinere, lacrymis, humi cubando, &c.* huc spectat horribilis ille apud Climacum carcer. & quia mortificatio cum studio orationis coniūcta esse debet, addit rectè: *ò inauditas delicias per nocturnos hymnorum concentus, &c.* huc pertinet contemplatio, hoc est *mentis migrationes ad magnam illam mentem.* & illud: *Mens de corpore ante tempus abripitur.* & vt nulla sit distractio, sensuum cura pręscribitur: *In arcta, vel aspera loca occlusi vagantium sensuum perniciem inbibent.* rectè perniciem vocat. est hoc cōtra circumforaneos religiosos, qui ægrè intra claustra se continent. mirum autem illud est, quod ideò quidam deserta loca petant, & inter feras degere velint: *vt peccatum, rem feram, & immanē vitent.* quasi sæuior sit morsus peccati, quàm tigriū, leonum, cęterarumq; belluarum. tùm vide quid ageret Dei timor in quibusdam, *vt instar columnæ interdiù, noctuq; starēt immoti.* nempè proprium timoris est stupentem, attonitum, & immobilem reddere. vbi nota, Simonem stylitem fuisse dictum, quod supra columnam degeret, sed hi seipsos in columnas vertebant, quæ scilicet dignæ essent insculpi, & inscribi præclarissimis notis ad memoriam posterorum. Denique meritò nostros antepōnit gentilibus philosophis. Cleombrotus, lecto Platonis libro de immortalitate, se de muro saltu præcipitauit in mare. stultè, nàm potiùs hac cogitatione se ad supera, & diuina attollere debuit; nec spōtè naufragus fieri, vt appelleret ad portū. Anaxarchus verò à Cypri tyranno tundi iussus, clamabat: Tunde, tunde; Anaxarchi follem, siuè vtrem tundis, Anaxarchū non tundis. sed hi non spontè cruciabatur, sicut nec spontè Socrates venenum ebibere iussus. Epictetus autem, vt erat Stoicus, immotus sibi crus secari passus est sine gemitu ad iactantiam; sed maior in Ignatio nostro virtus, dū saucij ex bellico tormento cruris os exsecaretur, extitit, quo quasi dolatus est in præclarum cōstantiæ, ac tolerantiæ simulacrum. Epicteti quidem tanta auctoritas fuit, vt eius lucerna fictilis, apud quam quæ scripserat, elucubrarat, duabus millibus dracmis venierit. Sed quanti æstimanda illa, apud quam Ignatius spiritalia exercitia, vel sanctissimas sui ordinis cōstitutiones elucubrando scripsit?

Mira veterū religiosorum in omnibus mortificatio.

Veterum philosophorū tolerātia inanis.

Religiosi [illegible] victimæ.

Religiosorū propria mortificatio, & oratio, seu cōtēplatio.

4 Amplificat elegantèr tùm nostrorū

zelum in fidei defensione, tùm Martyrum constantiam: *Deinceps autem mihi ad aliam lustam meorum athletarum accedito; teq; audientem, ac recordantem terror succutiat, quantis, & qualibus periculis venerandum illum, nouumq; Christi mysterii amplificauerimus. nàm cum inuidia, hoc est diabolus multos contra nos hostes, & immanes quasi belluas excitasset, nihilominus omnes obdurati Deo fuimus, & igneo quodam zelo consolidati*. Patuit hæc Catholicorum velut athletica virtus in Elisabethæ Angliæ reginæ persecutione, & aliis, quas hæretici nostra ætate commouerũt. testor è nostra minima Societate Henricum Garnetam, Edmũdum Campianum, & alios accensos *igneo quodam zelo*; nempè ex Ignatij disciplina. ac rectè hæreticos persequentes vocat *immanes belluas, quas inuidia, hoc est diabolus excitauit*. vides in hoc diabolum non inuidum dici, sed antonomasticè inuidiam ipsam. De Martyrum verò constantia sic pulchrè: *Quis ità vnquàm ad ignes, ad voragines, ad feras tanquàm ad delitias accessit? quis torturas membrorum, lacerationes, resectiones, & variam diuturni temporis tragœdiam tàm æquo animo tulit? & qua de caussa? fortassè vnam ob syllabam*. nempè Ariani Christũ non homousion, idest consubstantialem, & eiusdem essentiæ cum Patre, sed homiusion, similem, ac proindè diuersũ dicebant; qua voce deceptus vniuersus Orbis se Arianum esse ingemuit, vt ait Hieronymus. pro vna igitur syllaba, sed quæ fidei cardo esset, sanctissimi viri, atque Doctores exposuere se supplicijs acerbissimis.

Athletica virtus fidei defensorũ, ac Martyrũ

Diabolus antonomasticè Inuidia dicitur

Catholici pro vna syllaba cõtra Arianos pugnantes vsq; ad mortem.

5 Duplicem fructum martyrij ostendit; primò conuersionem totius Orbis: *Quid pluribus verbis opus? circumfer oculos, totum illum Orbem intuere, quem nunc doctrina salutaris occupauit, colligatum Deo, & infirmitati, quæ quidem mixtio noua est*. Multò magis hoc tempore, quo nouus etiam Orbis tàm arctè colligatus est Deo per Apostolicos viros, vt multi recens aquis lustrati pro fide sanguinem fuderint. rectè alibi Martyres vocat *nodum*, quo scilicèt Ecclesiæ totus Orbis vnitur. egregiè autem, & acutè dicit alludens ad Martyres: *Orbem colligatum Deo, & infirmitati, quæ mixtio noua est*. nouũ scilicèt est, & paradoxum in fragili carne tantum firmitatis, atq; constantiæ. nàm & Iob ait: *Nunquid caro mea ænea est?* sed verũ est, quod ait Paulus: *Cum infirmor tunc fortior sum; & virtus in infirmitate perficitur*. ad hanc etiam colligationem cum Deo facit cruor ille Martyrum quasi gluten. pulchrè igitur cõcludit hoc de Apostolicis viris, qui cum vitæ periculo veram fidem vbiquè terrarum amplificant: *Orbem igitur hunc penè totum instar siderum serenis splendoribus, sublimioribus thronis, doctrinis, cœtibus collustrant ij, qui iugulati Christo gloriosi victores sunt*. rectè hos comparat *siderum serenis splendoribus*, quia videlicèt in nocte, vel hæresum, vel gentilitatis, Orbem martyrijs præclarissimis illustrarunt; quorum siderum quasi chorũ ducit, vel agmẽ cogit Lucifer Stephanus Protomartyr.

Mirus Martyrũ vigor in infirma carne.

Martyrum quasi siderũ splẽdor.

6 Alterum martyrij fructum ostendit. Diaboli confractum robur, & partam de eo victoriam: *Estq; tanta lucta horum, ac certaminis veneratio, vt exiguus puluis, aut reliquiæ veterum ossium, vel pars minuta crinium, vel vilis pannus, vel quasi sanguinis indicium, ad honorem sufficiat, ac pro toto Martyre aliquando sola appellatio vim obtineat. ò rem prodigiosam. quid memorem morborum, ac dæmonum vagationem ab eorum sepulchris profectam? talia meorum sunt athletarum miracula: quorum tu loco Pisam, aut puluerem Delphicum, Nemeaam, Isthmiamquè pinum iactato. at nostris palæstris propositus Deus, proposita coronarum cœlestium adeptio*. Vide quantus honor Martyrum reliquiarum esset, & quanta vis, honor tantus, vt *pars minuta crinium, vel vilis pannus*, in pretio esset. vis autem tãta, vt à sepulchris eorum, & morbi, & dæmones fugarentur; vbi nota, nõ modò sãguis, sed *sanguinis indiciũ*, hoc est color ipse purpureus remanens in veste id agit. ac pulchrè athletico pulueri, puluerem, & cinerem Martyrum anteponit. quòd videtur spectare illud poetæ Lyrici: *Sunt, quos curriculo puluerem Olympicum collegisse iuuat*.

Honor, ac mira vis in minimis reliquijs Martyrum.

Ex Carmine de temperantia, & castitate.

1 GEntilibus quoquè castimoniam cordi fuisse & in honore habitam sic ostendit: *Aiunt Xenocratem, cum scortum quoddam in lectum eius coniectum fuisset à quibusdam tentandi gratia, primũ expauisse, nec tamen vel surgere, vel aufugere voluisse, quod horum vtrumq; indignum Xenocrate duceret. vsq; adeò verò immobilem, & inuulnerabilem extitisse, vt scortum cupidè aufugiens clamaret: Cur me lusistis accubare cadaueri iussam?* atqui Dauid cum pulcherrima adolescentula admota esset, vt ipsum foueret ad vitam, tamen mira continentia dicitur: *Non cognouit eam*. sed hoc multò admirabilius in S. Thoma Aquinate, qui adhùc adolescẽs erat, quàm in Dauid, qui iàm senecta torpebat. laudabilior autem Thomas, & generosior, quàm Xenocrates, qui scortum

Xenocratis mira castimonia.

3. Reg.

ipsum ignito torre persecutus est. quod autem dixit scortum, sibi cum cadauere rem fuisse; hoc in obedientia quoq; poscit à nobis Ignatius, vt quocunq; versari, atq; vexari cadaueris more finamus.

2 De Epicuro sic: *Epicurus, qui voluptatem laborum præmium, ac finem bonorum esse contendebat, nè videretur propter voluptatem vilam, voluptatem laudare, decentèr, ac pudicè viuebat, moribus sua doctrina quodaã adminiculum præbens.* Notabile exemplum, ac validum testimoniũ. Epicurus non putabat se persuadere posse de voluptate, & sibi fidem habendam, nisi esset pudicus, & à voluptate ipse abstineret. poterat enim quis obijcere, ideò ipsum laudare voluptatem, quia voluptati deditus erat. tanta vis est continentiæ, vt nisi quis eam præseferat, falsum putetur quicquid docuerit, etiam continentiæ contrarium.

Epicurus laudãs voluptatem, cum continens esset.

3 Præclaro exemplo ostendit, quanta sit auctoritas in homine pudico: *Polemo primùm parùm pudicus, posteà ità pudicus euasit, vt cum iuuenes quidam scortum ad se inuitarent, illa cum ad limen propiùs accessisset, in quo expressus erat pictura Polemo velut intuens, imagine conspecta, quæ grauitatem insignem præseferret, hoc ipso spectaculo victa discessit, pictum Polemonem tanquàm viuum reuerita.* Prodigium hoc vocat Gregorius; quàm enim hoc admirabile? tùm vide quantam vim habeat ad mores honesta pictura; contra quàm adolescens ille Terentianus, visa Iouis pictura stuprum Danaes obsidentis: Cur non, inquit, mihi licet, quod & Ioui tonãti? hinc collige quàm perniciosæ sint inhonestæ picturę, & quàm vtiles Sanctorũ, præsertim Deiparæ, quæ vt Virginum maxima, ab omni impuritate, vel picta deterret. Nota etiam de mira mutatione morum. nempè Polemo hic in adolescentia parùm pudicus, in tàm egregium castimoniæ exemplum conuersus est, vt vel eius pictura ab impudicitia reuocaret. ingressus enim, vt erat petulãs, ebrius, & coronatus, in Xenocratis philosophi scholam per iocum, & ludum; cum ille de pudicitia grauitèr, & seriò verba faceret, adeò commotus est, vt reiecta corona, & scurrili veste, palliumq; philosophicum sumens tàm honestè vixerit, tantumque in doctrina profecerit, vt Xenocrati ipsi successerit in magisterio: quod exemplum concionatores huius maximè temporis vanè, & segnitèr id munus exequẽtes erubescere cogit. cæterùm nota habitum eius picturæ, quo scortum est deterritum à stupro: *Expressus erat pictura Polemo velut intuens.* quantò igitur magis à peccando deterrere debet Deus intuens, & intuens cor. iuxtà illud: *Deus autem intuetur cor.* adeò penetranti, & acuto obtutu est: in quo est sanè, quod maximè erubescamus, cum ab Ethnicis vincimur, etiam improbissimis.

Pictura philosophi decens deterret scortum à peccando.

4 Pudicitiam etiam in Gentilium fœminis ostendit: cum enim Dioni clarissimo viro quidam obijceret spiritum malè olentem, conquestus est cum vxore, quod id sibi non indicasset: *Tùm illa cum iureiurando respondit: putabam hoc nõ tibi peculiare esse, sed commune cum omnibus maribus: adeò longè aberat à consortio virorũ.* Nota; neq; enim hæc laus improbæ vxori Iob debetur, de qua ait ipse Iob: *Halitum meum abominata est vxor mea.*

Vxor ethnica, abhorrens ab omni consortio præter viri.

5 Affert exemplum aliud: *Alexander cum Darij filias formosas esse audisset, in conspectum suum non admisit, indignum dicens à fœminis vinci, qui viros superasset.* Præclarè dictum. contra de quodã Olympionica narrant, qui cum victor curru veheretur insigni, ac per viam in mulierem formosam oculos intentius defixisset; illusus est à spectatoribus, quod in ipsa victoriæ pompa victus esset.

Alexander Darij filias intueri noluit.

6 Cum exempla Gentilium de honestis moribus apposuisset, hoc monet: *Non hæc ad nostra quidem accedunt. at nihilominùs laudo; nàm etiam inter Aethiopes faciem aliquam candidam cernere, iucũdam, & gratum est; vel in medio mari dulcem aquam reperire.* Acutè dictum, admodùm raros fuisse, vel adumbrata virtutis specie. ac rectè Gentiles tãquàm nigros Aethyopes vocat. ꝙ ait, ex ijs autẽ posse aliquẽ albescere, & salsos maris fluctus arte, vel alio modo dulcescere: noster quidem Xauerius Aethiopẽ illum, qui sibi visus est humeris insistere in persona totius gentilitatis, aqua baptismi candidum fecit. idẽ insigni prodigio, non sine mysterio aquas salsas maris aliquandò dulces reddidit. rectè autẽ ait, hæc moralis veritatis exẽpla rarò commemorari apud Gentiles, quæ apud Christianos innumera sunt, & cum merito.

Gentiles rarò Aethiopibus comparati rarò albi.

7 Nè gẽtilitas se de virtute iactaret ob cõmemorata exẽpla, ostẽdit nõ modò rara hæc fuisse, sed communitèr praua, atq; fœda; & vt licentius in vitijs versari possent, ea ad Deos transtulisse: *Quisque veterum aliquem sui vitij patronum constituit. hinc ille Iouis amatoria transformationes in taurum, fulmen, cygnum, belluã, aurum, draconem. hinc Dy hircinis pedibus, & moribus, &c.* Hùc spectat dictum illius adolescentis ex Iouis pictura, Danaes pudori insidiantis, licere id sibi facere, quod Ioui, vt diximus.

Gentiles vt sua flagitia excusarent ea ad Deos trãstulerit.

8 Idem sic ostendit: *Phidias suos amores, ac delicias in Mineruæ virginis digito literis hisce scripsit: Pantarces formosus.* Sculptor Phidias Mineruam quantumuis vir-

virginem, patronam sibi adsciuit parùm casti amoris. quantò castior Dei amor? *In manibus, inquit, meis descripsi te.* ac notà, in digito, vbi cordis est vena, quiq; locus annuli aurei est, fuisse nomen amasij. quantò præclarius, & castius est in digito Dei scribi, quo dæmonia eijcit? ac rectè Spiritus sanctus ità dicitur, quod amoris est pignus. Phidias igitur in Mineruæ digito, siuè in annulo ei inserto, scripsit: *Pantarches formosus.* de Spiritu sancto dicitur, non modò esse Dei digitū, sed ait: *Lingua mea calamus scribæ velocitèr scribētis: specie tua, & pulchritudine tua intende, &c.* habes & Dei digitum, & calamum, & inscriptam animæ pulchritudinem.

Phidias in digito Mineruæ scripsit nomē amasij sui.

9 Pergit ostendere quàm esset communitèr incesta gentilitas: *Multæ meretrices honoraria delubra consecutæ sunt, & inter Deas relatæ, vt Esephro, Phryne, Leæna, &c. nàm horum vel nomen in medijs delubris venerandum ducebatur.* Mira impudētia, vt meretrices, q̄ stabulariæ dicebantur, quod ferè apud stabula more brutorum versarentur, haberent templa. & quæ apud haras, hoc est prostibula, haberent aras. & nota nomen illud Leænæ aptū ad meretriciam impotentiam, iuxtà illud: *Nè des animam tuam crudeli.* ac si vt rem indignam dixit Propheta: *Filiæ eorū circumornatæ, vt similitudo templi.* quid si in templis colerentur? nisi forte vt Ægyptiorum templa dicas, quæ sumptuosè fabricata, intus habebāt, aut felem, aut aspidem, aut cynocephalum, cęteraquè monstra, quæ colebant.

Meretrices in templis cultæ ab Ethnicis.

10 Opponit Gentilium impudicitiæ nostrorum eximiam castimoniam, præsertim religiosorum: *Magnus apud nos cœtus virginum qui Angelorum carnis expertiū vitam imitantur; atq; etiam ipsius Dei, qui adest eis; ideòq; hinc ad eam vitam transferri desiderant, præsertim ex quo Christus matris virginis soboles apparuit, dicentes, quod primum, & præstantissimum est, castitatem, maciemq; carnis. atq; hi sunt illi Nazaræorum cœtus, & collegia bonis internis abundantia, atq; fulgentia, quæ quidem honorant virgines ad sanguinem vsq; vt patet in Tecla, &c.* Insignis admodùm, & egregius hic locus est de statu religiosorum, hoc tempore præsertim, cum creuerunt sanctissimorum Patriarcharum ordines plures, de quibus verissimè dicas: *Magnus apud nos virginum, & castorum cœtus, qui Angelorum carnis expertium vitam imitātur, &c.* ac peculiaritèr Ignatius iubet in regulis, nos Angelorum puritatem imitari, munditia tùm corporis, tùm mētis. atq; admodū notabilis est vox illa, cum nominat: *Nazaræorum Collegia bonis internis abundantia, atq; fulgentia.* sic enim Ignatius scholasticorum cœtus appellari voluit, *Collegia*, quibus in primis internarum virtutum studium in regulis præscripsit. Nazaræos autem religiosos Deo dicatos appellari scitum est. desiderium verò profundendi pro Christo sanguinis mors plurium testatur, & Indica ipsa expeditio plena periculi. deniq; pulchrè adnotat, tantam multitudinem virginum exortam, ex quo Christus nascens ex Virgine virginitatem consecrauit, ac nobilitauit.

Multitudo religiosorū Angelicam vitam degentium.

Ingens castorum numerus, ex quo Christus natus ex Virgine.

11 Pergit pulchrè eundem statum describere, & commendare: *Vides nè psalmodias virginum? peruigilia virorum, ac mulierum naturæ suæ oblitarū? prob qualium, quàmq; multarum, & quam ad ipsam diuinitatem accedentium! omninò vides cōsonam respondentium inuicem sibi Angelorum stationem, eamq; duplicem, collocatorū scilicet partim sursum, partim deorsum diuinæ tùm naturæ, tùm maiestatis celebratricem. sic tibi colenda castitas.* Præclarè facit hic locus ad sanctimoniales, & religiosos, qui iuxtà ipsorum institutum in odèo diuinum officium recitant; quasi alternatim concinant cum Angelis; quo sēsu explicat Chrysostomus illa verba psalmi: *In conspectu Angelorum psallam tibi.* legit ipse, *è regione Angelorum*: quasi duplex chorus sit, alter Angelorum, alter religiosorum, qui sibi respondent. ac vide quàm sublimitèr de ijs sentiat ob perfectionis sublimem statum: *Proh qualium, & quàm ad ipsam diuinitatem accedentiū!*

Psalmodiæ insignis laus.

Egregium religiosi status elogium.

12 De Dei cognitione, atq; cultu hæc habet: *Ad prudentiam omnia pertinent; quid enim sine illa laudabilitèr fieri potest? ac primum eius, maximumq; bonum est, nosse Deum re ipsa, & verbis rectè cultum.* Egregiè ait, sine prudentia nihil fieri posse dignum laude: nempè dux est, & magistra præscribens agenda, inter quæ summum, & præcipuum est, *nosse Deum*; nec tamen penitùs agnosci potest: *Nisi fortè quis nobis vmbram in aquis cernens, Solem ipsum se cernere putet; vel ob liminis elegantiam obstupescens, herum ipsum intueri se arbitretur.* Vide quàm exigua sit in hac vita cognitio de Deo. tanquàm Solis imaginem in aqua, sic Deum in creaturis contemplaris, cum ad Solem ipsum intuēdum acies hebescat oculorum. & cum te in penetralia intrasse credis, adhuc es in limine. nàm per creaturas, quasi per limē pulchrè, & sumptuosè effictum conijcimus, quàm excellens sit herus, qui inhabitat. Addit: *In ipsa consideratione rerum visibilium tanquàm caligo quædam incidit, vt illis superatis sic ad Deum accedā. quod si maximè tenebras, qui penetret, altero illinc lucis obstaculo, ac velamine præ nimio fulgore obcæcatur. fugit Deus radios mentis, semperq; subterfugiendo ad sublimiora* tra

Prudentiæ præcipua pars nosse Deum, & ritè colere.

Deum in creaturis tanquā Solis imaginē intueri nunc licet.

trahit. Nota duplicem ratione, cur Deus perfectè hic non cognoscitur. primò ob impedimenta, quæ res visibiles, & corporeæ opponunt. secundò ob excellentiam obiecti, quod superat nostram intelligentiam. ac pulchrè ait, cur Deus, dùm eum apprehendere conamur, quasi effugiat; vt nimirùm nos magis à terra abstrahat, & sublimiùs semper erigat ad supera. huc refer illud psalmi: *Accedet homo ad cor altū, & exaltabitur Deus.* hoc est quantumuis altè de Deo sentias, nō assequeris. & quod ait: *Semper subterfugiendo nos ad sublimia trahit.* fortassè ideò sponsa ait: *Trahe me post te, & Fuge dilecte mi.*

Deus à nostra cognitione altius fugit, vt trahat altius ad se.

13 Qua ratione Deus cognoscendus, & colendus sit, docet: *Deum colere maximè debes, ostenso amore in ipsum tuo per feruentem obseruationem mandatorum. at quid sit, quærere, nec vbiq; conuenit, nec sēper, nec facilè apud omnes. nimirùm de Deo dicamus aliquid, & cum metu quidem, sed aliquid intrà nos occultum mente illa colatur, ac citrà strepitum in honore habeatur; alicui deniq; auris aperiatur de Deo nos instruenti: minus enim periculi secum fert auris, quàm lingua. postremò precibus impetrandum, vt mentis crassitie dissipata, aliquid perdiscamus.* Nota, tria in Dei cognitione necessaria. primùm, vt cum metu accedamus, & aliquid, citrà creaturarū strepitum, sublimissimum apprehendatur. secundò, vt Doctorem aliquem eximium audiamus, non ingenio nostro freti. tertiò, vt ab ipso Deo intelligentiam petamus. rectè aūt ait præ omni doctrina etiam Theologica, amorem ergà Deum, charitatemq; æstimandam, & procurandam. quamobrem pulchrè addit: *Interim verò te ipsum lustrato, vitaq; splendida renouato. non enim frustrà dicitur, Deum ad templum suum accurrere; quippè purus cum sit, purū vult habitaculum.* Vide quē animæ apparatum requirat Dei sapientia: *Te ipsum lustrato, vitaq; splendida renouato.* hinc est, quod Ignatius scholasticos in literas ob Dei gloriam incumbentes, iubet semel in anno per exercitia spiritalia, & bis per iterata vota renouari; vitamquè, si quid rubiginis contraxit, disciplinæ lima splendidam reddi.

Tria Theologo obseruãda in diuinis cognoscēdis.

Renouatio spiritus in scholasticis commendatur.

14 Deum per affectum charitatis meliùs, quàm per argumenta intelligi dicit: *Amor ipse Dei nobis eius cognitionem conciliat, quia qui Deum habet, lucis fit particeps. hac ad veritatem semita melior est, quàm quæ in disputationibus, & argutijs sita. ratiocinationes enim ad cognitionem Dei parùm inducūt; nàm quæuis ratio quādam aduersantem rationem habet.* Acutè ostendit; cur ratiocinationes non adeò sint idoneæ ad cognoscendum Deum, quia vni ratiocinationi opponi potest altera. at amor optimus magister sine controuersia docet. item per charitatem Deum in nobis excipimus, qui fons lucis est; illustrabitur igitur statim animus ad eum cognoscendum. quàm benè hoc senserunt Thomas in primis, & Bonauentura? Deniquè, inquit, licet Deus perfectè in intelligentiam nostram minimè cadat, *Significabimus tamen tibi de Deo, quod assequi mentis humanæ facultas potest. Deus expers principij, principium, Spiritus. Trinitas illa veneranda. expers originis, genitum producens Pater vnigena; & Spiritus eiusdem essentia, nec tamen Filius: vnus ex tribus Deus communitèr colendus.* theologicè, ac scitè satis.

Amoris magisteriū circa Deum melius quā sophistarū

Diuinæ naturæ aliqualis descriptio.

15 Martyrum ædem hac inscriptione ornatam dicit: *Hæc est illa Sidoniæ Sarepta. hæc vidua turris, quæ Dei vatem Eliam Thesbitem in fame hospitio libentèr excepit, adepta munus, vt esset fons olei, quo familia pasceretur.* Elegans, ac pium elogium, quo ostendit, quid sit templum: sicut enim in Sarephta vrbe Sidoniorum, Elias à muliere vidua pastus est: *Præcepi ibi mulieri viduæ, vt pascat te; & clamauit Elias post tergum eius, dicens: Affer mihi bucellam panis.* ità Ecclesia, quæ vidua dicitur ob mortem Christi sponsi, cuius missæ sacrificium typus est, pascit nos Eucharistici panis buccella. & sicut ibi olei multiplicatio facta est, ità ipsius Sacramenti replicatio potiùs, quàm multiplicatio fit; & misericordia diuinæ oleum abundè sufficitur, vt exclamare liceat: *Quemadmodùm multiplicasti misericordiam tuam Deus?* & nota, Sarephta, per quam Ecclesia significatur, si duplex dictio sit, hebraicè interpretari arctam, & exiguam buccellam panis, cuiusmodi est species panis Eucharistici. si verò vna dictio sit, interpretari incendium; vndè enim nisi ex ardentissima Christi charitate hoc prouenit? Nota etiam, aptè templum domui ipsius viduæ Sarephtanæ assimilari, quam domum instar turris fuisse dicit; cuiusmodi certè templum est, tāquàm perfugium, & asylum salutis.

Sacra ædes seu tēplum turri, ac domui viduæ Sarephtanæ cōparatur

16 Vespertinum hymnum à se conscriptum affert: *Gratias ago tibi, Dei Verbum, lumen ortum de experte principij lumine. tu Cœlum varijs luminibus fulgere fecisti; tu noctem, ac diem, vt inuicem sibi cederent, ordinasti. ac per noctem quidem labores terminas, per diem excitas ad opus, & gratas tibi actiones, vt ad diem illum sine nocte perueniamus. tu somnum leuem oculis meis immitte, vt nè celebratrix tuī lingua sit mortua, neuè Angelorum concentui respondens, sileat. tecum lectulus pias cogitationes inuestiget; nè quid diei sordidum nox coarguat in somnijs, sed mens absque corpore tecum, Deus, loquatur.* Præclara omni-

Pulchra, ac pia Gregorij oratio ante somnū.

omninò, & pia oratio quotidiè vespere recitanda. primò enim gratias agit de dici spatio sibi ad benè operandum concesso; cuius diei lux ab ipso fonte luminis manarit. & de successione noctis ad quietem datæ, quam etiam ad decorem sideribus exornarit. tùm petit, nè somno grauetur longo, sed breuem, leuemq; concedat. nè lingua, quæ ad ipsum laudandum instituta est, quasi emorrua diù taceat; nã cum alternatim quasi duo chori constituantur, ex Angelis, & hominibus: erubescendum præfectò est, illis semper concinentibus nos non respondere. deniq; petit, nè nox fœdis insomnijs, quæ diem minus castè traductum arguant, inquinetur. sed potiùs mens sopito corpore, & quasi eius expers, vigilet ad Deum, & sit cum Deo semper.

Ex Carmine ad Virginem.

Per cõsortium virginis cũ viris aut ignem concipit, aut denigratur virginitas.

1 VIrginem seriò monet, vt hominum consortium vitet: *Quid opus est igne? ac si maximè igne superior sis; quo pacto fumum excitabis, temet per hominum loquacitatem denigrans?* Vide quid sit virginis, viriq; conuersatio, vicinitas fomitis, & ignis. egregiè autem addit: etiam si igne non consumaris; at certè fumo denigrabitur candor ille pulcherrimus pudicitiæ; vel ex ipso liberiore sermone, ac licentia loquendi, vt mundani solent; vel denigrabitur fama ex suspicione mala, cuius ansa datur per familiaritatem virginis cum viris.

Oculi retia ac venatio est cauẽda.

2 De sensuum, præsertim oculorum custodia sic: *Venustatem tuam obsignatam retineto. benignus est Christus, sed æmulationis plenus. noli spectando venari, vt ipsa specteris.* Rectè, ac pulchrè dicit, venustatem Christi sigillo obsignatam teneri debere, vt venustas scilicèt vultus clausus quodam modo sit, non apertus, & expositus alijs. & elegantèr ait: *Noli spectando venari, vt ipsa specteris.* est enim quædam quasi venatio illa oculorum, quod egregiè Propheta indicauit, dicens: *Oculus meus deprædatus est animam meam.* & sanè in anatome oculi vna ex tunicis vocatur, reticulata, quod ab re non est. nempè ibi venatorius laqueus est ad prædam.

Modestia virgini servanda, etiã cũ sola est.

Addit de modestia: *Pudicè incedito; etiam si tecum sola verseris.* & hoc præclarum est monitũ, tũ nè assuescat immodestiæ; tũ vt reuereatur Dei, Angelorumq; præsentiã.

Etiam fratris cõsortium vitãdũ virgini.

3 Mirum, quàm cautam esse velit virginem, & alienam à consortio virorum: *Noli vel fratrem tuum in contubernium admittere. cur ità? nihil quidem in hoc turpitudinis scio, præter solam pulueris recordationem.* Tacitè indicat rationem. frater est, sed fragiles estis, ex puluere compacti ambo. nota tragœdia est de Ammone Dauidis filio, & sorore Thamar. Addit pulchrè: *Alij te fugiant, sicut olim bestiæ montem Sina, cum lex in tabulis præscriberetur.* Vide quid sint mundani respectu virginis, tanquàm irrationales bestiæ, ac iumenta; virgo autem ipsa tanquàm mõs Sina est inaccessus, vbi Deus loquitur, vndè tonitrua, & fulgura deterrent accedẽtes. hinc vbi legimus in psalmo: *Dabis decori meo virtutem.* legunt alij, *monti meo.* quasi pulchritudo mons arduus esse debet, nè quis procacius accedat. Tùm nè remissior sit, quasi in re leui, affert horribile illud exemplum Achis, qui inter cætera furatus dicitur auream linguam, siuè regulam, ac virgulam paruam, quamobrẽ Deus iratus toti populo est: *Quid aurea lingua vilius est, quæ parui pretij est, & pro didracmo venalis in hominibus fugitiuis? ea tamen integrum exercitum perdidit.* Auream linguam intelligo officiosa illa verba, & affectionis plena inter virginem, & viros, quibus ostenditur quanti pretij mutuus amor apud ipsos sit, &c. sed hæc in perniciem tandem recidunt magnam.

Etiã parua peccata vitanda.

Ex Carmine De definitionibus rerum.

1 COlligam ea maximè, in quibus est aliquid eximium: *Lux est splendor ex igne: idem quod animæ ratio.* Vide vt in hôc paruo mundo, idest homine ratio Sol sit. vel quia homo apud Hebræos dicitur, isc, ab igne, quod calidum animal sit. apud græcos autem, vt adnotauit hic idẽ Gregorius, φῶς dictus est, lux scilicèt ob rationem. rectè igitur, si vtrumq; coniungas, ratio est quasi splendor ex igne. Pergit: *Mens est oculus internus certo spatio minimè circumscriptus.* nobilior igitur, & viuacior quàm corporeus. *Arbitrium est facultas se mouendi quolibet. inuoluntariũ est tyrannis, ac vis quadam voluntati adhibita.* Vide quantum Dei donum libertas sit arbitrij; itàq; nullo modo nè gratia quidem ipsa efficax hoc tollit, alioquin tyrannidem exercere videretur. *Inuidia tabes est animi.* βάσκανος, *hoc est fascinatio, detrimentum, quod infertur alteri propter inuidiam.* huc refero illud Apostoli: *Quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Christus Iesus proscriptus est, & in vobis crucifixus?* hoc enim inuidebat diabolus, gloriam Crucis Christi, ideò quasi fascinum obtendit.

Quod in Mundo, est hoc ratio in paruo mundo.

Mentis oculus indefinitus.

Inuoluntarium tyrannis est opposita libero arbitrio.

Inuidia tabes animi, ac fascinatio.

2 Pergit in cæteris definitionibus: *Humilitas est non ità de se sentire, vt quis merito suo poterat.* Vides humilitatem in ijs ma-

Humilitas in præclaris viris magis elucet.

maximè relucere, qui præclaras actiones egerunt: *Cædes altera corporis, altera animæ, vtraq; diuinissima harmoniæ perturbatio.* Vide quid sit necare hominem, vel ad peccatum incitare: *diuinissimam harmoniam perturbare.* homo enim tanquàm musicum Dei instrumentum est, ad ipsum laudandum factum. tu hanc citharam elidis, chordas abrumpis, &c. *Hospitalitas est eius, qui se quoq; nouit hospitem. Pax est vita tranquillitas: præcipuè pax est sedatio affectionum.* huc refero illud Iob de iusto, qui passiones edomuit: *Bestiæ pacificæ erunt tibi.* ità Noe in arca etiam leones, & oues in pace continuit: *Solitarius ille verè est, qui soli Deo viuit.* vides posse solitudinem inueniri etiam in vrbe, si omnia ad Deum dirigantur.

Mors illata homini vel per necem, vel per suasionē peccati diuinissimæ harmoniæ corruptio est.

Pax est sedatio passionum.

3 Hæc pulchrè ad castimoniam pertinent: *Puritas est conuersatio, & consuetudo cum Deo. virginitas est quædam migratio extra corpus.* Vide quàm præclara sit hæc virtus, & in Angelicum quendam statum mutatio. Christus ex Virgine sola in tempore prodijt, quia ante sæcula etiā de Patre solo natus: nimirùm *ex iniugatis ipse quoq; iniugatus.* acutè dictum.

Virginitas est quædā migratio extra corpus.

4 Ad Christum recens natum hæc spectant elegantèr: *Census descriptio figuram nouæ inscriptionis diuinæ repræsentabat.* Idem habet Gregorius Papa: Typus, inquit, erat, quod nos ipse esset descripturus in Cœlo inter Angelos, cum ipse describeretur in terris inter homines. Pergit pulchrè: *Christi in fascias inuolutio primæ nuditati medebatur.* folijs ficulneis scilicèt illæ fasciæ respondebant. ijs relictis vtpotè iàm aridis, his fascijs induamur, quæ etiam ad vsum obligandorum ex peccato vulnerum faciunt. extat Galeni libellus de fascijs, & earum varia forma, etiā de Cruciformibus: quamobrem puto à Deipara illas instar Crucis ipsi puero dilectæ formatas, dùm eum obuolueret. Sequitur: *Infantium cædes puerilium figurarum ablationem significabat.* acutè. erant enim figuræ illæ, ac ceremoniæ quasi pueriles, licet piæ. hinc ille ploratus Rachel, hoc est Synagogæ. De stella verò Magorum sic: *Currens illud sidus aufugientem rerum creatarum adorationem significat.* acutè; nempè recedens stella illa ab Ethnicorum finibus, & ad Christū vadens significabat recessum ab idololatria, & accessum ad fidem.

Fasciæ Christi infantis oppositæ nuditati Adā.

5 De Christo iàm adulto, & moriente sic: *Christi ieiunium, quasi quædam vnctio fuit, præcedens luctam cum aduersario.* Antagonista videlicet diabolus fuit. huc etiā referre possumus illud: *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum.* vngimur videlicèt athletarum more ad luctam. Addit: *Corona spinea, & indumentum purpureum, per luctationes varias aduersariæ Potestatis spoliatio.* huc spectat illud Pauli: *Spolians Principatus, & Potestates, &c.* quasi Christus indueret spolia deuicti regis diaboli: ità ipsi hostes sunt elusi, dùm, quod putabant dedecus, cessit in decus; quamobrē subiungit: *Crux trophæum ligneum ligni veteris.* certè trophæum in arbore suspensum Crucis refert formam, quamobrem aptè opponit ligno vetiti cibi. Subiungit: *Claui, mei peccati confixio.* hinc illud Apostoli: *Delens chirographum, quod aduersus nos erat, confixit illud Cruci.* Pergit: *Tenebræ in Christi morte luctus erat quidam propter illum, qui patiebatur. petrarum diuisio, petra propugnatrix.* græcè est ὑπέρμαχος ac propriè dicitur de clypeo, quasi abruptæ illæ petræ pro clypeo essent mysticæ petræ: *Petra autem erat Christus.* Ecclesiæ scilicèt fundamentum: quāobrem petræ quodammodò idcircò scissæ sint, non expectantes latomos, seù lapicidas, vt statim ad Ecclesiæ ipsius, ad téplorum, & ararum vsum deseruirent. iuxtà sensum verò Gregorij est illud: *Pugnabit pro illo Orbis terrarum.*

Christi ieiunium athleticum in deserto.

Christi opprobria ad decus conuersa.

Crucis trophæū oppositum ligno vetito.

Claui Christi confixio nostri delicti.

Petræ scissæ ad protegendam petrā Christum.

Sap. 5.

6 Transit ad definitiones alias: *Baptismus seù lauacrum est alterius vitæ sigillum.* Vide vt iàm infans vix ingressus hāc vitam, ad alteram statim, cœlestem videlicet vitam euocetur, & quasi sigillo obsignetur promissio. *Fatum est series sortis, qua Deus quasi designat, & informat. Prouidentia gubernatio, qua vniuersitatem rerum Deus versat.* Nota illud de Fato, in quo nomine errarunt veteres, necessitatē ineluctabilē putantes indepēdentē à Deo.

Baptismus est alterius vitæ sigillū.

Fatum series terum à Deo pendentium.

Ex Carmine de vsu lectionis.

1 IN legendis Ethnicorum libris cautum esse iubet; nec nisi quod virtuti conducit, excipiendum. exteram porrò sapientiam sacrarum literarum cognitioni vtilem dicit: *Postquàm mentem variorum Scriptorum lectione tanquàm in palæstra prius exacueris, tùm deindè in literis à sancto Spiritu profectis certamen suscipito.* Vide quàm eruditus esse debeat, qui ad sacrorum bibliorum interpretationem accedit; quod ipse in primis Gregorius, & Hieronymus egerunt. lectio aliorum Auctorum tanquàm palæstra est, & exercitatio remotior; ibi vigor mentis acuitur, & tanquàm inungimur, vt in arenam descendamus. sed in quo gradu exteræ facultates habendæ sint, & quæ maximè addiscendæ, egregiè mōnet: *Ethicas disciplinas sacris literis subseruire iubeto; æquissimum enim est, vt sapientia spiritus domina sit terrena huius, tanquàm ancilla, quæ vanè inflata esse non debet, sed ad mi-*

Extera sapientia tāquā ancilla deseruiens diuinæ, & lectio profana sacræ.

mi-

nistrandum conuenientèr, ac decorè condecefacta. Præclarum monitum. alioquin si superbiæ tumor oriatur, audiemus, quod ad Abraham de Agar dictum: *Eijce ancillam, &c.* est hoc præsertim contra vanos concionatores, qui superiora faciunt profana sacris.

Ex Carmine de adhortatione ad Virginem.

1 OCulorum custodiam Virgini commendat: *Noli pupulas tuas inquinare, sed omnes oculorum corruptelas vitato, vt pupa tua, cura tua, virgines maneant.* Egregiè hoc græcè. nàm κόρη significat tùm virginem, tùm pupillam oculi, vt est apud Pollucem, & Theocritum. quanquam & apud latinos pupilla oculi à pupa dicitur, idest virgine. adeò delicatè castus esse debet obtutus. & Plinius ait, pupillam obtinere perfecti speculi vicem. at speculum non modò puluere, sed ipsa approximatione, & halitu nitorem amittit. rectè igitur Gregorius inquit: *Noli pupulas tuas inquinare, vt pupulæ tuæ virgines maneant.* vt scilicèt hoc sint re, quod nomine. sed illud planè mirum, quod cum pupilla oculi dicatur virgo, nihil illi magis sit noxium, ac perniciosum, quàm virginis non modò intuitus, sed cogitatio. audi Iob: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt nè cogitarem quidem de virgine.*

Pupula, & virginē significat & oculi pupillam.

2 Præclara est ad Virginem apostrophe: *O Christi sponsa, ità te vsquè purgato, vt splendida cum splendido vitam perpetuò degas; ità relicta natura crassa, cum supernis, & cœlestibus coniunge, vt menti mens quadam harmonia diuina coniungatur.* Vide quantam à Virgine perfectionem requirat, vt quasi extra corpus sit, incorporeis mentibus, idest Angelis coniungatur; imò ipsi sublimissimæ menti Deo; quàm pulchrè diuinam harmoniam vocat, sicut in cithara, lyraue chordæ ad suauem sonum simul aptantur.

Virgo quasi expers naturę corporee.

Coniunctio harmonica animæ cū Angelis, & ipso Deo.

3 Hortatur, vt cum vitijs pugnet, quia *Per luctam, & victoriam coronam adipiscimur, translato etiam puluere in Cœlum.* Pulchrè hoc dictū sub metaphora athletæ, vel militis, qui in campi puluere decertat; ità puluerulentus redit, sed victor, & decus est illi puluis. vndè illud Lyrici poetæ: Non indecoro puluere sordidus. sicut etiam de Olympico agone ait: Sunt quos curriculo pulverem Olympicum collegisse iuuat. ità animum in hoc puluereo campo corporis nostri pugnat, & victor hunc ipsum puluerem, hoc est ipsum corpus tandèm defert in Cœli Capitolium: *Per luctam, & victoriam coronam adipiscitur, translato etiā puluere in Cœlū.*

Animus quasi victor in cāpo etiam pulvereo.

4 Præfert virginitatem matrimonio: *Coniugium est vitiosarum affectionum cōdonatio; at puritas corporis splendor quidam.* Vide quem ad finem concedatur cōiugium, quasi frœnum libidinis, nè liberè vagetur. & quod ait, *est vitiosorum affectuum condonatio.* hinc Paulus de coniugatis ait: *Ego autem vobis parco.* virginitas verò fert secum splēdorē peculiarē, quāobrem dicitur: *O quā pulchra est casta generatio cū claritate.* & inter cætera ornamēta aurei cādelabri septē lychnis splendentis erant *lilia*, imò ex lilio lumen extabat. Tùm rectè monet: *Nec carnis te natura nimiùm teneat, nec è diuerso nimiū confidens sis.* Virgo igitur, nec à suo statu dimoueatur de fragilitate carnis deterrita, nec de splendore, & cādore superbiat, cum possit per lapsum inobscurari.

Virginitas splendida est, & coniugio potior.

Virgo non sine metu

5 Quàm felix sit sors eius, qui virginitatem integrè seruauit, ostendit: *Qui naufragium fecit, misericordia subleuetur. tu feliciter nauiga expanso velo spei. pauci pēnis amissis delabuntur, plures cursum rectū tenent.* Vide quid sit peccasse aliquando contra castitatem, naufragium fecisse, vel columbæ candidæ pennas amisisse, vt se attollere deplumata non possit è terra; sed spem, & solatium affert, quod ex eis, qui virginitatem vouerunt, multò plures sint, integritatem perpetuò seruantes, quàm labentes.

Virginitatis pennæ ne amittātur sertò cauendum.

6 Virginis habitum qualē esse oporteat, monet: *Vestem in te vilem, comamq; squallentem magis reuereor, quàm vniones, & ornatum sericum. egregius flos est pudor, & ornamentum insigne pallor. itēq; sertum praeclarum virtutes.* Pulchrè pudorem flori comparat, vt rubicundæ rosæ: hæc virginis purpura est; & pallor ex corporis abstinentia contractus violæ decus est: pallor & auro cōuenit. & nota magis spectabilem, & reuerentia dignam fieri virginē vili veste, quàm ornata. quod notent religiosi, qui cum nobilibus agunt.

Virginis squallens vestis honorabilior, quā ornata

Ex Carmine de Mundi contemptu.

1 EGregiè, & elegantèr animam suam hortatur, vt contemptis terrenis ad Deum euolet: *Quid vis, anima? vis Gygis opes? vis vmbram somniorum? auram diffluentem? strepitum teli nullum post se vestigium relinquentis? sonum complosæ manus? vis tu potius fieri Deus? splendidus Dei adstes, seù parastates cū Angelis tripudians, age alas studijs velocitèr volantis in sublime conuerte. ego alas purgabo, ego verbis fulciam, & ad æthera te deducam.*

Hortatio ad animam vt terrenis contemptis alas expācet ad supera.

No-

Nota pulchrè, quomodò definiat terrenã gloriam, & nomẽ, & famã: quasi strepitũs telũ, qualis est ille nũc fragor bombardarum, qui statim è vestigio, sed sine vestigio euanescit. vt etiã plausus ipse, qui fit manibus. Tùm vide, ad quantum dignitatis fastigium attolli possit præsertim Sacerdotis animus: *vt Deus fiat, aut splendidus Dei parastates, cum Angelis tripudians.* vbi nota, quæ supra diximus de hoc nomine Parastatæ. nàm & Sacerdotem supra in epistolis vocauit parastaten, quem scholiastes, & ibi, & hìc vertit adstitem, quasi Sacerdos ex ijs sit, qui in Cœlis Deo adstant, & tripudium agunt cum Angelis. παραστάτης enim est, tùm qui Imperatorem stipat, tùm qui præsultori secundus adstat, hoc est chorago, seù choreæ magistro, qui vulgò dicitur, mastro di danza. Deus autẽ in creaturis quasi præsultor est, & earum choros ducit, vt ait Philo, & ostẽdit scriptura de sapientia diuina loquens: *Delectabar per singulos dies, ludens coràm eo omni tempore, ludẽs in Orbe terrarum, &c.*

Sacerdos Dei adstes, & parastates.

Tùm igitur Beati in Cœlo, tùm Sacerdos in terra parastates est, summo Imperatori omnium adstans, & tripudio Angelorum admissus. cæteræ quoquè huius vocis significationes Sacerdoti conueniunt: dicuntur enim parastatæ apud Vitruuium lapides pilarum, ferè nodi appositi columnis; sicut & Sacerdotes, ac præsertim Episcopi Apostolicæ fidei innixi sustinent Ecclesiæ ædificium: meminit Plinius, narratquè de Ponti rege, cuius regia nitebatur aureis columnis, & parastatis. præterea parastatæ nomẽ est officij militaris, & ità dicti, quia adiuncti sunt prostatis, hoc & ijs, qui præsunt cornibus exercitus, sicut epistatæ, qui tertium in his regendis locũ tenent. ità ex Ecclesiasticis, qui quodammodò sęcularibus in spiritalibus exemplo præsunt, sunt Episcopi prostatæ, Sacerdotes parastatæ, ac reliquus clericus epistatæ; Deniquè Sacerdotibus maximè cõuenit pulchra hortatio, quam ad animã quisq; suam faciat: *Age, alas studij celeritèr volantis in sublime conuerte.*

Plinius l. 35. c. 3.

EX ALIIS CARMINIBVS.

Ex Carmine de sua vita.

1 CHristum Dominum sic piè compellat, exoratq; : *Christe rex, qui puris olim eleuatis manibus cruciformibus Mosis in monte declinasti Amalec robur, &c.* Nota habitum Mosis in orando; in Crucis formam eleuabat manus; in quo dignum quoquè notatu est, quod ait Iosephus, cum decidit mãna, primùm in Mosis orantis manus decidisse, quas scilicèt in Crucem conformatas habebat. Addit de Daniele: *Extensis manibus Daniel graues leonum biatus, & horrendas vnguium acies euitauit.* adcò eam Crucis formam exhorruerunt. Præterea *è magno cete euasit Ionas, manibus intrà viscera extensis, & precatus.* itàq; piscis ille ad littus incolumem reddidit Ionam, quia in habitu Crucifixi erat. quanquam etiã Xauerio cancer Crucifixi imaginem ad litus retulit. rursum: *In flamma Assyria roscida nebula circum occulit tres pueros, postquàm manus expanderunt.* pulchrè roscidam nebulã fuisse dicit, quæ circumdedit tres pueros, & irrorauit, vt fit in aurora. est autem animaduersione dignum, quod Crux in singula quatuor elementa dominata fit. Moses in aere, Ionas in aqua, Daniel in terra, tres pueri in igne per Crucis formam vim eius sensere.

Manus in oratione cruciformes extendẽs Moses domat hostes, & Daniel leones, & Ionas cetum, & tres pueri flammam

2 Mundi molestias exponit: *Graues curas hic Mundus, & qui Mundo imperat miseris mortalibus excitat: lanians veluti ferro, rubigo deformans formam interius.* Vide quàm crudelis sit Mundus, qui videtur blãdus; & quàm impius, imaginem Dei in nobis ferro appetens, & rubigine fœdans, qui videtur splendidus: tot habet fraudes. ideò ad Christum accurrit piè, ac pulchrè: *Serua me, Christe, circumplectens alis tuis. fac, nè puluis prosternat humiliatam animam.* pullum se aquilæ facit, sic enim de se Deus loquitur: *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, &c.* & à serpentibus maximè alis protegens defendit.

Sub Christi alas, vt aquilæ pulli confugit Gregorius

3 Quàm terrena paruifaciat, ostendit: *Non delector Serum pulchris texturis, &c. non cupio magnum habere honorem à rege intrà aulam. non conatus sum manibus carpere præterfluentia flumina, inq; nebulam manum mittere, aut vmbram apprehendere.* Vides quanta sit Mundi vanitas, & quã stultè laboretur in re inani. quid quod Cyro somnianti, se Solem manu velle apprehendere, sed frustrà, cum ille elaberetur, mortis præsagium fuit?

Stultum est apprehendere humana labentia.

4 De studijs suis sic: *Sola mihi erat amica disciplinarum gloria, quas collegerunt, ortusq; & occasus, & Græciæ gloria Athenæ. in scientijs diù laboraui, & multum, sed & ipsas pronas antè Christum posui, cedentes magno Dei verbo.* Præclarè ait, se antepotuisse doctrinã diuitijs, sed postposuisse doctrinam omnem spiritui. & abiecisse literas ante pedes Christi, cuius gloriam quærebat. cauendum igitur, nè quid ad nostram gloriam in studijs reseruemus, sicut qui ad pedes Apostolorum bona sua proiecerunt, sed aliquid sibi reseruarunt, ideòq; morte puniti.

Gregorius ad Christi pedes proijcit sua scripta.

5 Narrat seriem suæ vitæ. Parentibus, in-

inquit, solus relinquor ex filijs: *Ex magna face parua lux.* Humilitèr hoc dictum. videtur autem alludere ad lampadiphoria, quæ celebritas fuit veterum Athenis, & in hac vrbe Neapoli cognata Greciæ, vbi currēdo facem alter alteri tradebat, quæ posteritatis sequentis typus erat. hinc illud Lucretij: Vitai lampada tradunt. vtinam & nos religiosi Patriarcharum splendidam, Spiritus facem excipientes, inextinctam seruaremus.

6 De sua educatione sic pulchrè: *Mater quidem catenam auream circumdedit filijs suis, marem animum habens in forma mulieris, quantum attingens terram, Mundiq; curam gerens, tantum in cœlestem vitam compellens hanc vitam, leuis verò ad ætherem calcem tollere.* Elegantèr admodùm describit maternam informationem, & institutionem in filijs. auream quandam contexuit catenam ex varijs virtutibus tanquàm annulis, varijs pietatis artibus exercens. pretiosior omninò hæc aurea catena, quam illa Homerica, item aurea, quæ de Cœlo penderet, constringens hāc vniuersitatem rerum; quam Plato ad Solem refert. hanc igitur catenam auream optimorum, ac cœlestium morum mater filijs circumdedit, tùm ad decorem, tùm vt constrictos à vitijs teneret. egregiè referri potest hæc aurea catena ad Teresiā matrem præclarissimi ordinis. quid enim aliud est eius institutum? quot regulæ, tot annuli aurei huius catenæ. Porrò hùc spectat illud Corneliæ Gracchorum matris, cū.n. quædam nobiles matronæ Romanæ ostentarent sua ornamenta auro, gēmisq; contexta, expectauit illa, dùm filij, quos magna cura instituerat, domum redirent; at verò, inquit, hæc mea sunt ornamenta.

Gregorius à matre aurea bonorū morum catena ornatus.

7 Transit ad patrem: *Pater oleaster impactus olea.* Indicat eum fuisse antea gentilem. pulchra similitudine insitionis oleastri siluestris in cultam oliuam. certè in psalmo dicitur: *Filij tui sicut nouella oliuarum.* Baptizatus est posteà, imò adeò pietati deditus fuit, vt Episcopus sit factus. Quid autē sit Episcopus sic pulchrè definit, hoc est: *Ciuitatis mens, Ciuitatis caput, Moses nouus, aut Aaron medius hominum, & cœlestis Dei stans, puris operibus, & sacrificijs mortales, immortalemquè Deum magnum in vnum colligens.* Vides & quanta in Episcopo sapientia requiratur, cum dicitur *Ciuitatis mens*; & quanta pietas, cum mediator sit inter Deum, & homines, vt Aaron per sacrificia illum his placauit.

Episcopi præclara definitio

8 De primo suo statu vitæ sic: *Frequentes cura me de Cœlo deducunt in humum. primùm quidem seruis imperare, quod perniciei, & exitij rete est, qui sēper odere dominos.* Nota, & tamen his retibus implicari mundani gaudent, seruitia multiplicantes. subiungit: *Tùm cœpi circà plenam fori turbam, ac tribunalia versari, & lege versilibus in retibus molestias pati.* rectè retia dicit tribunalia, in quæ qui ob lites incidunt, vix, aut nunquàm pedes expediunt, & extrahunt.

Tribunalia, & lites retia sunt.

9 Cæsarij fratris mortem deplorat: *Hei mihi: antea quidem inter regia astra, veluti quidem Lucifer exsplendescebat, nomen venerabile, summā ferens sapientia, morisque desiderabilis.* Pulchrè Imperatoris quasi Solis regiā facit: Principes, & aulici primarij, velut astra quædam sunt; inter hæc enitebat Cæsarius quasi Lucifer, splendore quodā maiore conspicuus. quod egregiè referri potest ad Borgiam nostrum Hispaniæ magnatem; in aula Caroli V. Imperatoris versatum summa cum laude, tùm prudentiæ, atq; consilij, tùm pietatis; hæc enim duo maximè requirit: *Inter regia astra veluti quidam Lucifer exsplendescebat.* idem dixeris de Borromęo, qui inter cęteros purpuratos, hoc est inter astra pontificia præcipuus virtutum luce resplendebat. Tales & inter sui ordinis Doctores Thomas Aquinas, & Bonauentura fulserunt, iuxtà illud: *Qui docti fuerint, tanquàm stellæ in perpetuas æternitates.*

Principis regia quasi Solis, aulici velut astra

10 Vt se Dei seruitio addixerit, narrat: *Ex quo animum è vita diuellens, immiscui cœlestibus intellectionibus illustribus, & me ferens mens alta seorsum à carne posuit, indè erigens, scenæ me abscondit penetralibus cœlestis, &c. ex tunc Mundo interij, & Mundus mihi, & ego illi, cadauer spirans sum.* Vide quid sit Deo se dicare, immiscere se scilicèt cōsortio Angelorum, & animum seorsum à carne ponere, hoc est abstrahere indè, & ad cœlestia erigere, & Mundo mortuū fieri: *cadauer spirās.* hoc est, quod Ignatius noster in regulis à nobis requirit; vt cadaueris instar per obedientiam quolibet versari nos sinamus perfectè mortificati. hoc item est, quod Paulus aiebat: *Mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo.*

Religiosus Mundo mortuus cadauer spirans.

Religiosus Angelorum collega.

11 De funesta conditione animæ, dùm est in corpore, sic conqueritur: *Non tantùm funus fraternum, quantùm meam animam deploro, veluti reginam quandam, pulchramq; magnamq; intuēs validis compedibus laborantem, quam lancea hostes ceperunt, grauiq; diuinxere seruitio, & mœsta humi lumina defigit.* Pulchrè animam reginam facit, sed in bello victam, & in diaboli triumpho captiuam, ligatis post terga manibus mœrentē, nec oculos præ pudore attollere conantem; diceres te Zenobiam illam Palmyrensium reginam intueri, insigni pulchritudine fœminam, solitam ad concionem prodire cum galea; quæ posteà ab Aureliano Augusto in trium-

Anima in corpore vt Regina in bello capta, & vincta compedibus.

triumpho ducta. nisi quod hęc catenis aureis, anima verò ferreis deuincta: *validis compedibus laborans*. & nota, quod ait: *quã lancea hostes ceperunt*. sed quam Christus item lancea redemit. Tùm vide quid sit animam affectionibus, & desiderijs obtẽperare: *quam graui deuinxere seruitio*. huc pertinet quod sequitur.

Ira exitialis vipera.

12 De animi passionibus sic: *Perniciosa vipera ira, linguam armans, paratissimũ iaculum*. Rectè viperæ iram comparat, quæ vi parit, & pariendo prolis morsibus necatur. ità ira eum ipsum, qui irascitur, lædit. ideò egregiè addit: *Non desinam à luctu, priusquàm à luctuosa malitia; & voracibus affectibus clauem imponam*. Vides passiones esse tanquàm rabidas, & famelicas feras, quę cauea claudendæ sunt timoris Dei, nè foras cum impetu erumpant. rectè autem malitiam perpetuo fletu dignam dicit, & luctuosam, quam mundani iucundam putant.

Passiones vt voraces belluæ claudendæ.

13 Sacræ scripturæ libros commendat: *Libri antea cura erant, quos Spiritus impressit, Sanctorum linguis, & intrà literam bonam Spiritus fulgurans gratia, & cælata vtilitas, solis puris apparens hominibus, precesq; Angelicique chori animas Deo mittentes in cantibus, multis ex oribus, communem vocem emittentes*. Elegantèr admodùm dicitur: *Spiritus fulgurans gratia*, græcè ἀστάπτουσα, sic de Pauli cõuersione, vbi dicitur: *Circumfulsit eum lux de Cœlo*. græcè est, circumfulgurauit: nẽpè inspiratio diuina veluti tonitru cõmouet animum; & gratia coruscans, & fulgurans quicquid terrenum, & venenatum est, absumit. est enim fulminis proprium, vt venenatum quid attingens absumat venenum. loca item fulmine tacta, pro sacris habebãtur. Tùm nota, vt sacra lectio coniuncta sit cum oratione, & psalmodia; & vt religiosi in choro canentes associentur Angelicis choris, iuxtà illud: *In conspectu Angelorum psallã tibi*. Chrysostomus legit: è regione Angelorũ psallã. quasi alternatim duo chori cõstituantur.

Spiritus gratia fulguri comparatus.

14 Dolet, quod à primo feruore defecerit: *Erat ante in oculis Dei lumen, & piarum animarum splendens chorus. nunc citò recessere thesauri omnes, solùm remanet desiderium. vtinàm Deus in mores pristinos reducat*. Vide humilitatem sancti Doctoris; putabat deficere se potiùs, quàm proficere. & videtur alludere ad verba Iob: *Quis mihi det, vt sim iuxtà menses pristinos, iuxtà dies adolescentiæ meæ? quãdo splendebat lucerna super caput meum, quando Deus secretò erat in tabernaculo meo, &c.* dicit igitur se anteà habuisse in oculis Dei præsentiam, à qua illustrabatur, & Angelorum quoq; Deum laudantium; nunc relictum desiderium tantùm. referri potest ad Religiosos, qui cum olim in tyrocinio Angelicam penè vitam traduxerint, posteà deferuescente per studia literarum, vel alias curas, spiritu, anhelẽt, ac suspirent ad pristinum feruorem. quapropter à nostro Ignatio subindè renouatio spiritus ritè instituta.

Iob.

Gregorij humilis querela de suo defectu in Spiritu.

15 A tempestatis maritimæ periculo liberatus, ait decreuisse, se Deo totum addicere: *In Achaiam ex terra Pharia Pontum secui, ortu Tauri, quem horrent maximè nautæ hybernum; spumabat vnda in nauim, montibus, aut scopulis similis, &c. tunc me ipsum reddidi Deo*. Vide aduersitatis etiam in iustis fructum; naufragij periculum, pertulit eum ad portum salutis. quasi dicat: perieram, nisi penè perijssem.

Aduersitas stimulus est ad virtutem.

16 Quàm integrè ad sacrificium Sacerdoti sit accedendum, in se ostẽdit: *Nequè manibus emisi sacrificium, priusquàm obrui lacrymis damnum; nàm tangere impuro purum, noxium est: velut igneum contra Solem imbellem oculum ferre*. Vides Sacerdotem instar aquilæ esse debere, vt in igneum illum, ob charitatem, Solem figat obtutum. & rectè, nàm & de aquilis dicitur apud Iob: *Pulli eius lambent sanguinem*. & Christus ipse ait: *Vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ*. & vbi in psalmo legitur: *Escam dedit timentibus se*. hebraicè est, prædam. rectè autem dicit de præparatione per lacrymas, quia scilicèt ad igneum Solem accessurus, & quia Sol mũditię typus est. Inter cęteros Ignatius noster totus lacrymis madescebat sacra facturus.

Gregorius lacrymis se preparat ad Sacerdotiũ.

Sacerdos aquilæ Solẽ obtuenti similis.

17 Salutis suæ curam ostendit: *Cupit anima liberum diem videre, omnia exuens, nuda vt effugiat flammas, & hiatum monstrosum Draconis*. Vides, vt vir sanctus etiã gehennam metuerit, & morsum inferni Draconis; & ideò statuerit mundana omnia exuere, & nudus effugere, nè vel leui onere vestis comprehenderetur à flamma. Addit: *Quis dabit palpebris fluuium, vt lacrymarum riuis maculas omnes mundem? quippè optima medicina est lacryma mortalibus, &c.* Vide eximiam humilitatem, atq; pietatẽ: vir sanctus tàm inexpiabiles maculas se contraxisse dicit, vt egeãt profluuio lacrymarum, quo deleri queant.

Gregorius metuens de sua salute.

Lacryma optima medicina.

18 Diaboli fraudem exaggerat; exponens Euangelij locum de eo, qui descendens à Hierico incidit in latrones, &c. *Prædo inuidus, & Christi me exuit gratia, & nudum reliquit, vt Adam*. Videtur referre hoc ad originale peccatum. si igitur Deiparam dicas in illud incidisse, videretur nuda relicta vt Adam, & Eua, cum cõtra dicatur: *Regina in vestitu deaurato*. imò de ipsa dici posset, quod *plagis impositis semiuiua relicta fuerit, &c.* sed aduerte acutè, quod dicitur de eo, qui in has pla-

Diabolus prædo inuidus nudã spoliauit Adam plagis impositis.

gas incidit: *descendens ab Hierico.* at Deipara ab Hierico non recessit, quippè quæ ibi floret: *quasi plantatio rosæ in Hierico.*

19 Ab infantia se Deo dicatum dicit: *Mater me complectens; Abraham, inquit, charum filium duxit ad aram, ad sacrificiū, radicem generis; & ego viuum te Deo donū largior, vt promisi. tu perfice mecum desiderium.* Vide pium veræ matris affectum; similem etiam Annæ, Samuelem filium offerentis. Tùm de baptismo sic pulchrè: *Puer eram, tenera autem anima nouam suscepit formam; sigillum autem seruabatur Christi. Temperantia porrò me deuinxit amica, & carnem obstrinxit, & calidū sapientiæ diuinæ inspirauit amorem, & solitariæ vitæ primitias vitæ futuræ.* Egregiè hoc ad Thomam Aquinatem pertinet, qui seruauit innocentiam baptismalem, quod sigillum Christi appellat, nunquàm resignatum. & post illam cum impura muliere luctam, atq; victoriam, Temperantiæ, seù castitatis virtus sub persona Angeli cingulo eum præcinxit, quod hic dicitur: *Temperantia amica eum deuinxit, & carnem obstrinxit, & calidum sapientiæ diuinæ inspirauit amorem, & religiosæ vitæ.* quàm scilicèt impenso studio affectabat; ac vide quid sit religiosus status: *primitiæ vitæ futuræ.* Angelicā enim inchoamus hîc vitā per castitatem maximè. potest & ad Xauerium referri, qui cum solitus esset adolescens librare saltu corpus liberius, acerbo mortificationis genere adeò crura funiculis arctè constrinxit, vt ijs intrà carnem intrusis de vita periclitaretur, nisi diuinitùs fuisset curatus, vt immensa illa Orientis itinera conficeret: *Temperantia amica eum deuinxit, & carnem obstrinxit.*

Baptismus sigillum est Christi nunquam resignandū per mortale peccatum.

Gregorij ab adolescentia desideriū religiosę vitę.

Temperantię vinculū salutare.

Religiosus status est primitię vitę futurę.

20 Rursùs dolet se à primo feruore desciuisse: *Vt Euripi retrocedente impetu voluimur in terram inanitèr inflati, puer ibā regia via, nunc senex obliquè velut ebrius incedo.* Mira humilitas sanctissimi Doctoris, qui, si ebrius erat, diuini spiritus mero madebat, quæ ebrietas est vera sobrietas. elegantèr autem, qui in primo feruore nō permanet, Euripo comparatur instabili, fluctuum reciprocationes habenti, & retrogradum cursum.

Inconstans in bono similis est Euripo.

21 Dei præsentiam adhiberi suadet, vt peccati frenum: *Oculum magnum tremimus eius, qui & infrà terram aspicit, & pōti magnum profundum, & quæcumquè occulit mēs hominum, adsunt omnia Deo. quis suum malum occultet? die autem supremo vbi occultemus nos ipsos? cum ignis discernet actiones omnium, depascens leuem, & aridam vitij naturam. hanc ego horreo, pertimeoq; diù, noctuq; intuens animam à Deo decidentem humi.* Nota de metu iudicij. exemplum ponit de alta pinu, vi torrentis auulsa. Tùm ad Trinitatem conuersus petit à periculis huius vitæ liberari: *Sicut si quis leone relicto vrsæ adhæserit insanienti, & hanc effugiens intus domum ruerit libenter, & manum suam ad parietem firmauit, indè prosiliens ipsum serpens percusserit insperatè. sic & mihi multis agitato affectibus nullum remedium. vndiquè autem laborans in te aspicio, auxilium meum Omnipotens genite, sine principio, & Pater principij Filij immortalis. lux magna lucis similis, ab vno in vnum euntis, &c.* Theologicè simul, & piè vt solet. vide autem, vt ex vno in alterum salutis discrimen incidamus, nec aliò confugiendum, nisi ad Deum.

Dei præsētia frænum à peccando.

Gregorius perhorrescit diem iudicij.

Ex Carmine de Virginitate.

1 Elegans hoc carmen est, quo virginitatem pulchris metaphoris exornat: *Virginitatem coronis vinciamus. hoc bonum auro, & electro lucidius, & ebore. ad Deum regem excelsum pennas humo eleuo, &c.* Nota; ostendit primò quid dicturus sit, & quàm nobilis sit materies: auro prępōnit ob pretium, ebori ob candorem: cui autem corona magis competit, quàm virginitati? deindè fit inuocatio non ad Musas, vel Phœbum, vt poetæ solent; sed ad verum Deum, cui illa dicata est. & quia sublimis est materia, & Cœlo cognata, nempè Angelica virtus, ideò pennas induit, & in altum se erigit.

Virginitas coronata pretio inæstimabili.

Laudaturus virginitatē pennas induat oportet.

2 Preclarum affert virginitatis elogiū: *Virginitas mater innocentiæ, soror Christi, cœlestibus pulchritudinibus non coniugatis coniugata: iniugatus enim primus Deus, deindè verò Dei chorus. prima virginitas est sancta Trinitas, quippè ex ingenito Patre Filius, quem non hominum more procreauit, qui velut ex luce lux venit; ex Filio verò non amplius filius, vt hic quidem maneat genitor totus, vt verò ille Filius, veluti & solius solissimus, in vnum conuenientes Spiritu cum magno, &c.* Nota, quid igitur virginitate nobilius, quæ originem, & nobilitatem suam repetit à diuina Trinitate? *Iniugatus primus Deus.* Addit de Deo pulchrè: *Deus semper excurrens omnium mentes, vt desiderijs trahamur in altum.* Vide Deum immotum, sed quodammodò per inspirationes huc indè currentem, ac nos potenti manu extrahere conantem à fęcibus Mundi, præcipuè verò ad Trinitatem virginem virgineo proposito attollentem. huc facit, quod quidam Deum ideò græcè θεὸν dictum putant, à verbo θέω, idest curro.

Prima virginitas Trinitas sācta.

3 Virginitatis originem primò à Trinitate deduxerat, repetit secundò ab Angelis: *Trinitatis pura natura, ex qua nitentes Angeli, qui sedem circa magnam conue-*

Secūda virginitas Angelica natura.

nientes subeunt mandatis currentes. &c. suprà dixerat: *Secunda virginitas Dei chorus,* id est Angelici spiritus. de his item sic pulchrè: *Sibi idem vnusquisq; vna natura, vnum desiderium, circa Deum magnum; cibus vnus, vesci Dei magni mente, atq; illustri trahere ex Trinitate lucem infinitam, simplices, intellectuales, splendidi, &c.* Vide igitur, vt, in quantum licet, religiosi Angelorum vitam imitari debeant. *vnum desiderium circa Deum magnũ.* nihil aliud in hac vita expetendo. item, quod ait: *Angelorum cibus vnus, vesci Dei magni mente, &c.* hoc non modò per contemplationem fit, sed per frequentem vsum Eucharistiæ, vbi seipsum dat in cibum.

Angelicæ naturę perfectio.

4 Creationem hominis pulchrè describit, Deumq; loquentem inducit his verbis: *Puri iàm Angeli, sanctæ mentes Cælum latum obtinent; terra verò animalibus exultat. mixtum genus componere libet, mortalium, & immortalium hominũ intermedium, delectantem meis opibus, & mente præditum Sacerdotem, cælestium, terrestriumq; magnum Imperatorem, Angelum alium, cantoremq; mearum virium, ac mentis.* Vide quàm excellẽti fine creati simus. quàm dedeceat, vel Imperatorem seruire cupiditatibus, vel Sacerdotẽ, & Angelum castimoniæ fœdare candorem, vel præcentorem à Dei laude desistere. illud autem quàm egregiè dicitur! hominem quemlibet Sacerdotem quodammodò factum, vt victimas laudis offerat Deo; quàm igitur castè, quàm sanctè viuendum! Sequitur: *Sic aiebat Deus, & partem capiens terræ manibus immortalibus meam constituit formam.* elegantèr sanè Tertullianus hanc formationem ante oculos proponit, vt apud ipsum, Deo iuuante, videbimus. Tùm de Adamo: *Adam primus, antequàm serpentem videret, fructumq; gustaret, animum conceptibus cælestibus nutriebat, Sacerdos Dei, ac diuinorum splendidus. hunc quidem reformans, in naturam mortalem Deus venit.* Nota quã suaui ambrosia ante vetiti pomi esum nutriebatur Adam. quid quod quasi Dei Sacerdos ante peccatum, & Sacerdos splẽdidus, *λαμπρός*? post peccatum verò amisso splendore, arboris quæsiuit vmbram latens. Vide igitur quantò splendidior Sacerdos esse debeat, qui verè Sacerdos est conficiens corpus, & sanguinem Christi, præsertim cum ad hunc splendorem restituendum venisse dicatur. Atquè Adam quidèm Sacerdos, vt vocat, in illo innocentiæ statu tantùm, *animum conceptibus cælestibus nutriebat.* nunc verò Sacerdos cœlesti ipso pane.

Dei hominem creantis elegans prosopopeia.

Hominis elegãs elogium, intellectualis Sacerdos, Imperator, &c.

Adæ felicitas ante peccatum.

5 De Incarnatione sic pulchrè per antithetã: *Venit luctator Deus morte homicidam superans, gustum felle, manus illicitas clauis, cruce plantam, vt Adam ad vitam reduceret, & ad gloriam.* Nempè luctator venit, docens & nos luctari verus aliptes. opposuit mortem suam vitalem morti, quam intulit diabolus per peccatũ. opposuit fellis, quod accepit, amaritudinem gustui pomi. manus extensas cruentatas manibus audactèr extensis ad cibũ. opposuit ipsum Crucis lignum, altã ascẽdit Crucem, vt nos in Cœlum altè subueheret. Addit: *Terminus autem explicans corpus suum hominem è finibus collegit, & in vnum deiunxit, & magna diuinitatis in vlnis posuit.* præclarè admodùm hoc dictum, quo ineffabilis Christi charitas ostẽditur: velut infantes, innocentiæ scilicèt restitutos, in gremio diuinitatis tanquàm matris collocauit, vt indè lac sugentes excresceremus, velut in Deos, *vt repleremur ab vberibus consolationis eius, facti diuinæ consortes naturæ.* quod item ad Eucharistiam pertinet; nàm & Clemens Alexãdrinus vocauit Christũ mãmillã Patris.

Christi Incarnatio prospiciens damnis primi parentis

Incarnatio hominem velut renatum in vlnis diuinitatis lactãdum collocauit.

6 De Dei maiestate sic elegantèr: *O Rex, quis tuam mentem, & profunditatem inuenerit? quis nouerit tuæ beatæ vestigia voluntatis? O altè regens, qui omnia intueris, & omnia gubernas, in te intendens mẽs hominum paruam lucem videt, veluti celerrimè fugientem fulgetrã.* græcè *ἀστραπήν*. elegans, inquam, similitudo fulgetræ, quæ coruscando perstringit oculos, ac statim effugit: talis nostra de Deo cognitio; quod in Ezechielis visione significatum puto.

Dei cognitio nunc quasi fulgetrum subito trãsiẽs

7 Redit ad commendationem virginitatis, similitudine sanè pulchra: *Quemadmodùm spirantia simulacra imprimens pictor; tabellis paruis, primùm obscurioribus formis speciem adumbrat. deindè coloribus omnimodis totam statuit. sic vtiquè virginitas priùs quidem in paucis apparebat, & vmbratilis, quando regnabat lex, coloribus exiguis apparentibus, occultumq; paucis eius splendebat lumen. verùm postquàm Christus puram per matrem profectus virgineam, non ligatam, deiformem immaculatam; tunc virginitas fulsit hominibus splendida, soluta à Mundo, soluensq; Mundum.* Notabilis certè res. quatuor millibus annis, & ampliùs hæc pictura virginitatis cœpta est, nec nisi in adumbratione, ac paucis, paruisq; lineamentis constitit. statim ac è Deipara virgine natus est Christus, pictura hæc pulcherrima omni ex parte perfecta est, viuacibus coloribus, ac penè spirãs. huius porrò imaginis exemplar in se exponit, qui eam vouet. ac cęteri quidem pictores nitorem possunt dare, splendorem non item, vt hæc habet, nàm dicitur: *tunc virginitas fulsit hominibus splendida.* hæc verò pulchritudinis pictura opposita Coæ Veneri, quam Apelles, exorsus imperfectam reliquit,

Virginitas vt pictura ante Christũ tantum adumbrata, nunc, perfecta.

quit,

quit, absoluit nemo. virginitatis verò picturam Deus, qui inchoauit, absoluit. Itē nota, quod de hac pictura dicit: *Soluta à Mundo, soluensq; Mundum*, quasi per eam Mundus liberatus ab exitio sit. sicut propter picturam ab egregio artifice in Vrbis muris positam quidam Imperator abstinuisse dicitur ab excidio. Sed illud omninò notatu dignum omitti nō debet, quod vocat Deiparam, *Deiformem, immaculatam*. hoc enim significat græca vox ἄχραντος apud Hesichium, & Euripidem, à verbo χραίνω, quod est maculare. facit autem hoc egregiè ad immaculatam eius conceptionem. & rectè hæc ambo iunguntur, *Deiformis, & immaculata*; vt, vel in hoc, quanquā diuerso modo, cōformis Filio esset. quanta igitur dignitas virginitatis, quæ perfectionē ab hac cōcepit.

Deipara Deiformis, & Immaculata parens virginitatis.

8 Et hoc præclarum est virginitatis elogium: *Virginitas tantùm excedit nuptias, vitaq; vincula, quantò anima præstantior existit carne, & Cœlum latum præstat tellure. quantum vita hac fluente Beatorum vita consistens; quantum Deus est homine præstantior.* Nota tres excellētissimos comparationis gradus. nàm tellus præ Cœlo instar puncti est. caro præ anima vilissimum quiddā, & puluereū. homo autem præ Deo, penè dixerim, nihil.

Mirum de præstantia status virginei.

9 Virginum, & religiosorū status eleganter admodùm, ac pulchrè describitur: *Chorus circa Regem lucidissimum stabat, irreprehensibilis, cœlestis è terra, festinans Deus esse, Mundi despector, mortuus terrestribus, super cœlestibus cura existens, faces splendentes Mundi, fulgentia lucis specula.* perpende singula. Religiosus igitur choro facto ad laudandum, putet se semper assistere cum Deo rege, qui dicitur: *Amictus lumine sicut vestimento.* quàm igitur vel trepidè, vel amantèr? ideò addit: *irreprehensibilis, & cœlestis è terra*; cuius scilicèt *conuersatio in Cœlis est.* Tū vide quàm sublime ad culmen aspiret, & quantæ perfectionis, *festinans Deus esse.* ac propterea ob dignitatem tantam ab Angelis, quibus cognatus est, peculiari quadam cura, & studio protegitur. & quia *Mundi despector*, cum nihil hinc speret, suas illi præbent auxiliares copias, vt fecerunt & Heliseo, qui omnia bona relinquerat. igitur *super cœlestibus cura existens*, dicuntur religiosi. & *faces splendentes Mundi.* hoc enim significat vox græca λαμπτῆρες habent & cōiugati faces nuptiales, sed fumidas. denique, *fulgentia lucis specula*; excipiūt scilicèt illustrationes Solis iustitiæ. in ipsis verò seculares se inspiciunt, vt sua corrigant vitia. & nota speculum fœdari non modò puluere, sed spiritu, afflatuq; tantùm. adeò curandum est, verecundè, castèq; viuamus.

Virgines sunt chorus Deum cingens, splēdentes Mūdi faces, fulgentia lucis specula.

Ponder. in S. Greg. Naz. P. Masculi.

10 Inuentum est sanè præclarum, quo introducitur Virginitas, quæ in Cœlo cū Angelis versatur, ad Gregorij preces in terras descendere, quasi ad litigium, vt respondeat obiectis eorum, qui dicunt, magis expedire coniugatos esse, quàm virgines: *Hæc agite, inquit, quæcumq; nuptæ aurum lapillis mixtum, & molles tunicas fertis, dicite, quæ lucra coniugium præbet, & postea Virginitatem audiemus. Dicit coniugata, legem se seruare primis parentibus datam de coniugio.* Prætereà, *primus Deus omnium genitor est.* deindè, *vinculo amoris, & terra, & æther, & pontus tenetur.* Addit: palmæ quoq; fœminam, & marem habent, & quidam lapides gignunt. porrò, quis peperit tot viros sanctos, nisi coniugium? Hæc pro coniugio. Tùm è Cœlo Virginitas locuta est, quam sic graphicè describit: *In pannosis vestibus, & membris infirmis, sine calceis, arensque, in terram oculos tenens Virginitas, paulùm autem diducens cum verecundia labra, colorans genam sanguine venusto: & è capite trahens clàm occultum tegumentum.* Vide vt in virgine, & mortificationem carnis, & modestiam requiri designet. Sic igitur Virginitatem affatur Gregorius in terrā è Cœlo labentem. quippè Cœlum illi patria est, & cognatio cum Angelis: *O filia cœlestis, & interius gloriosa, ò magnis choris assistens Regnatoris cantoribus, huc adesto.* & idm delapsa ait: *Mihi diuino munere aduenisti, Regina.* Mirum dictu, Reginam vocat, quæ *pannosis vestibus sine calceis arens aduenerat.* sed nimirùm *interius gloriosa.* iuxtà illud psalmi: *Omnis gloria filia regis ab intus.* Tùm Virginitas sic orsa est loqui: *Quis me nolentem huc deduxit? quis me meditantem Deum meum colere cum quiete, diuersis laboribus, nocturnisq; cantibus, & lacrymarum fontibus, & sanctis purificationibus in contentiones vocat, & discordias membrorum? non enim in hominibus est meum imperium, neque foro immisceor. alijs res vitæ in pretio sunt, at verò mihi vna lex, amorem erga Deum celsum regem luce splendentem.* Rectè indicat quid sit propriū virginis: ab hominum videlicet consortio alienam esse; Deum meditari; eum assiduè laudando concinere, & ardentèr amare; lacrymis, & expiatiatibus sacris ablutam, semper puram esse. porrò fatetur Virginitas coniugium quasi radicem ipsius esse, cum ex coniugatis nascantur virgines, at non ex toto ei honor debetur, nàm *anima Dei regnantis est flatus, & extrinsecus incidens*, nempè non educitur è materia, nec tamen quasi pars Dei sit. coniugium autem amat solū in corpora; & ijs ægris, aut sanis dolet, aut gaudet; nec adeò circa vitia, virtutesq; versatur. Soluit item obie-

Virginitas cum coniugio contēdens de dignitate.

Virginitatis habitus qualis, & aspectus.

Virginitatis è Cœlo labentis elogium.

Virginitatis prosopopeia de suo statu loquentis

Virginis studia, & exercitia quæ sint.

ctum, quia vndè tot scelesti, nisi ex connubio? *Plus est auro puluis, & plures sunt pessimi bonis*. Adde, quod nuptiæ non pepererε bonas, malasuè; sed recta, vel praua disciplina id facit: *Scintilla pietatis in hominibus cœlata est, quemadmodùm in nonnullis lapidibus ignis robur; vt autem ferrum ictibus è lapidibus elicit lumina; sic è mortalibus pietatem latẽtem educit Verbum*. Pulchrè ostendit, esse in nobis innata quædam semina bonitatis propter rationem insitam; quæ per disciplinam foras prodit, vt patet in silice: sed ibi ferri ictu opus est, hic mortificatione. Tùm naturæ corruptionem ostendit: *Mundi clauus humi carnem vinciens, & animam deorsum premens plumbi massa*. prima vox ἧλος significat clauum transfigentem: nempè Mundus nos sibi affixos, & constrictos tenet, nec sine dolore. altera vox μολυβδίς significat laminam plumbeam, & pondus septem librarum, & glandem plumbeam, quæ mittitur, & iacitur funda, vel bellico tormento. Vide ergò quid sit conditio mortalis. nàm *corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam*. pondus plumbi septem librarum ob septem grauia peccata, superbiam, &c. item diabolus carnis desiderijs vtitur, tanquàm plumbeis glandibus ad expugnandam animam.

Scintilla pietatis insita in homine, vt in silice.

Virginitas præfertur coniugio.

Plumbea moles corporis deprimens animam.

11 Virginitatis interior pulchritudo elegantèr admodùm, ac pulchrè describitur: *Si parùm nebulam à splendore secreueris, & pupillam aperueris ad splendorem Solis nostri, inuenies Virginitatem totam dedicationem Dei, auroq; & electro lucidiorem, & ebore pulchriorem; serenam, benè alatam, celsicipitem, leuem, splendentẽ supra marmora in Vrbe latifunda cœlesti, & à carne longè habitantem, non instar testudinis trahentis corpus vestigijs pigris*. Quam extrinsecùs pannosam fecerat, & macie arentem, vide quàm pulchrã, & alatã, & splendentem nunc faciat intrinsecùs; quod non videtur, nisi remota nebula, & caligine mundana. egregiè dicit, *Virginitatem celsicipitem*, hoc est alto vertice, non ad terrena prono, & tamẽ ad modestiam, humilitatemq; compositο. Item, *benè alatam*, hoc est non humi repentem, aut testudinis instar pigram, sed ad supera contemplationis alis se librantem. deniquè appellat Virginitatem *totam dedicationem Dei*. Virgo enim tota Dei obsequio addicta esse debet, ac tanquàm dedicatum Deo templum; totam, inquit, non partitam Christo, & carni, vt in amphibijs, quæ partim in terra, partim in aqua viuunt: *Sed Deo mittentem totam mentem; ex Deo autẽ præstantioribus partibus florentem*. Id verò virginitati conuenire hac similitudine docet; quia sicut qui in duplici pagina videre vult literas simul, neutras videt benè; ità mẽs dissipata Deo, & cõiugi. huc spectat, q; sequitur.

Virginitatis splendor, & decus.

Virginitas celsiceps, & alata.

Virginitas tota dedicata Deo, non ex parte.

12 Ostendit Virginitas, se Deo totam esse addictam. hac alia similitudine: *Lapicidæ, aut alij prudentes artifices oculorum alterum claudunt, totam lucem in vnum contrahentes; sic desiderium in vnum veniens Christo melius inhæret*. Huc refero illud Cantic. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa in vno oculorum tuorum*. nàm & sagittarij idem obseruant. Tùm concludit egregiè: *Christum ergò desiderans reliqui cuncta. nequè oculum tacere potui aliò, iucundum autem me vinculum continet, pulchritudinem apprehendentem, totamq; mentem intuentem occupauit. in me autem concussit splendidissimam facem, totamq; pulchram, & lucidam reddidit*. Potest hoc, sicut & alia nonnulla, quæ in hoc tractatu de virginitate continentur, referri ad sanctas virgines, vt Catharinam Senensem, aut Teresiam, ac multò magis ad Deiparam, quæ ex amoris incendio obijt, quod hic ait: *In me autem concussit splendidissimam facem*. & quia Teresia ex voto se obstrinxit de maiori Dei gloria spectanda, prætereà subiungitur: *Neque oculum tacere potui aliò. iucundum autem me vinculum continet, &c*. votum, inquã illud intellige. Ad eandem item Teresiam pulchrè referri potest, quod addit: *Si feriat tuam mentem Christus desuper sagitta, intellige quàm dulcis sit stimulus*. nempè in ore ipsius Teresiæ hæc vox hortantis aptissimè ponitur, quæ per visum ab Angelo aurea diuini amoris sagitta percussa est, vt in persona sponsæ diceret: *Vulnerata charitate ego sum*.

Alter oculus terrenis claudẽdus, & tota videndi vis contendæ ad supera.

Christus las stimus cordis.

13 De passionum freno sic: *Temperãtiæ adiumentum rationem posui, veluti leo quidam leuioribus feris insistit*. Vide quã generosa sit virginitas. ferunt ad leonis rugientis vocem bestias omnes, quæ in silua sunt, exhorrescere: sic virgo procis sit terribilis, nè accedere audeant. hinc puto factum, vt sanctæ virgines à Tyrannis in lupanar coniectæ, leonis aductu, & custodia, procos in fugam coniecerint.

Virginitas generosa, leonis more sit procis metuenda.

14 Muliebris suus ornatus qui sit, Virginitas ipsamet docet, coniugatam alloquens: *Tibi mollia vestimenta, ego vestimentũ fero aureis excusum texturis, Christum, animi occultum, & pulcherrimum ornatum*. nempè hoc illud est, quod ait Apostolus: *Induimini Dominum nostrum Iesum Christum*. Addit: *Pretiosum tibi est aurum, mihi puluis, lectulus, cespes, & lacrymis madens humus*. Tùm mala connubij enumerat. sæpè malus maritus contigit. quid quod *venalis vxor marito*? pretium scilicèt dotis magis, quàm vel forma, vel mores spectantur. Ad hæc *sæpè & in nouum coniugium venit Parca: thalamus*

Virginitas comendãda cũ coniugio de statu vitæ præstantiore.

mus sit sepultura. alius facem accendit nuptialem, extinguit alius. elegantèr dictũ. addo, vix accensis nuptialibus tædis, sępè his extinctis superuenire more veterum sepulchrales. Prætereà, inquit: *Taceo partus sæcula, & filiorum sepulchra antequàm pariant, & antiquiores partu mortes, & errilunia, &c.* scilicèt Dianam obstetricē ideò cum sagittis finxerunt, quia eadem, quæ Lucina, cui cura partus. & illud acutè dictum, sæpè vterum maternum verti in sepulchrum, videlicèt infante mortuo, nondùm mensibus statis maturo, vel per abortum.

Coniugij incõmoda.

15 Non ideò virginitatem illaudabilem ait, quia nonnulli labuntur: *Cum cecidisset Lucifer, cœlestibus permansit sua gloria. mare nauigatur, licet aliqui naufragentur.* Quod autem objicitur, viros sanctos ex nuptijs natos, ergò nuptiæ sãctiores, respondet: At qui præstant inter omnes sanctos, virgines sunt, vt Christus, & eius mater. ac pulchrè subiũgit: *Etiam ex arena existit aurum, sed hoc magnoperè excellens.* acutè arguit. ac vide quantũ præstet virginitas coniugio, quantum aurum arena. deniquè: *Iniugatio Deo similes facit.* quod certè omniũ prętãtissimũ est.

Virginitas præstat cõiugio vt aurum arenæ.

16 Vbi hæc Virginitas disputauit, cõiugatos ipsos facit arbitros litis; qui, *Licet coniugati, tamen coronabunt caput virginitatis. Christus autem dans præmium, & virginibus, & coniugatis, illas dextera adstituat, has læua.* Vide quanta dignitas, nã dicitur: *Adstitit regina à dextris tuis.* item: *Læua eius sub capite meo, & dextera eius amplexabitur me.* verba sunt sponsæ in persona Ecclesiæ: amplexus ad virgines refertur; cõiugium ob infirmitatem, quasi læua sustentat. quid autem excellentiùs, quàm vt ipsum connubium vinci se sentiens, cedat, & corollam imponat Virginitati? *Licet coniugati, tamen coronabunt Virginitatem.*

Virginitas ad Christi dexteram, connubium ad sinistrã.

Ex documentis ad Virgines.

1 MOnet de sui custodia: *Caue, nè te mens vulneret superuolantem motibus.* Nempè anima pennigera, & volucris fertur in Cœlum tanquàm auis per contemplationem. motus autem passionum tanquàm sagittæ sunt; anceps verò mens liberioribus cogitationibus incautam animam tanquàm telis confixam in terram deprimit.

Custodia sensuum.

2 Hoc ad humilitatē pertinet: *Animaduerte, non supra quos, sed infra quos stas. Cœlum latum desuper, tu verò humi extolleris?* Rectè monet, nos in Mundi centro iacemus, supra nos Cœli, & Angeli penè infiniti: quid ergò extollimur?

Humilis cogitat non super quos, sed infra quos sit.

3 Mundanos decipi, lepida, & eleganti narratione ostendit: *Audiui, quod piscibus in aqua videntur Luna, Sol, & astra, simulacra tantùm intuentibus; nunquàm enim è fluctibus extulerunt se, vt veros splendores viderent. ità quidam, qui non veram magni Regis videre celsitudinem, habere se illam existimant.* Audiui, inquit, loquitur ex vulgi existimatione. pisces videntes in aquis imaginem Solis, Lunæ, ac siderum tanquàm in speculo, putant esse vera, & ideò non curant efferre caput ex aquis, vt hæc in Cœlo, vbi verè sunt, aspiciant. ità mundani delectantur imaginibus vanis, huius vitæ honore, diuitijs, &c. cum nequè veri honores hi sint, neq; veræ opes, quæ beatum faciant.

Mundana vmbratiles tãtum imagines verã sunt.

4 De studio perfectionis sic: *Contende in pluribus gradibus; nàm statio pessimum est; quousq; te in vltimum gradum Christus ad se adducat.* Rectè ait, cõsistere, nec progredi, religiosis maximè detrimento esse.

Ad perfectionem semper cõtendum.

5 Custodiam rursùs commendat sensuum: *Virgo sis, & auribus, & oculis, & lingua. oculi velut in thalamo sint; & aures quidem pennata, solis bonis sermonibus; labra verò calycibus similia.* Tria hæc pulchrè dicta, quia enim oculi pupilla dicitur græcè, κόρη, idest virgo, ideò tanquàm in thalamo Christi sint pudico. aures autem pennatas esse debere ait, vt sermones audiant, non de imis, ac terrenis, sed quæ attollant ad supera, vel quæ sermones parum pudicos protinus fugiant. linguam verò pudentem esse vult, tanquàm calycem; hoc est rosam cum adhuc folia intrà se continet, quasi pudibunda.

Virginis oculi vt in thalamo, aures pennatę, lingua calyx rosæ.

6 De cõtemptu Mundi muliebris sic: *Margarita alias exornent, & aurum effulgens membris, quarum & picta facies, terrenarum figmenta manuum, imaginis cœlestis aliena, libidinis columnæ fune; mota tabella, mysteria noctis, turpitudines splendentes, sepulchra occultãtia dolorem.* Rectè pictas genas, & totum illum ornatum mulierum vocat, *columnas libidinis*; vbi scilicèt incisæ, & inscriptæ apparent notæ in ipsarum opprobrium. easdem vocat, *motas tabellas, mysteria noctis*, quia coloribus picta simulacra videntur artificiosè se mouere sub tenebris.

Mulieres fucatæ libidinis columnæ, &c.

7 Consortium hominum Virgini interdicit: *Mares omnes fuge, aduentitium maximè; & si auro fueris purior, vel adamante solidior.* Magni ponderis illa vox est, nulli fidendum de virtute propria, in hoc genere castimoniæ: etiam si adamantinus sis, frangi potes, tanta vis est libidinis. nõ sine causa diabolus vocatur: *Malleus vniuersæ terræ.* & si auro purior es, caue, nè aliquando audias: *Quomodò obscuratum est aurum! &c.* Addit de suspicione vitanda: *Aduigila, nè te Momus feriat.* scilicèt

Virgo sit irreprehensibilis etiam ab ipso Momo.

nè

nè reprehendaris in aliquo. sic sponsa laudatur: *Macula non est in te.* legunt alij, Momus. idest nemo in te aliquid censura dignum notare possit. præclara laus. scitum est illud de Momo, qui de omnibus Naturæ operibus aliquid sugillabat, nihil ipse operis agens, inertis somni, ac noctis filius. sed hæc Deiparæ propria laus est, in persona sponsę, vt nec ipsa cōceptio sub Momi censura cadat.

Virginis commerciū solum cum Christo.

8 Virginem totam vult addictam esse Christo: *Despice viros omnes, Christum habens amabilem. pulli enim pullis amici, & cerui ceruis; puro autem pretiosus est purus.* huc facit illud Eccl. *Cerua charissima, & gratissimus hinnulus; vbera eius inebrient te.* Tùm ostendit, quàm errent, qui Christum pro terrenis relinquunt: *Aurea aneis permutas, si splendenti pro vita paruam, & incidentem voluptatem suscepisti.* huc pertinet, quod cum Salomon prætoriam cohortem ornasset clypeis aureis, quibus comitatus incedebat; Roboam posteà, qui successit in regno degener eius filius, pro aureis substituit æneos. itaquè egregio voto sic statuit: *Neq; si mihi dederis auri talenta, & electrum, & domū splendentem, & Alcinoi mensam, Christum desererem.* præclarum sanè propositum; Nero Auream domum appellauit magnificētissimè à se extructā. Homerus Alcinoi regis hortum, & mensam celebrauit. vilescunt hæc præ Christo. Addit: *Nequè si mihi vitam aliam nunquàm senescētē pro præsenti dederis.* mira pietas, immortalitati ipsi anteponit possidere Christum.

Terrena præponere spiritualibus, est æs auro

Alcinoi mensa, & auri possessio vilescit prę Christo

9 Est certè admodùm notādum, quod monet Virgines, quàm periculosum sit virorum consortium: *Sæpè agapes, hoc est charitatis nomine de spiritu venitur ad carnem.* Vide quàm subtilis, & vafer sit diabolus. huc referre possumus illud Apostoli: *Videte, nè, cum cœpissetis spiritu, carne consummemini.* nullo igitur prætextu pietatis id commercium permittendum. agapen vocabāt conuiuiū, quo vnà cōueniebāt, vt beneuolentiā mutuò cōciliarēt.

Virgini cōmercium cum viris, etiam prætextu boni cauendum

10 Pergit piè ostendere, se omnia incommoda laturum, modò Christum possideat: *Panis mihi suspiretur, potus aqua desideretur, & cauernas habeam saxorum domum, aut aliquam fagi latebram, illaboratamq; vitam, & feris similem; vel aliquod apud vestibulum proiectus, pondus terræ viri superbi; pauper, vt Lazarus alius traham vitam molestam, & corpus agrū, &c.* Vide quàm despicienda sint humana omnia ei, qui adhæret Christo, & qualem vitam affectaret Gregorius: scilicet Lazari vlcerosi, proiecti ad fores diuitis.

Paupertas, & incōmoda spontè subeunda, modò Christo potiatur.

11 Exēplo Rechabitarum docet mortificationem amplectēdam; ac Ionatham auctorem eius disciplinæ introducit loquentem, & hortantem ad illud asperę vitæ genus: *Merum, & dulcis potio nunquā sit in vestro gutture, &c. sed Deo viuatis, Deum verò diuitias habentes.* Ad Patriarchas religionum hæc vox pertinet, præsertim vbi peculiare studium est paupertatis, & abstinentiæ.

Hortatio Patriarcharū religionum ad abstinentiam, & paupertatem.

12 Contemptis terrenis, soli Deo spē nostram committendam exemplis ostendit; & vim orationis, ac fidei demonstrat: *Iosue manibus suis extensis Crucem adumbrās trophæum erexit, fides autem obstruxit acies.* Notabile est, quod ait, Iosue oras se expansis in modum Crucis manibus, & ità retulisse trophæa de hoste, quæ item Crucis formam referunt arbori suspensa. tùm nota, cur tantum prodigium secutū sit stantis Solis; ad Crucis videlicet hæsit aspectum; & qui posteà in Cruce pendente Domino quasi ob mœrorē latuit, diéq; minuit; tūc Deum in hoste profligato honoratum videns, auxit diem. illud autem acutè: *Manibus extensis Crucem adumbrans.* adumbratio Crucis lucem auxit, ac duplicauit diem. Sol ipsam Crucis vmbrā veritus, hoc est figuram tantùm.

Iosue victor crucifomes manus ad orādū tendens

13 De Iona sic pulchrè: *Visceribus è medijs eructauit diuinum Ionam bellua maris, qualem susceperat, trium dierum. ò magnum miraculum. fides enim etiam continebatur in visceribus à Propheta* Nota, cur læsus non sit. continebat intra se bellua Ionam, sed Ionas continebat intra se fidem, à qua protegebatur.

Fides Prophetæ Ionā in ventre ceti.

14 Quanta sit vis virginitatis, ostēdit: *Quis Teclam seruauit ex igne, quæ vinxit ferarum iram? quippè magnum miraculum. virginitas & feras sopiuit, neq; sustinuerunt virginis corpus malis inquinare.* Nota, cur belluæ non ausæ sunt tangere virginem, quia erat hominibus intacta, hoc est illibata, & sine viri consortio. hac illa claua domuit monstra.

Teclam intactā à hominibus belluę non ausę tangere

15 Paulum Apostolum sic egregiè cōmendat: *Paulum audisti tanta perferre, & tertij poli in locum ire, & ponere dulcibus in retibus totum Mundum.* Nota, dulce rete vocat prædicationis Euangelicæ; cum potiùs rete immittatur ferè in salsū mare. sed nimirùm de illa piscatione loquens ait: *Lac vobis potum dedi.* & in Deuter. dicitur: *Inundationem maris quasi lac sugent.* de Indiarum certè Apostolo, qui inter cętera miracula hoc egit, vt aquas maris dulces reddiderit, dici potest aptissimè: *Xauerium audisti tanta perferre, & ponere dulcibus in retibus totum Mundum.*

Paulus totū Mundum piscatus dulci reti

Deut. 33.

16 De virtute hæc habet: *Media malorum virtus posita est, vt rosa inter acutas spinas.* Vidēs vitia, etiam quæ delectationem inferre videntur, conscientiæ aculeos spinarum instar infixos habere.

Virtus in medio posita v. rosa inter spinas

17 De tentatione Christi in deserto sic:

sic: *Dolosus aduersarius iussit lapides Christum in cibum mutare, vt indigentem retibus suis caperet.* Egregiè ostendit diabolum in deserto tanquàm aucupem tetendisse Christo retia, nàm de ipso dicitur apud Esaiam: *Quis suscitauit ab Oriente auem?* sed de iustis dicitur: *Frustrà iacitur rete ante oculos pennatorum*. quantò magis de Christo? & vide quid sit tentatio de gula, & de superbia, rete Satanicum.

Diabolus auceps in deserto Christū reti capere conatus.

18 Eleganti similitudine ostendit, Virginem totam Deo addictam esse debere, non partim Deo, partim seculo: *Tota mane Dei, & supra carnem. neq; quemadmodùm in nexi ebori rotundo circulo, hunc quidem dextra continens, alium verò laua paritèr attingens, dimidium quidem Christi, dimidium verò Mundi existens.* Nempè mundani homines *ducunt in bonis dies suos, gaudent ad sonum cithara, &c.* itaq; choreas quasdam instituunt. & vt Christiani videantur, vna manu apprehendunt Christum, quo statim derelicto, altera Mundum apprehendunt. sed hoc ludere est. Christi disciplina seria est, & seuerior.

Quidam vt in chorea modò manum porrigunt Christo, modo hoc relicto, Mundo.

19 Qua ratione sit mens ad superas res excitada, pulchra similitudine docet: *Sicut si quis angusti meatus per fluentum vadens, stridulè, plumbi rotundi in fundis tractu repleto quantum cepit, & ad acclivé vinctum salit, citò coactum retro; sic iubeo, tuum aculeum in mentibus tuis, Christi ex adiutore strictum sursum ferri, &c.* Nempè aqua per angustos euripos, ac tubos expressa sursum salit; sic mens per angustã quasi viam disciplinæ, & carnis pressuras ad suprema conscendit, & fit in iusto: *Fōs aquæ salientis in vitam æternam.*

Mens per angustias ad supera prosilit, vt aquam per euripos.

20 Item ostendit, quantum caro obsit spiritui: *Noli integra naui pelagus secans iniycere remoram carnem, qua nauim comprimat.* Miraris pisciculi remoræ vim tantam? scilicèt quid carne fragilius? tamen cursum quantumuis velocem animę ad Deum in huius vitæ nauigatione impedit. egregiè res declaratur. sed quod peius est, nos ipsi inijcimus hanc remorã, dùm carnis desiderijs obtemperamus.

Caro remora est animæ, ceù nauis.

21 Perleuis quoq; peccati damna recenset: *Quisquis excepit radicem, vel leuis mali, è radice multifida rami hinc indè funduntur. & calculum, stantem in aquam ruens, continuò confudit totum pulchrum fontem multis circulis agitatum à centro semper super coeuntibus.* Vtraquè similitudo præclarè rem explicat. parua radix infructuosæ, vel etiam noxiæ arboris mox fibras multas efficit, quibus adhæret firmius terræ; tum è trunco rami latè pullulant multi; surgit in cacumen. Item limpidus sit fontis alueus, & pellucidus; inijcis tu lapillum, hic circulum facit primum; indè alij, & alij innumeri sequuntur grandiores semper, & latiores. ità accidet, si radicem malam, vel leuis peccati plantaueris, aut limpidam conscientiam, & puram parum turbaueris. Affert etiam exēplum Vrbis, cuius si muri partem hostis ceperit, murali corona victor gaudet, & statim penetrans strages faciet. adeò nec leuis peccati aditus dandus.

Leue peccatū vt calculus in aquā cadēs multos circulos facit. & vt radix in multos ramos funditur.

22 Commercium Virgini seuerè interdicit: *Virginibus pudor inter plures prohibit. nec decet Virginem ad sacra loca festinarè cum leuioribus viris. domesticus est omnibus Christus, & harens in corde amātium.* Vide quã non egeat consortio aliorum ad solatium, qui habet Christum, & hunc in corde hærentem. quid iucundius eius colloquio, qui est Verbum Patris?

Virginalis pudor inter plures sociatus hæret.

23 Est hæc Sacerdotij præclara laus: *Primùm Deum venerare, deindè Sacerdotem Christum terrestrem, vitæ ducem tuæ. alijs mortua sis omnibus.* Vide quàm pudicam, & sanctimoniæ plenam vitam agere debeat Sacerdos, hoc est, vt quidã Christus terrestris sit, vt Christum referat moribus, quem ore conficit. sit alijs exemplum, hoc est *dux vitæ*.

Sacerdos terrestris Christus, & alijs dux vitæ.

24 De periculis huius vitæ circa castitatem præcipuè sic monet: *Sine lapsu viuere difficile est: carbones sunt pedibus, & super latentia retia semper incedis.* Nota præsertim contra mulieres, quæ auratis cothurnis incedere gestiunt; nec aduertunt, se super carbones, & prunas incedere, & laqueos esse suppositos. Cęterùm omnibus datum putemus illud Ecclesiastæ monitum, qui cum præcepta de castimonia dedisset: *Virginem ne conspicito, nè fortè scandalizeris, &c.* mox subiungit: *Scito, quia in medio laqueorum ingredieris, & super dolentium arma ambulabis.*

Multa pericula castitatis vt laquei sub strati pedibus.

25 Virginitatis votum frangere quantum nefas sit, ostendit: *Virginitatem Christo regi polliceri, ac deindè nubere, non solùm iactura est, sed maximus casus, & turpitudo infinita. vt si quis in monte abrupto, quē pluribus laboribus conscendit, aurum effodiens, repentè corruat.* Egregia sanè similitudo. estq; contra eos, qui rescissis votis ad sæculum transeunt, quod non de apostatis tantùm intelligo, sed de ijs, qui è Societate nostra ex permissione dimissi sunt suo vitio, & posteà matrimonio statim iungūtur quod licet ratū sit, tamē *nō solū iactura est*, bonorum scilicet cœlestium intrà religionem, *sed maximus casus*; ex alto videlicet perfectionis statu; *& turpitudo infinita*; ob scandalū videlicet, quod toti Ciuitati datur. pulchrum autem admodùm est, quod statum religiosum ob altitudinem perfectionis, monti comparat, in quo sint aurifodinæ. nempè iuxtà illud Iob: *Locus sapphiri lapides eius, & glebæ illius aurum.* religiosi hoc agunt bene-

Votum castitatis frāgere, turpitudo est infinita.

Religio mons aurifodinis abundans.

ope-

operando, siquidem velut aurũ effodiunt, cum labore quidem, sed lucro immenso. at quid miserius, quàm si quis auro egerẽdo occupatus, quia dormitans, vel incautior est, de mõtis supercilio agatur in pręceps, vel ipsa, quam fodit, terra obruatur?

26 Damnum, quod incesta Virgo, vel religiosus malus infert cõmunitati, ostendit exemplo Achan: *Linguam auream præter mentem Ducis, vestemque, pecuniã, quæ parum rapiens, vniuerso obfuit populo. talis virginitas retrocedens, aut deterior.* Ego hoc ipsum furtum Achan etiam ad tria vota referri posse puto; contra quæ cum fit, magnum toti religiosorum conuentui damnum infertur, irato Deo. nàm aurea lingua, siuè vt alij legunt, regula, cõtra obedientiam est: cum videlicet damus aures ijs, quæ Mundus, velut aurea lingua, vel regula dictat suis, dicens: Cura vt sis in pretio apud omnes, noli te alteri subijcere. pallium autem coccineum opponitur vesti castitatis, quæ byssina, & cãdidissima est; coccus autem ob igneum colorem significat peccata libidinis, vt ait Rupertus, & Hieronymus. vndè illud: *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, velut nix dealbabuntur.* vbi cocco, idest igneæ libidini nix opponitur castitatis. pecuniæ deniquè surreptio apertè paupertatis votum destruit.

Virginis, & religiosi peccatum toti cõmunitati officit, vt furtũ Achan.

27 Parentes præclarè monet, quomodò circa filias virgines se gerere debeant: *Parentum in manibus, & probrum est, & gloria bona virginum. nemo virginem inuitam ducat ad lectulum, & cubile, prebendentem Christum. polypum ex cubili saxi acetabulis tenentem, aut auem aliquam cãtatricem à structo nido. sed statues promptè Christo pulchram sponsam, aut puerũ, vt Anna, sacratiorem omnibus primitijs, & aristarum, & racemorum.* Rectè ait in manibus parentum positum esse, vel dedecus filiæ virginis, si à Christo sponso auellant, vel decus, si ei coniungi sinant. ac pulchrè comparat virginem adhærentem Christo, & auelli nolentem polypo, saxo acetabulis fortitèr affixo; & orationi, psalmodiæq; deditam, lusciniæ in nido canenti. deniquè parentes, sicut non debent virginitatis statum impedire si velint; ità nec ad eum cogere, si nolint: *Neq; cupientem virum cohibe puellam, neq; barentem Deo in viri domum impelle.* primum autem sic vrget. Si statueris, inquit, omninò filiam viro iungere; *Virgo autem abs te fugiens ad Christum ascenderit, velut olim Iustitia, timeo nè succenseat Deus.* elegans admodùm hæc similitudo est de Astręa, eadem, quæ Iustitia, & Virgo, quæ vnum in Zodiaco signum constituit. sicut enim illa, vt aiunt, exosa terras, quas impijs, & prauis moribus inquinatas videbat, impetratis alis se sursum librauit, & inter stellas locum tenet. ità virgo quælibet videns quanta sit huius sæculi prauitas, fugiens Deo se dedicat, & per cœlestem conuersationem, quasi alis assumptis, ad supera contendit.

Educatio virginis quam cautè parentibus curanda.

Parentes auocantes filias à Christi thalamo taxantur.

Virgo adhærere debet Christo v. polypus saxo, & auis nido.

Virgo vt Astręa è sęculo euolãs.

28 Per charitatem, & mortificationẽ acquiri veram vitam ostendit: *Sicut phœnicem fama est morientem iuuenescere in igne, productam multorum annorum post circulum veteris pulueris, externam prolem sese generantem. sic iusti morientes semper viui existunt, incensi ignito desiderio Christi regis.* Pulchrè hoc pertinet ad renouationem spiritus, & votorum, vbi per mortificationem tanquàm per ignem in puluerem, & cinerem resoluti, phœnicis instar renascimur, & iuuenescimus in nouam vitam; & feruore concepto diuinis amoris reuiuiscimus. referri idem potest ad Deiparam, quæ mortua est, *incensa ignito desiderio Christi regis.* & veluti phœnix mox reuiuixit: quod ex parte contigit alijs Sanctis, iuxta illud Iob ex 70: *In nidulo meo moriar, & sicut phœnix multiplicabo dies.* quod hìc ait: *Iusti morientes semper viui existunt.* quod Paulus dixit etiam de mortificatione: *Quasi morientes, & ecce viuimus.* vbi nota illud, quasi, de morte tantùm dici, nec ait, & ecce quasi viuimus; nàm iusti non est propriè mors, quæ posita est in peccato. sed impropriè; vita autem propriè.

Vitalis mors iusti ceu phœnicis.

Iob.

29 Per elegantes similitudines, & exẽpla ostendit non esse desperandum de victoria carnis, quasi incorrigibilis sit, nec possit spiritui subijci; cum multa sint in natura mira, & præter consuetudinem: Nàm *turtur viduus non recipit alium coniugem, &c. prætereà tempus amoris est omnibus animantibus aereis, marinis, & terrestribus. neq; extra effundunt termini desiderium: & tu si volueris, carnis legem deuinces cedens rationi, sicut igni æs: nàm si ratio non est carnis domina, vt me deificauit imago, quid plus habet homo, quàm bruta?* Egregiè indicat, rationem esse velut ignem, tùm ob splendorem intelligentiæ, tùm ob vim, & efficaciam domandi omnia. itaquè etiam si obdurata in malo proposito sit voluntas, & caro resistat, rationi cedet, & tanquàm æs in igne conflatum euadet in pulcherrimum simulacrum virtutis.

Sicut igni cedit æs, sic & rationi sensus cedit.

30 Pergit ostendere, licet videatur difficile, vt caro subijciatur spiritui, tamẽ id fieri posse, sicut multa alia sunt in natura præter communem consuetudinem. quis enim enumeret rerum miracula? *Ludit enim ratio alta in speciebus omnimodis, vt vult, Mũdum totum hinc indè.* pulchrè huc pertinet locus ille de diuina sapientia, quæ ait: *Cum eo eram cuncta componẽs,*

Quędam in natura mira, & insueta.

&

& delectabar per singulos dies, ludens in Orbe terrarum. Quis autem ille lusus, & quàm iucundus, & grauis simul? nempè quæ in natura constituit extra ordinem insificata, ac mira, & quandoq; ex oppositis nexa: *sed tamen fluuius amarum transeat sal, neq; admiscetur aqua: nautæ autem è mari dulcem potum aquantur, ac trahunt*. Arethusa subtus mare decurrens dulces aquas non confundit cū salsis. nautæ etiam in profundo maris dulces inueniunt aquas, vel per artem cereis vasculis. Addit semen, quod in serendo tetigit cornu bouis, nunquàm mollescere; cuius ratio ignota. sunt & aues, quæ discunt loqui. præterea: *Vide super leonis dorsum magistrum confidentem. fera autem robur edomabat manu, atque hic quidem aurigabatur: ducebatur autem fremens fera, iaciens pestiferum anhelitum, & suo blandiebatur regi. ad hæc Indus puer paruo stimulo agit elephantum ingentē belluam, mouens quasi nauim robustam corpus: & tu feris tributis plusquam hominibus? quomodò sic lædis figmentum Dei? quis odit tātum suum genus?* rectè arguit. nunquid caro efferatior est, quàm leo, vel elephantus? & tamen hi domantur, quidni passiones quoque? iuxtà illud: *Bestiæ pacificæ erunt tibi*. quod quàm facilè per gratiam fieri possit, docuit Esaias dicens: *Leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. vitulus, & vrsus pascentur, & leo quasi bos comedet paleas*. pulchrè referri hoc potest ad S. Thomam Aquinatem, & nostrū Aloysium Gonzagam, qui à pueritia domitos habuere sensiles corporis motus; & elegantèr describi possunt, vt ille insidens leoni, & aurigando regens; esto igitur caro veluti pardus, vrsus, leo; vis tamen gratiæ per Christi aduentum data efficiet, vt mitescat, vnà cum spiritu consensum habens. *& leo quasi bos comedet paleas*. cum scilicet caro superbiam, & ferociam deponet, considerans, quod *omnis caro fœnum*. Quod autem de semine ait, quod incidens in cornu bouis durescat, nec progerminet, mysticè referrem ad eos, qui durè arguendo alios corrigere volunt, nā id sine fructu est; sicut cornu durissima pars est bouis. Deniquè cum docuisset Gregorius per exempla naturæ, carnem multò faciliùs per gratiam posse subiici spiritui, ac proindè non esse metuendum virgini nè non possit ei resistere: tandem rectè ait. si timor, & difficultas te deterret à virginitate, cur non potiùs te terrēt tot, ac tanta incommoda, & molestiæ, quæ sunt in coniugio?

Caro potest domari, & spiritui subiici per gratiam Christi.

Cap. 11.

31 Elegantèr admodùm virginitatis decus describit: *Virgo sit margarita inter lapillos. Lucifer inter lumina. columba inter alites. oliua in nemoribus. lilium in campis*. Vide quantum excellat Virgo cęteris, qui virgines non sunt: quantum scilicèt præcellit margarita cęteris vilibus lapillis; quantum columba cādida, & simplex, aut nigris coruis, aut rapacibus auibus. quantum oliua siluestribus arboribus. quantum lilium eminet cęteris floribus campestribus. tales fuerunt Catharina Senensis, Teresia, &c. & multò magis Deipara, cunctis, etiam Virginibus longè præcellens.

Virginitas margarita, ... ba... Luci... ... &c.

32 Virginem hortatur ad amorem sponsi Christi, relictis, & abiectis omnibus mundanis illecebris: *Virgo ornatum omnem, & iucunda vita repellens, Christū propè consistas splendentem, & manu manuri capiens, tuum age intrà cubiculum benè odoratum, & vnguentis cœlestibus commiscens vnguentum tuum, Christum habeas formæ gloriosæ amatorem*. Pulchrè hoc ad Virginem, præsertim cum Eucharistiam accipit, pertinet. tunc enim quasi manu capiens splendentem sponsum in cubile cordis, deuotionis vnguento redolens introducit. & cum Christus vnctus dicatur à Patre diuinitatis fragrantissimo vnguēto; vndè & eius nomē vnguentū dicitur effusum: fiet immensa quædam suauitas odoris ex Christi diuinitate, & deuotione sponsæ simul spirante.

Christus à Virgine introducēdus in thalamū odoratum cordis.

Eucharistia non sine deuotionis vnguento sumenda

33 Pulchrè, elegantèrq; describit spiritales nuptias inter Christum, & Virginem ipsi dicatam: *Christus aperiens velum, & admiratus illustrem, pulcherrimā sponsam, margaritis ornatam, in throno benè sedentem, celsicipitem, coronabit gratijs semper carentibus caput, & statuet craterem meri iucundè spirantis. Agite amici, canamus pueri, puellæq; ad Dei nuptias faces accendentes, diuini imitamenta luminis, inextinguibiles. Tu propitia nobis sis sancta Trinitas, in vnum veniens ex vno, oculis nunc sublucens illustribus, posteà clarior, quibus splendidissimi vnus Deus ex genitore per Filium in magnum Spiritum*. Rectè Trinitatem inuocat in virgineo sponsalitio; quia vt alibi dixit, Trinitas est prima virgo ob imparem numerum personarum, &c. & idcircò, vti reor, accendi vult ad spiritales has nuptias: *faces inextinguibiles, diuini luminis imitamenta*, græcè μιμήματα: & egregiè dicitur hæc Trinitas in hac vita per fidem: *sublucens nūc oculis illustribus*, in altera verò apertè videbitur, sicut est, ac semper fuit; *posteà clarior, quibus splendidissimi vnus Deus, &c.* Deindè vide quid sit, Virginem Christo dicari, nempè quasi reginam inaugurari, regiè indui, atquè sublimem in throno collocari, & spiritali poculo repleri cœlestium consolationum. porrò hæc verba ad Deiparæ assumptionem multò æquius pulchrè referri possunt, cum videlicèt:

In Virginis cū Christo sponsalitio, cur Trinitas inuocanda.

Christus aperiens velum, quo per mortem tectum erat: *& admiratus illustrem, pulcherrimam sponsam, margaritis ornatam, in throno benè sedentem, celsicipitem, coronauit gratijs semper virentibus caput, & flauit craterem meri iucundè spirantis.* græcè ὑψικάρηνον. est altum caput habens: quid autem sublimius Dei matre? cinctum autem caput habet non floribus, qui arescunt, sed *gratijs semper virentibus.* itaquè dicam cũ Apostolo: *Procedamus ad thronum gratiæ eius, &c.* ad has nuptias nos more veterum, tædas, ac faces inextinguibiles perfectæ charitatis accendere par est. crater autem ille meri iucundè spirantis, quem Christus ipse matri propinat, quid aliud est nisi diuini nectaris immensa suauitas, qua repletur? certè in Cãticis dicitur: *Vmbilicus tuus, crater tornatilis, nunquàm indigens poculis*, Epithalamium autem canentes, tædasq; lucidissimas præferẽtes, qui sunt, nisi Virgines? lãpades aũt inextinguibiles præferẽtes Angelici spiritus? De quibus dicitur: *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos flammam ignis.* Dicamus igitur cum Gregorio: *Agite, amici, canamus pueri, puellaque ad Dei nuptias, &c.*

Deiparę assumptio in gloriam.

Ex Carmine de luctu Animæ

Anima Sacerdos est cœlestis ascensus.

1 DOlet, se ex Christi Incarnatione non profecisse: *Sed ego non seruaui mysteria gloriosa, Sacerdotem habens animam cœlestis ascensus; sed infra grauat me pulueris crassities.* Pulchrè animam vocat *Sacerdotem cœlestis ascensus.* græcè μύστην, quasi habẽs sit pro Cœlo templũ, & aram, eò se efferat, hostiamq; Deo offerat.

Ira nudum malum.

2 De impotenti iræ affectu sic: *Ira nudum malum, quæ maximè efferuescens mẽte demouet.* Quod ait, nudum malum, græcè est γυμνὸν metaphora ducta à re gymnica, hoc est ab athletis, qui nudi in certamen descendunt, ac toto impetu in aduersarium, hoc est in antagonistam feruntur. talis est impetus iræ, spoliat se omni humanitate.

Fomes tumultus est inquietus belli.

3 Elegantèr describit pugnam corporis, & spiritus; & partis superioris, & inferioris: *Quæ lex mihi? neq; enim sum mẽs, neq; puluis totus, ex ambobus mistus; quare & belli fero tumultum semper inquietum.* Non mirum, si in campum, vt dicitur, pulueremq; descendat ad pugnam, cum ex puluere constet; ac vide quomodò fomitem vocet, *belli tumultum semper inquietum.* felix Aloysius noster Gonzaga, qui ita cum domuit, vt minimè strepitum sentiret. potest autem pulchrè cõqueri quisque nostrũm, iuxtà id, quod addit: *Imago sum Dei, & trahor in malum, præstantiori parte aduersante inferiore non piè.* Tùm in hoc bello pro auxiliaribus copijs Dei gratiam præsto esse ostendit: *Pugnantibus autem his superuenit Spiritus Dei magni, & menti porrexit manũ, corporis difficilis soluens pugnam, & æstum insurgentem affectuum sopiens*, pulchrè admodùm de sancto Spiritu, porrigente veluti manum, & adiuuante ad pugnam. est igitur gratia bellatrix velut Amazon, porrecta manu arma suppeditans, & mecum vnà depugnans.

Dei Spiritus porrigit manum in bello periclitanti.

4 De peccati originalis damno lamẽtatur: *Mens seruitutem dolet grauem, vt primi parentis errorem, & matris fraudẽ, & obliqui Draconis sanguinem appetentis mendacium, & gustum perniciosum, & Mortis portas, & è paradiso eiectionẽ turpem.* Vide inferni Draconis sitim inexplebilem de nostro sanguine: equidem nõ facilè adducor, vt credam, ab illo etiam Deiparæ sanguinem tetro ore per originale peccatum haustum; imò nec delibatum, scilicèt ex quo sanguine Deus ipse sibi deindè corpusculũ efformauit. Quod aũt idẽ peccatũ vocat *portas Mortis.* Deipara facta est nobis potiùs Cœli ianua.

Originale Peccatum, Porta mortis, & Draconis morsus.

5 Piè Deum precatur, & pulchrè circa ea, quæ dicit: *Supplico pro anima, et corpore, non puluere grauatam animam in terram ruere velut plumbeã massam. Spiritui autem alato, & imagini puluerem cedere, vitio liquescente velut cera igni.* Nota, nàm iniquitas apud Zachariam, vt mulier in amphora sedet: *Et ecce talentum plumbi portabatur, & immisit massam plũbeam in os eius.* nempè iniquitas graue secum fert onus peccati, quod excusare non valet, plumbo videlicèt infuso ori. hinc de conuiua malo in Euangelio reprehenso dicitur: *At ille obmutuit.* spiritus contra alatus est, ad supera se extollit, & alæ eius natiuæ, atq; vitales sunt, non adscititiæ, vt illæ, quas Icarus gestasse dicitur; quamobrem cera calore Solis liquefacta turpitèr cecidit. nàm & vitium vult alatum videri, vel per superbiam, vel per hypocrisin; sed mox corruit. huc videtur Gregorius spectasse, dùm cupit: *Spiritui alato puluerem cedere, vitio liquescente velut cera igni.* Zach.

Anima alata est, nisi plumbeo corpore deprimatur.

6 Carnem domari iubet: *Carnis robur veluti feram infidissimam validis vinculis cõtineto.* Belluam vocat carnem, ob vim, quam infert spiritui; & infidissimam, quia blandam se simulat. tu nè illi cedas, sed perpetuis cõstrictam catenis teneto. hinc illa ferrea vincula, quibus Sãcti soliti carnem domare. adde ieiunia: *ventri claustra pono.* græcè κλεῖθρα, repagula, vectes, seras; nàm & hæc famelica, & inexplebilis bellua est.

Caro vti immanis bellua catenis constricta teneri debet.

7 Ostendit quàm alienam à commodis

dis vitam ageret. Gaudeant, inquit, alij alijs vitæ oblectamētis: *Ego mortuus sum vitæ. fugio & vrbes, & homines. cum feris, & cautibus versor, habitans asperam scissuram solitudinis, excalceatus, sine domicilio, spe sola viuens. vestis saccus, & puluis, in solo lacrymis madens, &c.* Væ nobis religiosis, quibus sub prætextu literarij laboris commoda placent. en hic tantus, ac tàm præclarus Doctor, itemq; Antistes tàm egregiè scripsit excalceatus, sacco indutus, intrà lapidis scissuram, procul ab omnibus, spe sola viuens. illa verò vox digna, quæ semper in ore sit: *Ego mortuus sū vitæ.* huc spectant sequentia.

Mirum quā asperā vitā degeret Gregorius quasi mortuus vitæ.

8 Describit asperrimum viuendi genus monachorum sui temporis: *Multi quidem lugent ferreis sub vinculis. alij cinerem habent cibum: alij in hybernis niuibus stant, corde à terra erecto. alius vinxit labra, linguæ imponens habenas, hymnis autem remisit solis, spirantem veluti citharā spiritu pulsatam.* Pulchrè hoc dictum, linguam de Deo loquentem, ipsumq; laudantem esse veluti citharam, quam Spiritus sanctus, qui digitus Dei dicitur, pulset. quàm dulce huiusmodi melos? Tùm adnota dira illa cruciatuum genera spōtè suscepta: solo inter niues abiecti, sed mente in Cœlū erecti erāt. huc refer dirū illū spōtaneum carcerem apud Climacū.

Mira vitæ asperitas in antiquis religiosis.

Religiosi psallentis lingua cithara est Spiritu pulsata.

9 Deplorat ingratitudinem nostram ergà Deum: *Nec legem veremur, quam cordibus nostris impressit splendor sancti Spiritus. nec meminimus, vt regenerati, & è sepulchro exilientes cum Christo gloriam habeamus supernè; & Christi passionibus contraria cogitamus.* Legem charitatis rectè cum splendore impressum dicit in corde à Spiritu sancto; quàm & de veteri lege dicitur: *In manu eius ignea lex.* igitur ideò resplendens, quia digito Dei scripta erat; digitus autem Dei est Spiritus sanctus. restat, vt cor nostrum sit velut tabulæ illæ legis, quæ ex pretioso lapide fuisse feruntur, nempè ex sapphiro. meritò autem dolet, quod obliti sumus baptismi, in quo regenerati, & ipse gloriæ donati, & redēptionis per Christi Crucem. at nos potiùs commoda quærimus: *Christi passionibus contraria cogitamus.*

Lex cum splendore à Spiritu in corde nostro inscripta.

Ingratitudo cōtraria Christi passioni cogitando propria cōmoda.

10 Ostendit curam, quam de sua educatione parentes habuerunt: *Me Christus primum matri donum dedit, & à parentibus accepit donum. mihi parentes mentem pingebāt, neq; malis coloribus, sed virtutis bona discentis. etenim omnibus admirandi erant ob pietatem, parùm quidem spirantes in terra carnis necessitate, maiorem autem vitæ partem degentes supernè.* Nota primò, nè quasi aliquid magnum se egisse parētes putent, cum filium Deo dono dant; nàm & filios habere donum Dei est, præsertim si tales sint, vt procliues ad bonū sint, & Deo dicari gaudeant. illud autem pulchrè admodùm dicit, parentes quasi pictores esse, qui in filijs quasi tabulis pro ea educatione, qua illos instituunt, aut egregiam, aut turpem formā effingant: nempè colores mores sunt. pietas autem in parentibus ipsis requiritur, vt eam transfundant in filios. deniq; nota in coniugatis ipsis quanta possit inesse virtus, vt vix hæreant terræ, ac maiore sui parte Cœlo. talis Borgias noster fuit adhuc Candiæ Dux, & purpuratus regis.

Parentes quasi boni pictores in filijs educandis.

Parentes filios Deo dicare conueniet.

Mira sāctitas etiam in coniugatis, vt Gregorij parentibus.

11 Præclarum, ac mirum visum sibi oblatum narrat: *Tale somnium traxit me in desiderium incorruptionis. Duæ mihi visæ splendidæ Virgines, ambæ formosæ, & æquales. non aurum collum exornabat, nequè hyacintus, neq; habebant Serum textura, neq; pictis palpebris oculum refulgentem, &c. cingulo quidem bis pulchræ stringebatur vestis vsq; ad talos, genæ obtectæ, in humum deiecta lumina, pudoris in vtraque decēs erat, pulcher rubor. silentio clausa labra velut roscidis in calycibus rosa. altera Agnia, idest Castitas vocabatur, altera Sophrosine, idest Temperantia.* Graphicè rem, venustèq; describit; præclarius multò fuit hoc visum, quàm quod fingunt oblatum Herculi adolescenti in biuio, duarum item mulierum; sed quarum vna honesta, & pudens esset, hoc est Virtus; altera contra tota illecebrosa, idest Voluptas, ac pro se quæq; conaretur ipsum ad se allicere. at in hoc Gregorij viso vtraq; virgo honestissima. Castitas videlicet, & Temperantia. indicat autem per elegantem hypotyposim, & ethopeiam, qualis habitus debeat esse virginis, quàm compositus ad modestiam: *Genæ obtectæ, humi deiecta lumina.* sed præcipuè pulchra est illa metaphora: *Silentio clausa labra velut roscidis in calycibus rosa.* calyx vocatur, cum nondùm rosa se tota aperuit, sed clausum adhùc continet decus folliculis, aliquid tamen purpuræ emicans, quasi virgineum præfert pudorem. Quod autē ait de vestis cingulo; hoc scilicet castitatis cingulo puto S. Thomam Aquinatem adolescentem post illam de impuro scorto victoriam fuisse ab Angelo præcinctū. Deniquè cogita quantæ puritatis esset Gregorius, qui noctu, atq; in somnis, cum variæ libidinis laruæ, vel in iustis solent illudere, ipsi Castitas, & Temperantia obuersaretur, idq; magno cum fructu.

Castitas, & Teperantia virginis habitus per visum obiectæ Greg.

Habitus Castitatis, & Temp. quàm decēs, & modestus.

12 Exponit, quid cum ipso ambæ hæ Virtutes locutæ sint: *Christo regi assistimus, ac delectamur pulchritudine cœlestiū iniugatorum. tu misce te tuam mentem nostris mentibus, & facem facibus, vt te splēdentem per æthera ad ferentes statuamus apud lucem Sanctæ Trinitatis immortalis.*

Prosopopea Castitatis, & Temp. alloquentium Gregorium.

Tùm eum complexæ, & pudentèr osculatæ in Cœlum reuolarunt. Vide igitur quã præclarus sit status virginum, & religiosorum. iàm nunc immissi sunt Angelicis choris, ac propè Seraph cis, quod indicãt illa verba: *Misceto saltem saltibus.* ac demũ ab ipsis Virtutibus rapientur ad Trinitatis thronum. nempè vt supra probauit; prima virgo Trinitas est, quia ex impari numero.

Virgines cum Seraphim sociantur.

13 Ostendit quem fructum ex eo viso, & collocutione Virtutum perceperit: *Vt siccam stipulam scintilla corripiens, atque intra depascens, splendida continuò flamma parùm primùm, deindè fax eleuata immensa; sic & ego viso incensus primùm cœpi adhærere castis, qui vincula effugère coniugij à Mundo soluti, vt Christum alati simul sequantur regem. hos spei duces habebam.* Vide quantam vim habeat conuersatio, & spiritale colloquium cum religiosis, quos rectè alatos vocat, hoc est à terrenis remotos, & ad supera elatos; qui & alios exemplo monere possint ad eundem perfectionis statum sequendum, vt spei duces. pulchra item metaphora scintillæ crescentis in flammam, ostendit, vt post inspirationem diuinam animus concalescat, ac semper magis, magisq; accèdat ad seruitium Dei.

Religiosi à Mundo liberi alati sequuntur Christum.

Inspiratio ad religionem ceu scintilla excrescit in flammam.

14 De Angelica natura sic pulchrè: *Lucidus primùm Deus magnus; deindè qui eius celso throno adstant, qui primum radiũ Dei puri deferunt, toti lucentes, mortalibus lucem largientes.* Hinc collige, quàm felix sors sit cum his versari, & quã splendidi virtutibus esse debeamus, & puri, vt his consociemur. quod ait, *toti lucentes.* græcè est vno verbo πάμφαες.

Angelica natura tota resplendẽs.

15 De suo statu hæc habet. Alij coniugium ament: *Sed ratio præstantiorem partem ducens, à carne seorsùm posuit, & coercuit à Mundo. vitam autem immortalium ponit illigatam propè.* Vide quàm præclarus sit religiosi status, cui & ratio suffragatur, cum per eum accedat ad incorporearum mentium, hoc est Angelorũ statũ.

Status religiosus Angelico proximus.

16 Pergit de felicitate religiosi status dicere: *Quo me misit desiderium magnanimum? neq; in terra figi humili vestigium imbecillum siuit, sed veluti dulce guttans vel mel, vel lac cum tripudio.* Rectè appellat voluntatem Mundum relinquendi, *desiderium magnanimum.* hinc Christus comparauit cum volente ædificare celsã turrim, & cum rege bellum arduum aggrediente. & vide qualis esse debeat religiosus, quàm sublimis vitæ, *vt in humili terra vestigium imbecillum non figat.* huc spectat, quod Bracmanes olim, dùm orabant, tantùm pedum digitis tangebant terram, quasi sursum contendentes. Tùm cœlestes religiosi consolationes ostendit, quasi in terram introducti melle, & lacte manantem cum spiritali mentis tripudio. græcè est χορεύοντες. hoc est choreas agendo, & χορεῖαι festum erat Athenis choreis nobile. huiusmodi festum semper religiosi celebrant cum iubilo mentis.

Voluntas Mundũ relinquendi desiderium magnanimum est.

Religiosæ vitæ necessaria suauitas & tripudiũ.

17 Addit de eodem proposito Deo seruiendi relicto sæculo: *Omnia creata excutiens, & illecebras, collum sub solida posui Temperantia, quæ me educabat, & in magna gloria augebat.* Vide quàm præclara altricẽ esset nactus Gregorius, Sophrosinen. hoc est Temperantiam. mirũ autem est, quod per collum ei subiectum, & demissum, quasi sub iugo, excreuerit in tàm sublimem gloriam: nempè nihil Dei seruitute præstantius.

Tẽperantia educatrix Gregorij.

18 Inuidiã diaboli ostẽdit ergà iustos: *Non patitur hostis ortos è terra esse cœlestes, ipse excussus è Cœlo.* Huc refer impedimenta tot, quæ opponit, nè quis Deo se dedicet. Addit: *Pro luce induit obscuritatem; quare & obscuris delectatur semper in rebus.* nota in eos, qui non aperiunt cõscientiam superiori. hinc puto dici de illo apud Iob: *Dormit sub secreto calami.* Iob.

Ex Carmine
De huius vitæ miserijs.

1 Deflet mortalium conditionem. Magnis, inquit, premor malis: *Ex quo è matre mea delapsus sum in matrem terram.* Videtur indicare adhuc perseuerasse sua ætate veterem illum morem deponendi humi recens natum infantem, vt Tellurem communem agnosceret matrem, quod & Salomon de se affirmat: *Ego natus in similitèr factam decidi terram; & primam vocem similem omnibus emisi plorans.* at verò Dauid pulchrius de se ait: *In te proiectus sum ex te vtero, de ventre matris meæ Deus meus es tu.* quo ostendit, se Deum habuisse pro communi parente, ac proindè non sibi terrenè, sed diuinè viuendum.

Sap. 7.

Mos veterũ abijcendi natũ infantem in terram quasi communẽ matrem.

2 Tùm de afflictionibus huius vitæ sic: *Christe, in me omnes tua dulcis dextera vacuasti sagittas.* Nempè cum Deus affligit, ex misericordia id agit, vt nos vel corrigat, vel coronet. amaræ sunt sagittæ, sed dulcis dextera, quæ illas iacit.

Deus affligens nos dulcis dexteræ sagittæ.

3 De proposito Christo seruiendi hæc pulchrè habet ad ipsum: *Mentem celsivagam tuæ diuinitati admouens, à carne seorsùm posui. ratio autem mihi dux erat, super omnem æthera incidere aureis pennis.* Vide quàm præclaro consilio, & intentione se Deo dicarit, vt omni scilicet carnis affectu deposito mentem sublimia meditantem ad diuina traduceret; & per con-

Sublimis intẽtio seruiendi Deo penna animæ quasi sit.

contemplationem alas induens aureas ad cœlestia sublimaret: *Mentem celsiuagam diuinitati admouens, à carne seorsùm posui, ratio Crucem super omnem æthera transferret aureis pennis.* hoc consilio ingressi religionem sunt inter cęteros Thomas Aquinas, Bonauentura, & ex nostris Borgias, & Gonzaga. ad quas aureas plumas pertinent illæ psalmi: *Pēna colūba deargētatæ, & posteriora eius in pallore auri.*

4 Mundanorum cupiditatem eleganti metaphora ostendit: *Somniorum pictor desiderium est, lusus multos effingens.* Nēpè ipsi sibi somnia fingunt, chimerica monstra, tanquàm in pictura, exprimunt vanis coloribus, & apparentibus tātùm. quod desiderium sit veluti pictor quidam in tabula cordis, ostendūt illa verba Eccl: *Posuerunt cor suum in similitudinem picturæ.* & vbi in psalmo est: *Transierunt in affectū cordis.* legunt alij, in picturas cordis. & rectè ait de hoc pictore: *Lusus multos effingens.* omnia enim ludibria sunt, & vanitas vanitatum. De pictore quodam ferunt, qui solùm sciret pingere res monstrosas, vt Sphinges, Chimęras, & similia. talis pictor est desiderium mundanorum. phantasmata, ac spectra monstrosa, quæ in somnis accidunt, depingit in corde: *Somniorum pictor desiderium est*, hinc illud Ecclesiast. *Cor tuum phantasias patitur. multos errare fecerunt somnia.*

Mūdanorū desiderium pictor est somniorum

Eccl. 38. Eccl. 34. Psalm. 72.

5 Exaggerat passionis Christi beneficium: *Tibi, Christe, præbeo vitam hanc reliquam, sed miserere parùm adhuc spirantem. nō bonis solùm mortuus es, quippè magnum miraculum. Deus mortalis, sanguine spargens animos nostros, & corpora.* Rectè appellat *magnum miraculum*. quid enim admirabilius, quā quod immortalis Deus sumpto homine dignatum sit oppetere mortem, & tàm acerbam mortem? Vides etiam, vt toti Christi sanguine madeamus, ac proindè toti ei conglutinati esse per charitatem debeamus; consecrata illi tota anima, toto corpore.

Magnū miraculum, mortalis Deus.

Toti madescimus Christi sanguine.

6 Mirum quàm humilitèr de se sētiat: *Tres gloriosissimi sūt publicani, Matthæus magnus; & qui in templo lacrymas reliquit, & Zacchæus post hos. quartus ego sū.* Nota cur publicanus ille abierit iustificatus, nempè reliquit lacrymas suas in templo testes contritionis, ideò securus abijt; non omninò de templo decessit. Inter publicanos Gregorius se enumerat quartum, quē .s. Ecclesia inter græcos Doctores sanctissimos quartum. Pergit item humilitèr de se: *Tres à mortuis lucem inspexere, reguli filia, viduæ filius, è sepulchro autē Lazarus. quartus ego sum.* proh quanta demissio! quā abiectè de se tantus Doctor sētiebat, extremus vel inter publicanos, & peccatores, vel inter cadauera.

Gregorius se, inter mortuos resuscitatos numerat.

Ex Carmine de vitæ stultitia.

1 OStendit quanto desiderio flagret, derelinquendi sæculum: *Vellem columba esse fugiens in solitudinem, & habitare cum feris; hæ enim fideliores hominibus. vellem cum feris vitam trahere, vnū hoc non ferinum, habens diuinitatis gnarā mentem, Cœliuagam.* Pulchrè hoc dictum. quid autem, vel admirabilius, vel præstantius, quàm inclusum latere sub specu, & mente vagari per Cœlum? inter bruta versari, & diuina sapientia impleri? alludere autē videtur ad verba psalmi: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* pulchrè vocat solitarij mentem, *Cœliuagam*. per contemplationē videlicet. mirum autē est, quod tutius se putet viuere inter feras, quā inter homines.

Gregorij ingens desideriū de solitudine

Solitarij mens Cœliuaga.

2 Addit aliud votum sanè præclarum, vt nō modò ipse terrena deserat, sed vniuersum Mundum doceat, quanta sit sæculi vanitas: *Vellem ex aeria specula tonans inclamare. Homines mortales, quousque mendacibus somnijs delusi luditis? hic nuper erat viridis, & fortis; pulcher erat Lucifer, oculos omnium trahens, veris flos in viris. hic certaminibus gloriosus, armis hic martius, nunc curuus, & infirmus: defloruerunt enim omnia; pulchritudo euolauit, &c.* Vide quod agere debeat concionator, quid prædicare, idq; tonando: *βροντῶν*, inquit, multò magis quàm Pericles, qui fulgurare, tonare dictus est in reipublicæ causa. quàm absunt ab his inanes argutię, blandimenta verborum, & blāda verbositas! Deniquè sic de Mundi vanitate satis acutè: *Sceptrigeri, ac superbi solùm suum reliquere nomen in saxis.* nempè cum nullum virtutis specimen ediderint, proptereà quod in mentibus, & ore viuentium hominum sint; solùm ipsorum nomen inuenitur in saxis, hoc est in statuis marmoreis, vel in inscriptionibus sepulchrorum. Addit: *Alij tesseris similes sunt, hinc & indè cadant, tesserarumq; volutationibus oblectamenta habeant.* rectè: quid enim hæc aliud sunt, nisi lusus, & alea quædam vitæ?

Gregorij zelus toti Mūdo prædicandi vanitatem præsentis vitæ.

Mūdanorū post mortē solum nomen remanet in saxis

Ex Carmine De solutione huius vitæ.

1 ELegans est apostrophe ad diuinam Sapientiam: *O Sapientia, tu doces, vndè mihi tantum onus. tu vnguento tuum me luctatorem, & palæstritam vngens, & nudans ad certamen magnum, vt athletæ præmium, & gloriam præstes.* Pulchrè diuinam Sapientiam facit velut alipten, hoc est

Sapientia diuina tanquā aliptes inungens palęstritas, & tanquam agonothetes coronat.

est exercentem munus eius, qui vngebat athletas, & docebat ad luctam. eandem quoque agonotheten facit; cuius munus erat, præmia, hoc est coronas, & palmas victori tribuere. Insignis hic locus est pro themate illo Ecclesiæ in expectatione virginei partus, quod incipit: O sapientia, &c. venit enim Christus vt aliptes, & agonothetes noster, aduersus vitia athletarū more certantes vngens nos, nam ideò Christus dicitur; & præmia æterna constituens; hinc Paulus aiebat: *Bonum certamē certaui, &c. de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quā reddet mihi Dominus.*

2 Huius vitæ vanitatem ostendit: *Vbi verba pennata? in aerem. vbi iuuentutis flos meæ? perijt. gloria autem? abijt obscura. vbi robur, & vigor? morbus inflexit. parentes verò in sepulchra abierunt. vnū autem hoc lugeo, & timeo, tribunal Dei, & fluuios igneos, obscuraq; & grauia barathra.* Scilicèt tàm illustris Doctor Ecclesiæ, & à parentibus adhùc puer Deo dicatus, sanctèq; educatus, gehennam tàm anxiè timet! sed nimirùm hoc est, quod ait Iob: *Columnæ Cœli contremiscunt, & astra non sunt munda in conspectu eius.* itaquè piè concludit: *Christe rex, tu mihi robur, opes, omnia; tibi vtiq; recreem vitā, dolores permutans.*

Vanitas Mundi quanta sit.

Gregorij metus ingens de gehenna

De insomnio templi.

1 VIsum sibi obiectum narrat in Anastasiæ templo à se erecto: *Sedere videbar, sed non superciliis elatus. vtrinque subsidebant senes, ouilis duces, electa ætas, &c. suffectores erant in vestibus clarissimis, stabant Angelici imagines nitoris, populi circumfusi, vt apes. sermo meus erat Trinitas splendens triplicibus pulchritudinibus; voce valida, & spiritus ardentis vnda, &c.* Vide quàm sine fastu sederet in pontificio throno. & quomodò, & quade re concionandum sit, de Trinitate præsertim, sublimissimo argumento, at non ad ostentationem, vt ferè fit, ingenij, sed potiùs ad inflammanda corda charitate in ipsam. Quod ait pulchrè: *Trinitas splendens triplicibus pulchritudinibus.* huc refer illud Eccl. *Sol tripliciter exurens, radios igneos exsufflans; & resplendens.* pulchrè item dicit, Episcopo assidentes repræsentare Angelos; & populum examen apum circa altare, tanquàm alueare, deuotionis mella pangentium.

Episcopo assidentes Angeli, & populus velut apiariū.

Eccl. 40.

Ex Carmine Contra falsos Sacerdotes.

1 FAlsos Sacerdotes taxat elegantibus metaphoris: *Pictor est optimus, qui in tabellis imprimit formas veras spirare visas. non qui colores multos statim imminens pratum pictum ostendit. nauem laudaui, non fucatam, non puppis floribus splendentem; sed quam structoris manus clauis optimè compegit. exercitus martius præstat præ pulchro.* Tres similitudines satis idoneæ ad ostendendum in Sacerdote virtutes inesse debere veras, ac solidas, non apparentes tantùm. Sit, inquit, Sacerdos vt peritissimus pictor, non tàm vana quædam, fucatis coloribus, in corde velut in tabula depingens, quàm egregias formas eminentes, & spirantes, & quasi viuentes. non vt imperitus ille pictor, cui de Veneris pictura, probri loco dictum est: Cum nescires facere pulchram, fecisti auream. Prætereà sit vt nauis institoris portans panē Eucharisticū, nō tā visēda ob floreas corollas marcescentes, quibus de more coronetur, quàm ob architecturam, & artificium. Sit deniquè vt exercitus, non vt ille Darij ad speciem tantùm ornatus aureo thorace, aureis hastis, &c. sed acer, ac strenuus vt ille Alexādri Macedonis. hoc est vitia oppugnet, expugnet.

Cōcionator vt pictor nō fucatas, sed quasi viuas, & spirantes imagines pingens.

Cōcionator vt dux, non tā ornatus, quàm bene armatus.

Ex Carmine ad Episcopos.

1 ELegans planè encomion est eius gradus: *O animarum custodes gloriosi. ò magnum Dei figmentum in manibus vestris ferentes: ò Deum præstantem hominibus in vnum ducentes. ò Mundi fundamenta Sacerdotes vita sine termino splēdida, sedibus insidentes excelsi, Christiferi.* Vide quid agant Episcopi. hominem eximium Dei opus in manibus ferunt. videant quantum sit hoc opus, nec per incuriam sinant de manibus labi: fragile quoad corpus est, sed pretiosum quoad animam. Item ipsorum est Deum conciliare hominibus, nutantem quasi Mundū stabilire; ad hæc vitæ moribus exsplendescere; deniquè Christum ipsum præseferre: quò magis reprehendendi sunt, qui eo statu se reddunt indignos.

Encomium gradus Episcopalis.

Virtutum splendor in Episcopo, & animarū sollicitudo.

2 Episcopalem sedem primò commēdat; tùm dolet in eam etiā indignos ascēdere audere: *Venerandum anteà sapientum sedile, septum optimorum, tribunal hoc Angelicis choris germinans. cancellum medium duorum mundorum, manentis, & prætereuolantis. terminus superorum, & hominum erat antea, cùm erat; nunc verò ridiculum, cum omnibus cursus intrò est, quasi clamante præcone: Huc agite, huc agite audaces, &c. omnibus thronus paratus est.* Vide quantum sanctimoniæ, ac sapiētiæ requirat pontificus thronus, quod videlicèt vocat: *Sedile sapientiæ, septum optimatium, tribunal Angelicis choris germinans,*

Episcopatus ... dignitas.

Ad Episcopatum indignè obrepentes taxantur.

na' t, & cancellum medium duorum mundorum. & meritò quidem sic appellat, cũ ima summis, cœlestia humanis nectat; mediator quippè inter Deum, & homines est Episcopus. cæterùm meliora nunc sũt tempora, nec audacibus aditus est, & indignis, cum ad summos Pontifices spectet electio non sine serio examine. nihil hic de hæreticis loquor, qui impudentèr hæc nomina dignitatum sibi arrogant.

Timor ingens Gregorij circa munus Episcopale.

3 Cum temeritatem reprehendisset eorum, qui audacter se inferebãt, & occupabant indignè sedes pontificias, ostendit quid de se sentiat, quàm timidè tàm sanctum, & præclarum munus subeat: *Verùm ego timeo, Mosis memor gloriosi, qui solus intrà nubem Deum vidit ex aduerso; alios verò iussit sub radicibus manere, purissimos puris in vestibus solùm auscultare diuinam vocem. timeo etiam Aaron filiorum mortem. sacrificos in extero igne, quibus locus sacrificij mortis effectus est; filijs etiam existentibus Aaronis magni; & te Arcam reginam; nàm qui te fundauit manu profana inclinatam, mortuus est statim.* Vide quantum munus Episcopus sustineat, & quàm præcellere debeat cęteris; quasi in alto monte intra nubem solus cum Deo versans, cęteri verò quantumuis purgati infrà ad radices montis Dei vocem cum metu audiunt. rectè item Ecclesiam Episcopalem Arcæ cõparat, quæ & virgam Aaron, hoc est Episcopalem baculum continet, & reginam vocat ob coronam auream, quam Arca habebat.

Diuina indignè tractare quam periculosũ sit.

Ecclesia Episcopalis Arca tabernaculi.

Ex Carmine Ad Vrbem Constantinop.

Romana Vrbis excellentia.

1 Constantinopolitanam Vrbem pulchrè commendat: *O leges, ò reges, ò Constantini iunior Roma, tantùm excellens vrbes, quantum terram Cœlum sidereum.* Multò magis pertinet nunc hæc laus ad Romam, vndè leges fidei manãt; & vbi tot veluti reges quot purpurati. eminens, & præcellẽs est vrbibus cęteris, vt omnium Ecclesiarum metropolis.

Ex Carmine de humana natura, & sui cognitione.

Hominis miseria bis sepulti.

1 Vilem hominis conditionem ostendit: *Quis fui? quis sum? quis ero? non apertè scio. fui in vtero caro, minimè homo; deformitas sine specie, matrem sepulchrum habens; bis sepulti, viuentes ad interitum.* Embryonem indicat. & nota nos in vtero materno tanquàm in sepulchro positos, & vt mox addit, vinctos, quia ob peccatum originale mortui concipimur. ipsa verò anima in corpus tanquàm in sepulchro infoditur, vndè græci simillimis vocabulis corpus σῶμα, sepulchrum verò σῆμα vocant. igitur *bis sepulti* vitam dicimur accipere, sed *viuimus ad interitum*, nàm hunc tertiò ad sepulchrum ducimur. Idem ità egregiè exponit: *Me matris in visceribus vinxisti. qua vita? è sepulchro ruens in sepulchrum vado. è sepulchro autem igni sepeliar atrocitèr.* Indicat aliud quoquè sepulchrum inferni, quod se metuere dicit; nàm de diuite dicitur, *sepultus est in inferno.* Addit de miserijs huius vitæ: *Regionem quandam sine feris audiuimus, vt olim Cretam; mortalium autem nemo iactauit, quod vita laboribus abijt indomitus.* Nullum in Creta insula animal noxium esse ferunt, vbi Iuppiter natus; at in Mundo vbi nascimur non item; vbi tot noxia animalia, quot calamitates, quot vitia, &c.

Creta natalis Iouis caret feris. nõ sic Mundus vbi nascimur.

2 Imaginem Dei, ac similitudinem, qua formati sumus, in memoriam reuocat, vt ea digni viuamus: *O anima: equidem spiratio Dei es, & sors. non conuenit, puri sordidam esse, neq; parùm; neq; enim Solis sors obscuritas.* Rectè arguit; cum à Deo, qui purissimus est, creati simus, nec parùm impuros esse decet; & sicut à Sole radij profluunt, non obscuritas, & caligo, ità nos virtutibus splendentes, non vitijs tenebricosos esse oportet, à Deo veluti radios à Sole profectos. Tùm vt id assequatur, vota facit: *Propitiare mihi, regina gloriosa Trinitas.* nempè tota Trinitas cooperatur in ijs, quæ sunt ad extra. reginam vocat, vt subditum se denotet, ac regendum, gubernandumq; dedat.

Nos veluti Solis radios ab ipso ortos nonnisi splendẽtes esse decet virtutibus.

Trinitati reginæ cui nos dedamus.

3 Hominis miseriam rursùs exponit. Aliæ feræ se tuentur vnguibus, iuba, &c. homo solus inermis, &c. porrò: *Si quæcumq; iucunda, & quæcumque molesta vitæ contrapendas, media examina trahens, multum quidem grauata malorum lanx deorsum in terram iuerit; bonorum verò contrà sursùm cucurrerit.* pulchra similitudo: Si libram adhibeas, & in vna lance ponas huius vitę molestias, in altera iucũditates, illa ob multitudinem molestiarũ quasi immenso pondere prægrauata cum impetu decidet; hæc ob iucunditatum paucitatem penè vacua sursum feretur. eadem similitudine libræ Critolaus philosophus vsus est in alio, & diuerso sensu, dicens: Si in vna lance virtus sola ponatur, in altera omnia bona terrena; virtutẽ vnam tanti ponderis fore, vt terram, & maria deprimeret. itàque præclarè concludit: *Vnum solum hominibus bonum, & firmum est, spes cœlestes, quibus paululùm quidem spiro.* quasi dicat, hæc vita potiùs mors

Si libra cõtineat in vna lance bona huius vitæ, in altera mala, hæc præponderabit.

In hac vita fem um solum per spem spiramus.

mors est; modicus superest halitus, quem spes mihi conseruat de altera vera, & beata vita.

4 De desiderio cœlestium sic pulchrè: *Anima est spiraculum Dei, & meliorem partem semper satis cupit supercœlestium, vt fontis fluxus est cursorius; ardens autẽ ignis salit supra.* Nempè quasi animæ cẽtrum dicit Deum, sicut propriũ est aquæ ad suum locum procurrere, & ignis sursũ ad suam sphęram tendere.

Animæ cẽtrum Deus.

5 Quale esse debeat religiosi studium, in se ostẽdit: *Omnia linquens, vnum habeo, Crucem meam, vitæ clarum stylum.* Vide vt mortificatio propria sit Mundum relinquentis. rectè autem Crucem vocat vitæ stylum, στύλος græcè columna est, viarum index poni solita. Crux igitur columna est, siuè quod rectum iter ostendat ad Cœlum, siuè quod firmamentũ sit, vt onus huius vitæ afflictionum sustineamus.

Crux vitæ clarus stylus.

Ex Carmine de vitæ itinerib⁹.

1 Huius vitę miserias admodùm elegantèr describit à definitionibus conglobatis: *Nihil in hominibus pulchrum, quod non sit malis immixtum; atq; vtinam non maiorem partem haberẽt mala. diuitiæ infidæ. thronus autem, supercilium somniorum. forma oris, fulguris parua gratia. iuuentus autem, feruor temporis: senectus, molestus occasus vitæ. verba, alata. gloria, aer. nobilitas, sanguis antiquus. nuptiæ, vinculum. soboles, cura necessaria: fora, otij meditationes. omnia, labor mortalibus.* Præclarè singula, illud in primis, quod dignitatis thronum vocat *supercilium somniorũ*. adeò totus ille fastus euanidus est. quod autem appellat, *verba alata*, sumpsit ab Homero, qui ità vocat; statim enim sermo effugit in aëre. atquè vtinam alæ istæ non superbè efferrent, dicẽtẽ per eloquentiã vanã; & potiùs auditores sursum ferrent ad Deum per cœleste desiderium. Pergit item pulchrè ostendere quid sumus: *Puluis, vmbra, visum, ros, flatus, aura, penna, vapor, somnium, vnda, fluxus, nauis, vestigium, circulus semper volubilis, omnia voluens temporibus, diebus, noctibus, laboribus.* perpẽde & hęc singula. ac videtur seriem, & statũ huius vitæ turbini comparare, per subitã procellam vehementi impetu venti omnia voluenti. Tùm egregiè ostendit, cur hæc humana Deus mutabilitati obnoxia fecerit: *Et hoc sua sapientiæ est, instabilia omnia existere, vt stabilium amorem habeamus.* nempè vt ad æterna aspiremus bona. ipsa instabilitas rerum facit, nè his hæreamus, & suo motu quodammodò à se nos excutiunt. Addit: *Omnia mentis pẽ-*

Humanæ vitæ cursus totus mera vanitas.

Humana Deus mutabilia creauit, vt ad stabilem æternitatem cœlitus teremus desideria.

Mens penetrans omnia percurrens.

nis percurri, mortalibus autem nihil imbecillius. Vide vt mens ob suã celeritatem alata dicatur, excurrens per res infra lunã positas: nihil cernit stabile, nihil firmum, sed hominem ex omnibus infirmissimum. quid igitur agendum? audi pulchrè: *Vnũ tantùm hominibus bonum, & firmum est, hinc erumpere Crucem tollentem.* nempè non sistendum in terrenis, quæ consistere non possunt. sed *erumpere*, hoc est cũ quodam impetu desiderij optare debemus ex hac vita egredi; & quod mirum est, ipsum Crucis pondus iuuat ad cursum.

Expedit ex humanis erumpere Crucem ferendo.

Ex Carmine de beatitatibus.

1 Contemplationis statum commendat: *Beatus, qui solitarius non admiscuit humi, sed deificauit mentem.* Nempè homo Deum contẽplando Deus quodammodò efficitur. Tùm ostendit etiam alios, qui actiuam exercent vitam, beatitatem consequi posse: *Beatus, qui multis admixtus, non in multis voluitur, sed Deo misit totum cor.* De religiosorum autem castorumq; statu sic pulchrè: *Beata iniugatorum vita, qui diuinitatem sunt propè puram.* alibi dixit, primam virginem esse Trinitatem ob imparem numerum personarum. item coniugatos non excludit: *Beatus, qui legibus nuptiarum parum concedens, maiorem Christo partem amoris agit.* hinc Apostolus orationi se dedere coniugatos hortatur.

Per contẽplationem quasi deificamur.

Etiam inter negotia potest quis totum cor ad Deum mittere.

Religiosi cum diuinitate propinquitas.

2 Pergit in beatitudinibus: *Beatus, qui pura mentis motionibus cœlestium luminũ videt splendorem.* Pertinet hoc ad illustrationes cœlestes, quibus Sanctorum animæ etiam hic in terris excitantur ad superna. inter cęteros Ignatium nostrum numera; cuius mentis splendor in vultum ipsum redundabat. Addit: *Beatus, qui manibus multistruis Regem honorat, & multis est vir lex vitæ.* hoc pulcherrimè ad Xauerium facit operosissimum in conuersione gentium. græcè est πανυμήτεσιν, cum videlicèt faber curam omnem, & industriam manibus impendit, & conatum, & operam, vt opus affabrè elaboratum euadat. quod autem ait, *qui manibus multistruis Regem honorat*, hoc illi maximè curæ fuit, idest Dei gloria.

Mentis illustratio in Sanctis.

Industria in animis iuuandis quæ Deo grata.

3 Prætereà: *Beatus, qui in pauperes affectuum magnum spiritum ostendit, qui visceribus suis magnam Dei misericordiã attraxit.* Vide quid sit habere affectum ergà pauperes, attrahere ad se Dei misericordiam: eleemosyna igitur quasi magnes est attrahẽs ad se Dei misericordiã. Deniquè: *Beatus, qui multos Christi causa tulit dolores, & magnæ gloriæ occurret.* ἀντιάσει idest obuiam procedet. Nota, vt glo-

Eleemosyna quasi magnes ad se Deum trahens.

gloria cœlestis non expectet, sed alacritèr iustis pro Christo passis ad amplexum currat, quasi de Cœlo, idest de sua sede progrediens; illi verò gaudētèr occurrāt; hinc illud ingēs gaudium in Martyribus.

Pro Christo passi gloriæ cœlestis [illegible] occurrunt ad se venienti.

Ex Carmine contra Carnem.

1 EGregiè describit per metaphoras varias, & antitheta, carnis damna: *Caro amica, & inimica. dulce bellum; bonū infidum. lutea compes, grauis plumbi massa, fera indomita, vinculum regiæ imaginis cœlestis, quam fortiti sumus diuinitùs.* Elegantèr dictum, *dulce bellum*. pugnat contra nos caro, sæuit; & tamen amatur, & blandimur hosti. *Grauis plumbi massa*; time ergò nè plumbi massa te detrudat in profundum, nàm de Aegyptijs dicitur: *Demersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.* sed mira planè res. multi viri sancti licet ex plumbea massa, tamē adeò leues euaserunt, vt per ecstases in aerem eleuarentur; & Franciscus Assisias tām altè, vt socij aciem effugeret. *Fera indomita* at multi eam edomuerunt fame, catenis. Tùm sic ipsam quasi belluam verbis exagitat: *Noli in meam animam rabiē infinitam habere.* ob plurima scilicet dāna, quę caro intulit animę. Sequitur: *Vinculum regiæ imaginis cœlestis.* pulchrè imago Dei in nobis regia dicitur; quam tamen, proh scelus, per peccatum captiuam facimus, regali purpura exuimus, & diademate, & aureo sceptro. & cum dictū sit initio à Deo: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, vt præsit bestijs terræ, &c.* hoc est, mysticè animę passionibus; harū illā nos seruā facimus. mortificatione autem, & oratione carnem cohiberi ait: *Tenditur asper saccus membris, animæ adiumentum, & humi posita genua, &c.*

Carnis definitio elegans, lutea compes, dulce bellum, &c.

Ex Carmine cōtra Diabolum

1 FRaudem Satanæ ostendit, qui incipiens à leuioribus, paucisq; peccatis, trahit ad grauia, & multa: *Paucis quidem primùm peccatis, veloti fluentum incidis cordibus; deinde verò locum aperis latiorem postrà turbidus, magnusq; quousque chaos in capias tuum, & barathrum.* Elegans similitudo coloni, incilia in agro facientis. aqua exigua, & lenior primò deducitur, quæ mox in turbidum torrentē excrescit. Tū sic Satanā arguit: *Recede lōgè; mitte te in porcos. tuas manus immisisti gentibus, quæ Deum non agnouere; ast ego Christi sors, templumq; sum. cede Deo, & figmento diuino, veritus iratum Deum,* & *animorum piorum choream, vocemq; in perpetuis hymnis* rectè ostēdit, Diabolum exhorrescere deuotā psalmodiam, & Sanctorum preces. Addit eum terrens: *Cede, nè te feriam Cruce. Crucem membris meis feram, Crucē incessu, Crucem corde. Crux mihi sit gloria.* cum ait: *te feriam Cruce*, ostendit, Crucem tanquàm hastam esse, qua hostem vulneret, vel virgam, qua vile mancipium cædat. prætereà se totū Gregorius Cruciformem facit interius, & exterius, per mortificationem videlicèt.

Parua peccata crescēt in magna, vt fit in incilibus.

Diabolus timet psalmodiam, preces, & Crucem.

Iustus totus cruciformis est.

2 Humanarum rerum inconstantiam per similitudinem egregiè ostendit: *Omnia tempus tesseris similia volutat, formā, gloriam, diuitias, imperium. verùm ego Christum apprehendens, nunquam desinam à spe, quousq; videam Trinitatis lucem in vnum euntis.* Pulchrè tempus tanquàm aleatorem facit. tesseræ sunt, quibus in tabula lusoria luditur. quadratæ sunt, & puncta habent, sed iaciuntur, huc illuc transferuntur. ità res humanæ videntur mundanis quadratæ, hoc est firmæ, ac stabiles, sed re vera modò ad hunc, modò ad illum per lusum transmigrant, vt diuitiæ, dignitates, tituli. præclarum igitur consilium init, qui hac volubili alea relicta, in rebus æternis, ac diuinis hæret firmitèr.

Humana tesseris similia voluntur à tēpore.

3 Mundum sic exagitat: *Munde amice, non amice in omnibus, quid me, vt rota circumuolubilis, fers tantum existentem, tantus? scio quidem quod diuinitùs tibi Dei sit gloria; sed & ipse Christi manu structus sum, contextus ex vtrisq; cœlestibus, terrestribusquè.* Rectè conqueritur; nàm & ipse homo non inferior Mundus est, præsertim cum inquit: *Anima magna spiratio mentis.* Cur igitur Mundus Mundo insidietur? cum vterumquè sit opus Dei, & ornatum à Deo acceperit.

Mundus præpostere insidiatur alteri Mundo, idest homini.

Ex Carmine de rebus varijs.

1 DE Trinitatis cognitione sic: *Parua quædam mihi mentis oculos circumfulsit æquiluca Trinitatis splendor cœlestis. plus autem effugit, vt fulgetra; priusquam luce satiet, celeritèr prætéruolat.* Nēpè hoc est, quod ait Dauid: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* pulchrè fulgetrę luci hanc, quæ nunc habetur, cognitionem comparat, cuius coruscatio statim effugit oculos. pulchrè vocat, *æquilucam Trinitatem*, ob eandem in personis naturam, græcè ἰσοφαῆ. æqualis lucis, quia eadem diuina natura resplendet in tribus personis, iuxtà illud Ecclesiast. *Sol tripliciter exurens, radios igneos exsufflans, &c.* Eccl. 43.

2 Ostendit desiderium æternorum: *O Dei Verbum, extrahe me de amaro luto, ducens in vitam aliam, vbi mens pura*

Beati cū Angelis choreas agunt

te lucidissimum circum tripudiat. non amplius umbratili nebula. grecè est ἀμφιχορεύει. beati enim circum circa stipantes Deum quasi choreas ducunt, illum laudantes. & nota vocat præsentem vitam, *amarum lutum*: quæ mundanis stultè videtur dulcis, & splendida titulis, & honoribus.

Gregorij timor de Dei iudicio pura lance.

3 Dei iudicium quàm vereatur, exponit. Aliarum, inquit, rerum iacturam parvifacio: *Solùm autem timeo puram lancem Dei.* Nempè iustus Iudex, ideò *pura lance* expendit, quæ agimus. Vide quantus timor circa hoc fuerit in viris, etiam sanctissimis, quamuis se ipsos exactè examinarent ad libram.

4 De difficultate vitandi peccata sic: *Quomodò fugiam vitium? in alijs facilè est reperire remedia, vel præsidia; repellitur hostis hasta, gladio; niues tecto, &c. malitia verò vtrinq; posita multiuaga, ineuitabilis, omninò regina.* Rectè malitiam vocat multiuagam, vel quia Creatore posthabito vagatur affectu per creaturas; vel quæ ad tàm multas machinationes, modosq; peccandi se extendit. & ob potestatẽ magnam, quam in Mundo exercet, dicitur regina. hinc ait Apostolus: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* huc spectat, quod addit: *Christe rex, quid me in his carnis retibus deuinxisti?* Vide quid sit caro. rete, quo vtitur diabolus in venatione. infelix anima secum rete fert; nisi magnoperè caueat, inextricabili laqueo capietur.

Malitia multiuaga est, & tyrannidem in Mundo exercet.

5 Elegans, & breue de Ioanne Euangelista est elogium: *Ioannes præco magnus, cœliuagus.* græcè οὐρανοφοίτης, idest per Cœlum gradiens; nempè diuinitatis Christi explanator sublimis, vt patet in ipso Euãgelij initio.

Ioánes præco diuinitatis, & cœliuagus.

6 De Iosepho sic: *Gloriosus Ioseph cum chara sponsa, qui videbatur pater Christi.* græcè κεδνὸς, hoc est in pretio habendus ob virtutes. apud Homerum exponitur etiam prudens, cuius animus curas prouidus versat, qđ certè ille egit circa Christum, præsertim in fuga ab Herode. item venerandus, probus, honestus, apud Hesiodũ, quæ omnia Iosepho aptè cõueniũt.

Iosephi sponsi Virginis excellentia.

7 Epitaphium sibi Gregorius viuens egregiè, ac piè componit, vbi hæc habet inter cætera: *Patre quidem natus sum deiformi, mater me dedicauit Deo infantem; incorruptionis autem calidum amorem infudit aspectus mihi nocturnus. quid postea? calamitatum fluctibus æstuaui. cum pastoribus minimè amicis commercium habui, morbis affectus sum. hæc Gregorij vita est. quæ verò deinceps sequentur, Christo vitæ auctori curæ erunt. hæc saxis insculpite.* Alludit ad præclarum visum illud duarũ virginum, Agneæ, & Sophrosines, hoc est Castitatis, & Temperantiæ; prætereà ad hæreticos Episcopos, à quibus exagitatus est. rectè autẽ æternitatis curã Christo committens, claudit epitaphium.

Epitaphiũ Gregorij, quod sibi viuens cõposuit.

8 Egregia eiusdẽ precatio est ad Christum vitæ ducem in huius vitæ deserto: *Christe, mortalium lumen, ignea columna Gregorij animæ, per huius vitæ desertum oberranti prælucens; malignum Pharaonẽ, & sæuos hostes coerce. è luto Aegypti me eripe. leue, & planum iter sterne. rubrum mare mihi scinde, vt ad terram sanctam à te promissam omni celeritate contendam.* Pulchrè Christum igneam columnam dicit viæ ducem. illa lucebat Hebræis, sed hostibus fulmina iaciebat. de itinere verò strato in mari ait scriptura: *Apparuit campus germinans.* adeò non modò tutò, sed iucundè transierunt mare.

Gregorij oratio, vt per desertũ huius vitæ tuto traducat.

Ex Carmine de Monachis.

1 PRæclaro encomio Monachos cõmendat: *Neq; magnum spirantes in vrbibus, neq; capientes gloriam hãc vanam, celeriter euolantem; sed Deo mittentes suam mentem, eique Deo solido è saxo rudentes alligantes.* Rectè à religiosis fastum maximè alienum dicit; & propriam gloriam, ac spem eorũ in Deo veluti columna rudentibus alligatis firmari inter fluctus huius vitæ. mox pulchrè eosdem appellat, *Sacerdotes occulta vita Christi regnantis.* nempè in interno virtutem habent reconditam.

Monastici status elogium.

Religiosus est sacerdos occulte vigens [illegible] virtutis.

2 Pergit in Monachorum laudibus elegantèr: *Talis quidem Christi sors. talem è terra patri profert fructum suorum cruciatuum: lucrum verbi, populi gloria, Mũdi fundamentum, pulchritudinibus cœlestibus correspondens, quorum genus Luciferũ.* Rectè appellat præcipuum fructum cruciatuum Christi religiosum statum, vbi mortificatio viget Crucem ferentium. itẽ pulchrè Luciferum genus vocat φωσφόρον ferentem secum splendorem, ex luce videlicet virtutum, atq; doctrinę. licet enim mortificationi sint dediti, tamẽ vt ait Iob: *Cum te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer.* egregiè quoq; eum statum dicit, *correspondere cœlestibus pulchritudinibus,* nempè ob Angelicam vitam.

Præcipuus fructus passionis Christi est religiosus status.

Status religiosus Luciferũ genus.

Status religiosus correspondet cœlestibus pulchritudinibus.

3 Singillatim nonnullorum monachorum cum laude meminit. vbi planè admirandum est, in vno conuentu religiosorũ tot, tàmq; præstantes virtute viros simul extitisse: *Cledotius pauperibus viuit, omnia dedicauit Deo: margarita inter lapides, inter sidera Lucifer alter, ver inter tempora, inter plantas rosa. & terrestris olim regis in atrijs gloria clarus, maiorem in nostro sceptro gloriam habet, Christo enim Regi assistit.* Pulchrè hoc pertinet ad Franciscum

Eximia laus religionem intrantis, aula Regis relicta.

ſcum Borgiam ex purpurato regis Hiſpaniæ, & ex Candiæ Duce religioſum Societatis Ieſu; qui Mundum relinquendo in humili ſtatu maiorem gloriam, hoc eſt beatitatis laureā eſt adeptus. inter principes itā exēplo eminens, & reſplendens: *vt inter ſidera Lucifer*. idem ad Aloyſium

Aloyſius Gonzaga inter plātas roſa, inter lapides margarita, &c.

Gonzagam facit item in aula regis verſatum: *Ver inter tempora*, ob odorem virtutum in eo efflorefcentium. *inter plantas roſa*, ob eximium pudorem. *margarita inter lapides*, ob candorem caſtitatis, quæ multò magis ad S. Thomam Aquinatem accommodes licet.

4 Laudat item Carterium: *Cuius gloria inter cœleſtes maxima, ſemper ſublato ſpiritu à carne*. Egregia laus, per mortificationem, & contemplationem penè à corpore ſeiunctum eſſe. Laudat & Nicomedem, qui & ſe, & filios monachos fecit: *Sacrificium magnum patris Abraham æmulatus; neque reliquit terra ramos, vt iret terram in excelſam: noſtis benè germinantes ramos, ab odorata planta. nunc ſuis filijs pater alam veluti pullis aquila citi volatus propè volitans dirigit, dùm agitantur in aere nondùm fidenti penna, multa ijs pietatis erudimenta præbens, ſed nullum melius ſua*. Eleganti metaphora duplici vtitur; cùm de egreſſu patris è ſeculo vnà cum filijs quaſi radicitùs è Mūdo extirpata arbore, vt pulchrius, & odoratius germinaret in religionis paradiſo. tùm de aquila inſtituente pullos ad volatum: factus enim eſt tyronum magiſter. vbi vides pulchrè expreſſum hoc munus, vt docere debeat, & inſtituere, non verbis modò, ſed exemplo. hoc perindè eſt, ac ſi *aquila citi volatus propè volitans pullis alam dirigat, dùm agitātur in aere nondùm fidenti penna*. huiuſmodi enim nouitij ſunt quaſi primùm plumeſcētes, & volatum inchoātes. at ille inſtar aquilæ, quæ typus eſt prudentiæ, &c. ferunt autē aquilam pullos humeris ferre, eoſq; explorare, & aſſuefacere ad Solis intuitum; vt ille ſuorū debet nouitiorum imperfectionem ferre; & ad orādū, contēplandūq; erudire.

Pater dedicās ſe cum filijs Dei ſeruituti, vt odorata planta cum ramis, & aquila cum pullis.

Nouitiorū magiſter vt aquila inſtituens pullos ſuos volare.

5 Tranſit ad aliorum monachorū laudes: *Neq; inter extremos eſt Theognius, ſed in terra ſtans, ſedes attingit cœleſtes. blandus ſemper, viridanti facie, manifeſtās benigni ſpiritus ſplendorem, neq; fucatum iaciens colorem virtutis, ſimilis mulierculis. miraculum magnum: nàm licet vltimus venerit in ſtadium virtutis, præuenit priores pernicibus pedibus. quam autem è terra in Cœlo erectam ſcalam vidit Iacob, hanc ipſe conſcendit, hunc gradu liquens, alium arripiens; hunc tenens manu, oculi verò alium habens*. Præclara planè ſunt iſthæc omnia, & religioſi veri inſignia; *in terris ſtans ſedes attingit cœleſtes*. totus nempè cōtemplationi deditus, nihil terreni oſtēdens in terra; nec tamen aſpectu ſeuerior, ſed hilari vultu, quod Ignatius noſter inter modeſtiæ leges præſcribit, rugas in fronte maximè damnans, & contracta ſupercilia; commendans autem ſerenitatē vultus: *Blandus ſemper viridanti facie, manifeſtans benigni ſpiritus ſplendorem*. illud verò rectè vocat, *miraculum magnum*, quod grandi ætate religionem ingreſſus, tātum profecerit, vt alios ſuperaret, quod in noſtro Borgia admiratione dignū fuit; ac notabile eſt, quod addit de zelo ſociorum, quos iuuabat, vt ſecum ad perfectionis culmen aſcenderent: *alium arripiens, hunc tenens manu, oculi verò alium habēt*. Vides quanta cum diligentia, & induſtria bonum religionis curaret, non ſuæ tantū, ſed aliorum profectui enixè ſtudens, manu, oculis intentis.

Nouitij mores, feruor, & aliæ dotes laudantur.

Profectus in ſpiritu in ſcalā Iacob expreſſus.

6 Aliorum quoq; eximiam virtutem commemorat: *Multos Euandri animæ theſauros intus occulit, albo capite ad canitiem, albiore mente*. Præclarè de ſene, qui cum diù vixerit, magnum comparauit lucrum, multaſq; virtutum diuitias; ſed hos theſauros intus abſcondit. ab intus virtus eſt ſolida, & vera; non iactantèr ſe oſtentat. pulchrè autem ait de candore mentis, qui ſenem maximè decet, de quo, & canities ipſa eum admonet. præterea: *Tacebo Philadelphū meū cor, nobilem ſanguinem*. Vide vt virtus in viro nobili magis appareat, & iucunda ſit. quod autem appellat eum, *meum cor*, alludere videtur ad Philadelphi nomen, quod græcè ſignificat, amicum fratrem. nimirùm nobilitas iuncta virtuti magnum amorem conciliat. Rurſùs: *Macrobrium verò à me educatum, quem alis beneuolus Chriſtus circumplectitur magnis; quem omnium domina non inflauit ſuperbia*. egregia laus vel Gregorij, qui tàm benè inſtituerit, vel Macrobij, qui cum à Chriſto tàm amantèr foueretur, humilitatem ſectaretur. Chriſtum facit ingentis aquilæ inſtar, pullos ſuos, ideſt iuſtos, tyrones in primis *magnis alis circumplectentem*, ob præcipuam videlicet protectionem. hinc illud: *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans*. Addit: *Rheginū celſiuadentem*. græcè ὑψιβάτην.

Religioſus magnos meritorum theſauros cōparat, & intus abſcondit.

In ſene vna cum capitis canitie candor mentis.

Nobilitas cum virtute iūcta amorē conciliat

Gregorius quàm piè ſuos educaret alūnos

Chriſtus magnis alis cōplectitur nouitios in primis.

Deuter.

7 Deſcribit vniuersè eximiam totius conuentus religioſorum illorum ſanctitatem: *Alij ſidera lucentia, multis hominum, neq; apparentia; immortalia ſigilla, pulchritudinem circumferētes. omnes Dei magni potentes ſerui; alius in alta integer pietate, templi magni lapides, quos Chriſtus vinxit inter ſe amabili ſpiritus compage. qui vita fauillis paruis viuunt leuem hanc vitam, paruo contenti. affectuum autem grauem tumultum, & nigram vndam in-*

Eximia laus conuētus religioſorū, ſplendor virtutis abſtinētia, mortificatio, &c.

surgentem sistunt. examen sermoni, silentio modum, vincula risui imponunt, excalceati, aridi, lugubres, mortui terrestres, viuentes supernè mentibus. maius in oculis Dei lumen habentes; semper animarum piarum ibi chorea. Pulcherrimus, & notabilis hic locus est pro conuentibus religiosorum. proh quanta olim sanctimonia viguit. perpende singula. tãquàm Cœlum quoddam eum conuentum, ac cœtum facit, vbi resplendeant *tanquàm sidera lucentia* quo refer illud Iob de clausura religiosorum; quod Deo tribuit: *Qui claudit stellas quasi sub signaculo.* & ideò multis hominum ignota, cum se ipsi non ostẽtent. ità vocat elegantèr, *immortalia sigilla* σφραγῖδας, gemmæ sic vocantur apud Plinium, quæ non resistunt imprimenti, in quibus notæ, & signa facilè insculpi possunt. tales veri religiosi sunt; tùm quia nullam in obediendo repugnantiam faciunt, tùm quia imagines, ac formas rerũ diuinarum menti impressas habent, non humanarum, & caducarum, vt possit spõsus dicere: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* prætereà nulla tepiditas in ijs, aut vulgaris cursus, sed *omnes hi Dei magnipotentis serui; alius in alia integer pietate.* concordia verò summa, vt in ædificio spiritali: *Templi magni lapides, quos Christus vinxit inter se amabili spiritus compage, sicut & lapides sinunt se poni, siue in angulo, siue in pauimento, quod calcatur, &c.* certè templi lapides tanta cum quiete compositi sunt, vt nullus fragor mallei sit auditus, quod mirum planè est. Ad hæc veri religiosi nihil addicti commodis huius vitæ, nec eius propagandæ cupidi: *Qui vita fauillis paruis viuunt leuem hanc vitam, paruo contenti.* Mortificatio item intimè apud eos summa passionum: *Affectuum autem grauem tumultum, & nigrã vndam insurgentem sistunt.* vbi vides quid sint passiones animi, tanquàm nigræ Stygis inferni fluuij fluctus. mortificatio itẽ apud ipsos exterior in sermone: *Examen sermoni, silentio modum, vincula risus imponunt.* Vides seriam religiosi grauitatem propriam; & quàm ponderandus sit sermo, & quanta cura silentij. mortificatio quoq; carnis in veste, cibo, &c. *Excalceati, aridi, lugubres, mortui terrestres, viuentes supernè mentibus.* pulchrè dictum; est enim religio schola mortificationis, mortui terrestres, viui cœlestes; nimirùm quibus cum Angelis conuersatio, seù municipatus in Cœlo est. perfectionis quoquè indefessum studium, & incrementum designatur ex Dei præsentia: *Maius in oculis Dei lumen habentes semper.* deniquè licet is status sit mortificationis; tamen alacritèr viuitur spe beatitatis, *animarumque piarum ibi chorea.* nempè inter tot Dei dona, & cum bonæ conscientiæ tranquillitate, quale tripudium est?

Religiosi sũt mortui terrestres, & viui cœlestes.

Veri religiosi immortalia sigilla gemmata.

Concordia in religiosis vt in ædificio vniti lapides.

Mortificatio interior, & exterior propria religiosorum.

Status religiosi gaudium, & quasi choreę tripudium.

8 Virginum statum pulchrè commendat: *Virgines quæcumq; laudant regem sponsum sanctissimis mixtum cordibus. quæ Christum expectant insomnibus luminibus, non flaccescentes faces accendentes. honorans si quem honorasti atrij mei oculum splendidissimum. his magna mens masculo animo, proijcientibus dolosam Euam è corde. circa corpus saccus est tutus, & puluis in solo pharmacum pudicitia. molles verò vestes, & verna pulchritudo flaccescens his cessit. nec mirũ, et mulieres dominũ è sepulchro pusilientem feruentioribus desiderijs primæ admiratæ sunt, amicisq; annunciarunt socijs.* Elegantèr vocat virgines gregis Christi, *oculum splendidissimum,* vt rẽ sibi maximè charam. vide igitur quàm cautè custodiendus sit, cum delicatissima pars corporis oculus sit; & cum splendidissimus sit, ab omni intuitu, quo vel leuiter lędi potest, abstinere par est. rectè: *Euã dolosam è corde abijci* iubet, vt nullum sit cum serpente commercium; imò neque cũ viro, quẽ illecebrosè mouit ad facinus. mortificatio porrò corporis virgini maximè necessaria est. *saccus, & puluis in solo.* & pulchrè mortificationem vocat, *pharmacum pudicitiæ*; nullum enim præstantius remedium. mundi deniq; cõtẽptus, & formæ in Virginibus maximè laudatur: *molles vestes, & verna pulchritudo flaccescens his cessit.* Tùm fœminei sexus vniuersè pietas commendatur; cum mulieres circà sepulchrum Christi, *feruentioribus desiderijs* intentæ ipsũ primæ cõspicere meruerint, imò Apostolorũ Apostolæ factæ sint. Ad hæc parthenonis ipsius, idest virginum cœtus disciplinã, ac perfectionis studium laudat: *Alia simul congregata fouentes cœlestis vitæ, aquosq; viuendi modos; alia, &c.* rectè tùm Angelicam conuersationem efferT, tùm æqualitatẽ, & cõmunitatem eadẽ lege viuẽdi.

Virgines sunt Christi oculus splendidissimus.

Mortificatio pudicitiæ pharmacum.

9 Ostendit quàm sibi iucundũ sit, quod & religiosi, & sanctimoniales ad perfectionis studium tàm enixè incumbant. id præferre ait omnibus opibus: *Captus sum Christi pulchritudinibus cœlestibus; aurea quidem Lydijs domibus largita est fabula ramenta, & fluuij diuini doni fluxum. auriferi autem Indis nigris hauriebant formicæ sæua diuitias ab arena. verùm mihi omnium exuperantem gloriam dedit Christus rex, multorum piorum coronam.* Vides nihil iucundius accidere posse Episcopo, quã si religiosos habeat benè moratos, nàm hoc ad totius Ciuitatis maximum redundat bonum. hoc igitur magis lætetur, quàm si magnos reditus habeat. nota etiam religiosorum li-

Religiosi, & Virgines aurifodinis, & fluuijs auriferis præferuntur.

licet pauperum casulas antecellere Lydorum regum domibus, quæ auro ex Lydo fluuio collecto refulgeant. nec mundanis inuidere, qui veluti Indicæ formicæ in auro ex arenis colligendo occupati sunt. maiores ipsi sibi ex paupertate diuitias colligunt. quod autem pulchrè ait, à Christo sibi religiosos datos pro gloria, & corona: *Dedit mihi præ omnibus exuperantem gloriam, multorum piorum coronam:* videant Episcopi quàm sibi cordi esse debeant religiosi viri, vt dicant cum Apostolo: *Gaudium meum, & corona mea.*

Episcopus nihil pretiosius æstimare debet quam religiosos, & sanctimoniales.

Episcopo pro corona sunt religiosi.

10 Breuis est, sed eximia Basilij laus: *Omnibus amicis gratificare, Basilio maximè, reueritus pura sacrificia, & alatam vitam.* Elegantèr vocat Basilij, qui à terrenis omninò abstractus erat, & ad supera semper erectus, ac prætereà vix corpore cõstabat, ob summam maciem, *alatam vitã.* adeò nihil erat impedimento corporis moles, vel onus Episcopatus. id ad Carolum Borromeum Cardinalem, & Episcopum optimè refer.

Basilij alata vita à terrenis abstracta.

11 Commendat eos, qui in necessitatibus sunt: *Ouili nostro parce, parce ouili. mensura Dei mensuris æquantur nostris.* Alludit ad illud Euangelicum: *Eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* & pulchrè addit de vectigalibus: *Et tu scriberis in librum cœlestem bonum, bona scribens.*

Vectigalia moderãda

Ex Carmine ad Nicob. patrẽ nomine Nicobuli filij.

1 QValis debeat esse parentis cura de liberis, egregiè ostendit: *Non multum tibi, pater, debeo, si tantùm genuisti, & educasti; nàm & animantes cetera id agunt, & pugnant pro filijs; sed sapientiam cupio, &c. post hæc spiritui diuiniori operam dabo.* Rectè ait, parentes, qui tantùm de filiorum victu cogitant, nõ differre à cæteris animalibus brutis; sed curare debent, vt eos literis imbuant, & per omnes disciplinas circumferãt, dialecticam, &c. idq; non tàm ob lucrum, & dignitatũ titulos adipiscendos, sed vt benè instituti virtutem amplectantur. Vides igitur quo conferenda sint studia literarum? *post hæc spiritui diuiniori operam dabo.* quod in auunculo admodùm pulchrè demonstrat: *Auunculus tuus super omnes sermonibus prudentibus ornatus, vltimam clauem orationis fecit Christum.* præstantissimus orator hic fuerat summa eloquentia præditus, sed Christus erat clauis, nõ Mundus, ideſt hæc eloquentiæ, & cætera doctrinæ ornamenta recondita seruabat, nec aperiebat, vt ad ostentationem deseruirent, sed ad Dei gloriam; cum expediens erat, tunc vtebatur. notent hoc literis dediti, & concionatores in primis.

Parentibus plus debetur ob educationẽ in literis, quã ob genesim brutis communem.

Doctrinæ, & affectũ clauis Christus.

2 Patrem laudat amplissimè, cuius dotibus, ac virtutibus pro patrimonio mauult ditari, quàm opibus: *Noui te regibus assistentem magnis, & cum furentem hastam Achemenidis concutiebas, &c.* Apud reges enim in honore fuit titulis varijs, & in bello strenuè se gesserat. Tùm numerat animi virtutes, & rectè, nàm vt ait Sapiens: *Gloria filiorum sunt patres eorum.* præclaro igitur voto ait: *Habere cupio hæreditatem paternam, vt olim lanceam Spartiatæ, & Pelopis genus Pelopeium humerum, & sceptrum paternum in filios veniens è Cecropide, & Cadmo.* potest religiosus quisque ad suum Patriarcham hęc referre, sed Ignatio præsertim nostro cõueniunt, qui anteà Hispano regi in bello stipendia meruit; deindè eximia sanctimonia præstans fuit; ac præcipuè animarum zelum, & maiorem Dei gloriam secutus est, quam hæreditariam nos petere debemus, vt insigne quoddam nostrum sit, sicut Spartiatis lancea fuit, & Pelopibus eburneus humerus, & è Cecrope oriundis sceptrum. quid autem zelus cõtra hæreses, idololatriam, & vitia omnia nisi lancea quædam est? & quid castitas nisi candor eburneus? quid sceptrum nisi obedientia, *Seruire enim Deo, regnare est.* Eccl.

Virtutis hęreditas, & insigne nobilius ;est, quã Laced. lancea, & sceptrum Cecropidũ, &c.

3 Hoc, quod sequitur, etiam ad religionum Patriarchas pulchrè admodùm referre possumus: *Si malis delecter, projice me, vt spurium Rheni iudicatum fluentis; vel aquilarum purarum radijs falsum fœtum.* Meritò imprecatur; si filius degener sit; populi apud Rhenum sic filios explorabant, essent nè legitimi, an spurij. infantem gelidis aquis probabant, verùm firmitèr, & iucũdè perferret. ità Ignatius inter cęteros Patriarchas per mortificationem suos explorari iussit, triennio tyrocinij, & varijs experimentis, peregrinationis, nosocomij, &c. aquila item pullos explorat ad Solis aspectũm. si degeneres sint, nec eum perferre possint hebetiores, à se reijcit. rectè igitur in nostra Societate instituit idem Ignatius, vt qui ante professionem, vel laborem sustinere nolint, vel disciplinæ religiosæ splendore pręstrictis oculis indignos, ac degeneres se ostẽderint, dimissi reijciantur. aquilæ enim instar Ignatius fuit, supernè euolans, & supernis illustrationibus totus intentus, & animorum prædæ ad salutem inhlans. de hac aquila Iob ait: *In arduis ponit nidum suum,* Societatem scilicet. adde, quod genus quoddam aquilarum esse ferũt, quod claudicet, sicut ille in conuersione ex ictu tormenti bellici. Nequè id, quod subiungit, alienum ab hoc est, quod de cęterarũ

Degeneres religiosi vt spurij apud Rhenum, & aquilarũ pullã.

quo-

Religiosi scandalum toti cōmunitati officit.

quoque religionum Patriarchis dici potest: *Gloria est parentibus filiorum gloria: communis est gloria, & commune opprobrium*. cogita, te, si scandalum ponis, inferre tuo Patriarchæ, & familiæ, vel decus, vel dedecus.

Indignè ad dignitates promoti simiæ sunt torquatæ, &c.

3 Ostendit per varias similitudines, hominem laudabilem fieri, non per honores, ac titulos, sed per virtutem: *Qua gratia, si tu simiam habeas humana forma, quæ aureo torque circundatum collū habeat? non enim ornatus immutauit ridiculam formam. qua autē gratia asino ferre auri talenta? neq; gratia est argenteis vaginis plumbeos enses occultare ineptos bello: talis homo est, cum extrinsecus tantùm eleuatus fuerit.* Vide quid sit diues, sed improbus, vilis videlicèt simius ornatus auro, quò spectat illud Prou. *Stellio nititur manibus, & inhabitat in ædibus regum.* legunt alij, simius: nàm hoc animal quasi manus habet, & ad lusum in aulis haberi solet; quod indicat aulicos ipsos, & diuites, qui manibus, pedibusq; nituntur, vt ad dignitates promoueantur, nec tamen aliud sunt nisi ornati simij. repræsentant, sed fictè tantùm principem, magistratum, consiliarium, cum sine prudentia, sine cōsilio sint. idē ad hypocritas referri potest.

Ex Carmine, Nicobuli patris nomine ad filium.

Historia mater sapientiæ alatæ.

1 NOn est omittendum breue historiæ elogium: *Historiam tempus, historia verò genuit sapientiam alatam.* Vide & bonum historiæ, & sapientiæ ipsius, quæ tunc vera est, cum nos à terrenis per præclara exempla altè velut alis inductis subuehit ad supera.

Bona filiorum educatio maius beneficium parētibus, quā genesis.

2 Ostendit, plus deberi parētibus propter bonam educationem, quàm propter genesim: *O pater, si me genuisti, parua gratia. non enim mihi sanè, tuo autem desiderio, tua carni gratificans me plantasti.* Acutè dictum. vides matrimonium non ineundum ob solam voluptatem, sed vt liberos educet Christo. nàm si gignat tātùm, ac nutriat, hoc & cęteræ animantes faciunt. Tùm quantum ipsis parentibus debeamus, si benè nos educent, docet. ac primùm ait: *Gaudet pater superatus à filio bono.* rectè igitur gauisus est Helias, cum Heliseus, qui eum patrē appellauit, ita rogauit: *Obsecro, fiat in me duplex spiritus tuus.* Tùm sic: *Post primum regem, terrestres celebro parentes, qui me luce repleuerunt; à quibus Trinitas in vnum veniens splenduit menti. taceo Mundi circulum, magnum Cœlum, latum, astra oculis lucentia, terga maris, terram, aerem spirabi-*

Quantū parētibus debeamus.

lem, & quæcumq; Deus proposuit mensā. hæc pater magno à patre dedit filio. elegātèr ostendit beneficia paterna. pater à Deo vitalem hanc lucem hausit, eamque communicat filijs. deindè sequitur sancta educatio, & institutio, præsertim de natura diuina. per præteritionem enumerat huius Mundi aspectum, quasi hæc præ illis minora sint. pulchrè autem huius vniuersitatis formam, quæ tot, ac tàm varia continet, tanquàm sumptuosam mensam propositam dicit. nos conuiuæ, sed vel ingrati, vel sordidi. huc facit celebris illa apud Aethiopes Solis mensa opipara omnibus proposita.

Religiosæ vitæ præclarum elogium.

3 Præclarum est religiosorum encomion: *Ter beati viuentes in terra carnem supra, iniugati, Mundi despectores, cœliuagi, humi cubantes, parùm respirantes, agastores, gloriam vnam habentes, scilicet omnem gloriam hic spernere, & in Deum solū inspicere.* Rectè ter beatos vocat, præsertim sic dici possunt ob tria vota. meritò rectè admiratur, quod in carne viuentes sint, *supra carnem.* & quod Mūdi fastū pro nihilo ducant; & illud non minus mirum, *humi cubantes, & cœliuagi*. mortificationi enim dediti humi cubant iacentes, sed contemplationi simul mente per Cœlum diuagantur. pulchrè item appellat, *parum respirantes*, quasi scintillam tātùm vitæ habentes, vt supra dixit, ob maciem abstinentię. *agastores* autem vocat, hoc est gemellos, & vterinos fratres ob summam concordiam, & similitudinem præstantium morum; solent enim vterini fratres esse simillimi. alij interpretantur euentres, idest vix comedentes, ob magnam abstinentiam. deniquè hoc maximè laudabiles, quod propriam contemnentes, solùm diuinam gloriam spectent. vides igitur, qui verè religiosi dicendi sint. Tùm de se sic humilitèr: *Hos ego horreo, & timeo infra aspiciens, & Deum celsiregem cum hominibus adhærentem. etenim longè supra mortales iuere omnes.* Nota, religiosos dicit totos adhærētes Deo; seculares minus pręsertim vxoratos. Addit: *Nos autē mediā viā imus, neq; malis delectati, & parū attingentes Deū,* ob impedimenta scilicet curarum terrenarum. & vide quantus tanti Præsulis erga religionem respectus: *Hos ego horreo, & timeo.*

Religiosi humi cubantes, & tamen Cœliuagi.

Religiosorū concordia, & abstinentia

Minus Gregorij respectus erga religiosos.

Cōcionatoz Orpheo, & Amphioni comparatus saxa trahenti, & muros extruenti.

4 De vi, & efficacia sermonis sic pulchrè: *Oratio, & reges agit, & populos trahit, & mollit animos, vt ignis ferrum. Orphei citharam fabulantur omnes ducentem modulationibus, & symphonia. & Amphionia lyra etiam lapidibus persuadebat.* Rectè orationem igni ferrum domanti comparat; nàm, vt monet Romanus rhetor, ardeat orator oportet, si mouere velit. item citharæ Orphicæ, & lyræ Amphioniæ,

niæ, quam elegantèr dicit, etiam lapidibus persuasisse, vt ad Thebanos muros extruendos accurrerent. adeò concionator modò ardens zelo vitia insectetur, & obstinatos quasi ferreos emolliat; modò ad virtutem,& spirituale ædificium blandè traducat. hine illud Prophetæ: *Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, & viscera mea ad murum cocti lateris*. pro ventre cor intelligit, sicut apertius dicit Ieremias: *Cor meum ad Moab quasi tibia resonabit, & cor meum ad viros muri fictilis*. vt scilicet hoc destructo vili, extruatur ille, quem Amos vidit ex pretioso lapide adamante, iuxtà 70. talem dicito in primis Chrysostomum.

5 Egregiam, & elegantem admodùm benedicendi formulam ponit, qua pater proficiscenti filio benè ominatur: *Tibi euntis flores terra producat pulchros, & fluuij strepant leniter, & pontus nauim ferat auris lenissimis in portum. Delphin autem tranquillum supra mare dorsa claris orbibus inflexis volutus saltet in vndis, vt quondam humeris celebrem duxit cantorem.* Arionem intelligit, qui citharœdi habitu insiliit in delphinem, à quo vectus dicitur. referri potest ad eos, qui proficiscuntur in Indas regiones euangelizandi causa, & Oceanum prætervehuntur. certè aperto mari rubro Hebręis, vt ait scriptura: *Apparuit campus germinans*. porrò Xauerij maius, & verius miraculum, quàm de delphine fuit, cum amissum in mari Crucifixi signum, à cancro illi delatum est in littus. pro cantu autem Amphionio preces fuere. Pergit benè apprecari: *Te primates loquentem honorent; crater autem verborũ hauriatur sitibundis mentibus. aurea in pugillaribus scribantur literæ tua manu; effluant autem faui è libro*. & hoc pulchrè ad Xauerium pertinet, qui in summo honore apud ipsos dynastas Indorum, & reges habitus, tantaq; gratia fuit in verbis, vt peccatores sæpè obstinatissimos conuerterit. extant verò epistolæ ipsius impressæ de rebus Indicis. præcipuè tamen hoc ad S. Ambrosium pertinet; ob suauitatem melleam dicendi, atq; scribendi, in cuius videlicèt infantis ore apes consederant; ex quo etiam tanquàm ex cratere nectareo nos hausimus in commentarijs, quæ edidimus, cócionalibus. meritò igitur de hoc suauissimo Doctore dicamus: *Crater verborum hauriatur sitibundis mẽtibus, aurea in pugillaribus scribantur literæ; effluant autem faui è libris.* quanquã quod ait, *aurea in pugillaribus scribantur literæ*. Chrysostomi maximè proprium est, cuius & nomen aureum, & dictio aurea. huc facit ille Nestoris Crater, cuius ex ore melle dulcior fluebat oratio.

Elegans benedicendi formula proficiscentibus.

Sap.

Pulchrum eloquentis scriptoris elogium.

6 Eleganti planè metaphora pater filium ad stadium virtutis hortatur: *Ego vt senex luctator magnos certatores in puluere Pisæo verbis adhortans, filium oleastrũ ferentem in medio videre optans; & veluti pullum licet calentem in cursum celerrimè mitto victoria cupidum gloriosa*. Pulchrè Nicobulus filium tanquàm in Olympijs facit cursu certantem, quem & Olympionicen coronatum videre cupit; hortatur igitur pater tanquàm aliptes, vel agonothetes. item generosi equi in cursu metaphora est. his porrò verbis facere possumus loquentem Xauerium, & hortantẽ socios ad Indicum cursum conficiendum, quod certè re ipsa egit, nobis testibus, cũ P. Marcello Mastrillo per visum apparés, plaga capitis diuinitùs curatum ipsemet ad Indiam hortator misit. tanquàm sic diceret: *Ego senex luctator magnum certatorem in puluere Pisæo verbis adhortans, & filium oleam ferentem videre optans.* quod certè vidit, martyrio scilicèt coronatum præclaro, nondùm tamen ritè declaratum. illud quoq; quod sequitur, quã accommodatum ad rem? cum eum quasi generosum equum ad eosdem Indię campos immittens ait: *Et veluti pullum, licet calentem, in cursum celerrimè mitto, victoria cupidum gloriosa*. habebat enim Marcellus hoc propositum Indias adeundi ante hoc visum. conuenit igitur illi, quod dicit Zacharias: *Posuit eum quasi equum gloriæ suæ*. huc item spectat, quod addit: *Si autem Gades vltra traijcere velis, etiam eò dux sit Deus*. hoc certè duce Gaditanũ fretum & Herculis columnas præteruehimus. Potest quoq; similis hortatio fieri à Patriarchis religionum ad suos, vt in stadio virtutis strenuè currentes, felicitèr coronentur.

Hortatio parentis ad filium velut ad palęstritam.

C. 10.

7 Paternam curam nõ tantùm in verbis consistere ait adhortando, sed ipsa re iuuando: *Neq; alicui facultati parcam, neque labori patrum proprio, neq; alicui rei ex ijs, quæ virtutẽ congregant: melior enim est paupertas prudens diuitijs pessimis. non obstruam fontem, fluuium magnum intus habentem.* Rectè ait, parentes nullis impẽsis parcere debere, vt filius benè instruatur literis, &c. nè præclaram indolem frustrà sortitus videatur; quod pulchrè indicat metaphora fontis intus limpidas cõtinentis aquas, sed obstructi: op us autem est aliquo, qui eas eliciat. Tùm monet filium, quod certè pręcipuum est, nè societates malorum ineat: *Nè tibi associes prauum socium, nam pestis etiam validis inhæret membris; neq; enim tu virtutem ei prabebis, sed tu probrum ab illo capies*. egregiè dictum, & verè; facilius enim cõmunicatur vitium, ad quod proni sumus, quàm virtus. Addit: *Sophrosinen, idest Temperantiam sociam habeas, et delectare sola.*

Pater nullis sumptibus parcere debet in filijs instituẽdis.

Parentis pręcipua sollicitudo, nè filij cohæreant improbis.

De-

Deniquè fructum ostendit & ex hac paterna cuaa, & ex his monitis: *Merces autem parentibus erit gratia, & nomen optimum.* hoc est, quod ait Apostolus: *Christi bonus odor sumus in omni loco.* & Sapiens; *Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa.* hebræi pulchra alliteratione nomē vocāt, scem, vnguētū autē, scemen.

Ex Carmine nomine filij Ad Vitalianum patrem iratū.

1 Affectum mouet à prima paternitate, hoc est Dei: *O pater, quem mihi Deus Deum hic dedit, non genitus genitum. & immortalis mortalem, vt terrestribus honorem, & gloriam praberet.* Vide quantus debeatur honor parenti, quem suo loco Deus quasi Deum constituit filio. sicut enim ipse omnium est genitor, & vita; ità vt suam communicaret perfectionem, fecit, vt & parēs vitam det filijs.

Deus paternitatis prototypus debitum erga parentes monet.

2 Orat, nè calumniæ maleuolorum cedens succumbat, cum nemo sit in hac vita; qui aliquid contrarij non habeat: *Nemo vita peregrinationem peragens dicat: Solus ego ærumnas, & dolores fugi. Polycrates rex, veritus felicitatis cursum liberum, iniecisti sali annulum, quem amabas, vt Inuidiam placares; atq; hunc rursùs habuisti, sed mortem non effugisti. non igitur mirum, si Inuidia domui obnubilauit nostræ.* Polycrates vt temperaret nimiam felicitatem, annulum aureum cum gemma pretiosissima proiecit in mare, sed inuentus est in pisce. tandē ipse à Persarum Satrapa captus, & suspensus est. quātò felicior sors Xauerij, qui Crucem, cui affixus Christus quasi gemma, quam charissimam ferebat, cum in mari amisisset, à pisce cancro mirum in modum delatam recuperauit; felicissimè tamē obijt, etiam integro corpore. neq; enim fortunæ se obnoxium putabat, quasi ab ea pēdens; sed in Deo spem posuerat. Tùm nota illud: *Inuidia domui obnubilauit nostræ.* nempè sicut nubes Solem obscurat, ità Inuidia bonam famam proximi.

Nemo de perpetua felicitate se iactet, Polycratis exemplo.

3 Persuadet varijs exemplis, & rationibus, vt sibi parcat: *Pater sæuit in filium: fabulam damus affectibus formam quidā suam adamauit olim, & in fontem desilijt, & ipsum speculum perdidit pulchra forma.* Nempè filius est imago patris. Narcissus in aquam sui speciem intuens, & se perdidit in flumen mergens, & imaginem suā; ità pater iratus & sibi nocet, & filio. Addit exemplum matris Penthei: *Mater filium interemit. sed sicut quamdam feram, vt sibi videbatur; sed cum intellexit, lugebat.* finxerunt Pentheum, ob contempta Bacchi sacra, à matre sub apri specie iaculo necatum. Addit item de Actæone, qui, quod Dianam virginem nudam conspicere ausus esset, in ceruum mutatus, à proprijs canibus est laceratus: *Quendam venatorem in monte pro ceruo dissecuerūt canes, quos amabat.* nempè à patre irato filius tanquàm fera tractatur; sed vbi ira deferbuit, & facinus agnouit, dolet. Deindè argumentis agit, quod ipsum filium à Deo poposcerit, vt nasceretur: affert & parabolam filij prodigi, cui pater tàm amantèr pepercit: tùm inculcat sinistram opinionem: quàm enim crudelem in externos fore vulgò dicēt eum, qui sæuit vel in suos? deniquè, *& feræ amant suos fœtus.*

Patris ira in filios, & sibi, & ipsis nocet.

4 Commiserationem sic mouet: *Alij tuis bonis fruuntur. communis portus indigentibus est tua domus. mensa verò etiam Alcinoi nemore iucundior, referta amicis, & omni genere dapis. nos autem foris arentes, algentes erramus; nec faciem tuam licet aspicere, quam & seruis prabes, quamuis sæpè iratus.* Magnum hæc verba continēt affectum, & spiritalitèr à quouis peccatore conuerso vsurpari possunt, cum maximis quoque peccatoribus, vt latronibus, & meretricibus, & nonnullis ex crucifixoribus ipsis venia data sit. Alcinoi verò regis mensa omni dape referta, & in eius amœnissimo horto apposita dicitur apud Homerū; at verò apud nos Eucharistica longè omninò præstantior est.

Patris in filium etiam errantem indulgentia

5 Habet & hæc parua vox vim magnā, nisi parcat: *Magnum prodigium. patris est decus, filij dedecus.* Cum potiùs honor filij redundet in patrem, & contra; nec ille quicquam magis optare debeat, quàm liberorum gloriam. hinc hebraicè pater dicitur abba à verbo au, quod significat desiderare: quia totus intentus est in volendo bona filij.

Filius est decus patris, vel dedecus.

6 Aequalitatem à patre reposcit; vt cum in cæteros liberos tàm amantèr se gesserit, ipsum non abijciat, præsertim cū & mas sit, & primogenitus. singillatim conqueritur, quod cum sororem nuper præclaris nuptijs honorasset, adhibitis etiam symphoniacis, sibi fratri non licuerit adesse, licet canēdi arte perito. sic igitur elegantèr, & pulchrè: *Erat thalamus, & cœna nuptialis; cognati, & vicini multi, quiq; Regis in septis gloriam habent, & celebres Sacerdotes votis, & coronis coniunctionem agentes. alij sponsum canebant similem ramo pulchro, alij virginem sponsā nigris oculis aptabant in nuptias sacras. pater oblectabatur. vnum hic lugeo supra modum, quod versus cum sim canendi, & superem thalamum germana canere, alius cecinit flauis sub crinibus nigrum supercilium exoriens sub argenteis genis. Vesperū traxit alius, Luciferum alius cecinit, neq;* bo

In epithalamijs quæ cantio solita adhiberi

In nuptijs Sacerdotes, & coronæ, & epithalamij cantores adhibiti.

bonus cantor. ego autem inhonoratus, mutus, neq; quantum Echo canens Panos cantilenam, supremam saltem referebam vocem. valete Musæ, quæ enim gratia, nisi patris in auribus mea resonet cantilena? Omnia pulcherrimè dicuntur. & nota, in nuptijs Sacerdotes, & coronas, & vota adhibita; quamobrē sacras appellat; conuiuas item è regia aula aduocatos adfuisse, & epithalamium decantatum. quæ ex parte elegantèr referri possunt ad castissimas nuptias Iosephi cum Deipara. si dicamus è cœlesti aula proceres Angelos, & symphoniacos conuenisse, & epithalamium cecinisse, quorum alij Iosephum sponsum canebant *similem ramo pulchro.* florenti scilicèt ob castimoniam. alij, *Virginem sponsam.* spiritalitèr autem, ac mysticè è cœlestibus musicis, *alius cecinit flauis sub crinibus nigris supercilium exoriens sub argenteis genis. Vesperum traxit alius, Luciferum alius cecinit.* qui scilicet fidus suum quasi facem præferret ad nuptias. deniquè multa ex Cantico canticorum, quæ de sponsi, ac sponsæ dotibus castè, integrèq; dicuntur, huc referri possunt. nos autem vt indigni, qui tàm puris nuptijs adfimus, doleamus, nec vltimam certè vocem huius Echo reddere posse. quod autem canendi studium deponere se velle dicit, quia nō adest pater, cui maximè placere canendo velit; simile est, quod Hebræi captiui dicunt: *Quomodò cantabimus canticum nostrum in terra aliena?* procul videlicèt à templo; à Deo proiecti, quem sacro cantu demulcere studebamus.

Iosephi cū Deipara nuptiæ castissimæ.

7 Item persuadere patri conatur, vt parcat. Dū liberos mares odisti, nec fœminas amas, quia sic eas subijcis inuidiæ. æqualitatem Christus vult: *Nec patrem huic quidem filiorum esse mitem, illi grauitèr affectum.* Præterea mihi parcēdo, Deū tibi placas: *Melius est parum ferentem Deo cor sacrare, quàm cum omnibus sacrificijs mente sordida honorare; nàm nihil Deo dignum eorum, quæ terra, Cœlum, mare fert, & omnia eius sunt.* rectè ait, nihil Deo gratius, animæ se liberè offerentis sacrificio. nàm cętera, & minora sunt, & necessariò ei subdita: *Meum est aurū, & argentum, &c.*

Iræ passio domita magnū sacrificium

8 De triplici natiuitate sic pulchrè. Vna natiuitas per parentes est, quæ mortalis: *Altera per Spiritum sanctum, cum ablutis aqua venit splendor. tertia lacrymarum, abstergens imaginem denigratā.* Primam tu pater à tuis parentibus accepisti; secundam à Deo. tertia tu tibi, pater, es, cum Deo te addixisti, & asperæ vitæ. vbi vides per lacrymas nos renasci. supra dixit, populos Rheni probare filios suos in gelidis eius aquis. item quoddam arboris genus esse ferunt, cuius folia in subiectum fluuium cadentia, mox plumescant, & innascantur aues. & vide vim lacrymarum, per quas imago in nobis Dei denigrata nitorem recipiat. nota item illud de baptismo: *ablutis aqua venit splendor.* quàm felix sors eorum, qui hunc splēdorē gratiæ baptismalis tota vita seruāt, vt Thomas Aquin. Petrus martyr, & alij?

Triplex natiuitas per corpus, per Spiritum, & per lacrymas.

Animæ splendor per baptismum.

9 Orat patrem, vt cęteris, quas habet, virtutibus, hæc clementiæ accedat. Multæ, inquit, virtutes tuæ sunt. præcipuè, *Hymnis nocturnis, & diurnis concinis cœlestis trifulgentem Spiritus splendorem.* Pulchrè græcè vno verbo, dicit τριλάμπετα. atqui filius in Trinitate cū patre in natura cōiūgitur, & vnicè amatur in Spiritu s. hāc igitur coniunctionē & tu imitari debes, præsertim cū tā piè Trinitatē colas. mira certè pietas, vt licet vxoratus non solùm interdiu, sed etiam noctu Trinitatis hymnos caneret. pulchrè autem vocat: *Cœlestis trifulgentem Spiritus splendorem.* iuxtà illud Eccl. *Sol triplicitèr exurens, & exsufflans radios.* præterea cętera vitia superasti: *Sola ira mansit intus, & iucunda pernicies, lacerans veluti ferrum indomitum; clandestina rubigo.* elegantèr vocat iram, *iucundam perniciem.* iucundū videtur vlcisci, sed vltori ipsi damno est. eadem ira tanquàm rubigo mentis est, nitorem tollens pietatis.

Splendor trifulgens cœlestis Spiritus in Trinitate.

Vxoratus concinens Trinitatis hymnos noctu, diuque.

Ira iucunda pernicies

10 Asserit, magis ad emendationem valere clementiam, quàm iracundiam, nā hæc sępè irritat magis, & magna redargutio tollit erubescentiam: *Parit sæpè audaciam iniuria, clementia verò cautionem, filijs potissimùm, qui gloriam propè habentes, non vi mouentur, sed persuasionis verbis.* Rectè monet, nā filij mox liberi reddendi, & iuris sui, ægrè asperam redargutionem accipiunt. quod licet in religiosis non sit, tamen caueat Prælatus. Tū qualis esse debeat seueritas monentis, docet: *Flamma leuis stipula sit patris ira, statim desinens. ira linguam accendit, sed extinxit misericordia. execrationem illa protulit, sed mens auxilium.* rectè pater, siuè Prælatus manum potiùs porrigere debet cadēti, quā verbis insultare. pulchrè autē ait: *Flamma leuis stipula sit, patris ira desinens.* vulgò dicitur, fuoco di paglia. vbi notabile est, quod Deus de se irato dicit: *Stridebo super eos sicut plaustrum nouum.* plaustris stipulæ ferri solent. ostendit igitur suam iram, & minas facilè euanescere, cuius rei satis locuples testis esset, vel vna Niniue.

Lenitas magis ad emēdationem iuuat, quā nimia seueritas.

Patris ira, in filios, vt leuis ignis stipulæ statim euanescens.

11 Culpam suā filius eleuat apud patrē. Non te, pater, honore priuauimus, non damnum agris, aut bonis intulimus, non insidiati sumus: *Vnum filijs tuis malum, quod deteriores visi sumus eo parente,* qui

Degenerare à virtute paterna. hoc solum non parua culpa est in filio.

qui nemini primas partes reliquisti, formaq; magnitudineque. Vide quantū mali sit tantùm non imitari virtutes paternas; nàm de patre ait, fuisse orationi deditum, & omni virtute conspicuum.

Patris beneuolus aspectus præstat omnibus opibus

12 Dignam esse petitionē ait, cui pater respondeat: *Non opes petimus, non domum celsam, &c. da tantùm manum, & beneuolum aspectum.* Hac eadem nos erga Deum vti possumus: non tantùm veniā petendo, sed manum, hoc est eius auxiliū, nè iterū cadamus in hac vita, & in futurū ipsius Dei visione priuemur. certè Absaloni filio vitā cōcesserat Dauid, tantū interdixerat aspectum, tamen gemebundus ait ad Ioab: *Obsecro, vt videam faciem patris.* Quod autem hic ad matrem conuersus orat, vt patrem flectat: *suggere tu mater, &c.* hoc ad Deiparam refero, denique damnum ostendit, nisi veniam impetret: *Si verò non parcas, errabimus, vt antea, tua gloria.* certè filius est patris gloria. igitur rei tuæ consule.

Matris est ira tum in filios parētem placare

Ex Carmine

In nobilem malè moratum.

1 OStendit, nobilitatem sine virtute nullam esse. Cùm nobilis quidā, sed prauis moribus exprobaret alteri abiectum genus, respondit ille: *Genus est opprobrium mihi, tu generi.* Præclarè dictū, & acutè arguit. hoc enim deterius est, quia culpa ab ipso est, non ab extrinsēco. pulchra autem similitudinē docet quàm vanum sit degeneri viro iactare maiores: *Si quis te deformem dicat, aut malè olentē, nunquid diceres, pater mihi pulcher fuit, & vnguentum suauitèr spirans? aut si quis te timidum, & imbellem accusaret, nunquid proferres patrē, quod multas vicisset Olympiadas?* Vides igitur, vt posteri nobiles dicendi non sint, nisi virtutem præferant maiorum, hoc est eandem morū pulchritudinem præferant, eundem spirent boni nominis odorem; & in eodem virtutis stadio excurrentes tanquàm Olympionicæ victores existant. quod item ad religiosos referri potest.

Peius est opprobriū inferre generi, quam accipere.

Frustra iactantur boni maiores, si ipse sit malus

2 Pergit ostendere eleganti similitudine, frustrà iactari generis splendorem ab eo, qui malus sit: *Auro structam quis citharam pulsauit pessimè, alius à rudi generosam misit modulationem. vter melior citharista? sis tu aureis natus parentibus, si tamen tu minimè bonus, quid superbis? hoc scilicet tibi splendidum genus est, maiores mortui?* Vide quid sit hominis vita, consonātia quædam virtutum, & harmonia morum. qui nobilis est auream habet citharam, qui ignobilis ligneam. quòad cantus verò perfectionem, non is laudatur, qui aurea cithara absonè, & absurdè canit, sed qui lignea benè. quod si aurea cithara simul optimè canat, nè ille omni ex parte admirandus erit. talis fuit Thomas Aquinas, Carolus Borromęus, Borgias noster, & Aloysius Gonzaga, Ludouicus Tolosanus Antistes filius Regis, & alij his similes. rectè autē irridet mundanos tantùm antiquum genus iactantes: *Hoc tibi scilicet splendidum, & illustre genus est, maiores mortui.* quasi dicat: quid habet commune splendor cum vmbra, & sordibus sepulchrorum, vndè tu maiores elicis? quamobrem subiungit: *Principium idem, omnes lutum, nec me sepulchra delectant parentum. vnus puluis sumus.*

Nobilitas vt aurea cithara non ideo laudatur.

3 Pergit ostendere nobilitatem positam esse in virtute, & sapientia; ignobilitatem verò in vitio, & stultitia: *Seruus mihi omnis rudis, liber quisq; optimus. tyrannis hæc scindit, non natura. quæ asinis gloria à mulis? aquilæ pariunt & quos proÿciunt pullos.* Non ideò, inquit, gloriosi sunt omnes aquilæ pulli, quia ex aquila nati, nàm sunt & qui ab ipsa abijciuntur, vt degeneres. itaquè: *Præstat optimū esse ignobili genere, quàm pessimum nobili; nàm & rosa ex aspera generatur plāta.* hoc quod ait de rosa, ad Petrum Martyrem pertinet ex hæreticis natum, quasi è vepreto. rosa autem aptè appelletur ob fusum pro fide sanguinem.

Nobiles genere ignobiles moribus vt degeneres pulli ab aquila eiecti.

Bonus ex malis natus vt rosa e spinis.

Ad Christum de itinere.

1 PVlchra, & pia precatio, vt Angeli ductu sit tutum iter: *Christe rex, quia via recta es, &c. hodiè iter præbeas bonum, & Angelum bonum autem, adiutorem, fautorem, qui me ab omnibus malis lōgè arceat, & finem bonum det vitæ. è domo integrum, & domum me rursum agat, vbi quiescens degam sine vitio, tibiquè mentem alatam, vita lucem, semper attollens, quousque & extremam viam peragam, in mansionem autem veniam laboris finem pÿs. tibi viuam, te alloquar, tibi sedeam, ò Christe, tibi tollam pedis vestigia.* Puto non modò vsurpandas has preces, cum iter facimus, sed in toto huius vitæ itinere. rectè appellat Angelum, qui est à custodia, *ducem, adiutorem, fautorem.* græcè est πομπόν, quasi ducentem cum pompa, vt fit in triumphis. ità me bonus Angelus deducat de vitijs triumphantem; certè vnus Angelus pro toto exercitu est: *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.* hebraicè est, castrametabitur. altera vox est ἀλεξίκακον, hoc est depellentē damna, vel noxia, siuè auerrūcum, quales putarunt veteres Herculem, & Tyndaridas.

Pulchra precatio iter agentis.

Angelus custos dux viæ triumphalis, & auerruncus.

das tertia vox est βοηθὸς, significat eum, qui accurrit ad opem ferendam in bello, occurrit hosti strenuè, nè alteri noceat: huiusmodi dicebantur auxiliares copiæ. hæc omnia custodi Angelo pulchrè competunt. illud verò item pulchrè, & acutè petit, vt sub Aligero duce etiam sibi *alatam mentem ad Deum attollat*. nè scilicet terrenis inhæreat, sed conuersatio sit in Cœlis cũ ipsis Angelicis aligeris choris, quò tandèm per præsentiam veniat. Hoc verò quàm præclarè concludit, ac piè? *Tibi viuã, te alloquar, tibi sedeam, ò Christe, tibi tollam pedis vestigia*. adeò ad eius gloriam singuli non modo actus, sed gestus, & gressus tendere debent.

Singuli passus ad Dei gloriã tendere debent.

Ex Carmine De silentio ante Pascha.

1 Linguæ damna recenset: *Lingua equus semper præcurrens*. Fræno igitur opus est. ego non aliud præstantiùs puto frænum linguæ, quàm quo Constantinus suum frænasse equum dicitur, Christi clauũ. confixus ille clauis, qui dolor est summus, quasi agnus obmutuit. & cum Iudæi clamarent, vt crucifigeretur clauis, interrogatus à Pilato nullum responsum dedit, *ità vt miraretur præses vehementèr*. magis est miratus silẽtium, quàm tot miracula, quæ eum audiuisse probabile est. Sequitur: *Lingua telum paratissimum*. nempè iacula intra pharetram, gladius intra vaginam est; aliqua mora intercurrit, vt educatur; at lingua statim in promptu est, vt feriat. Addit: pedes non peragrant totam terram, fures non prædantur die. labor in alijs vitijs, & impedimenta se offerunt: *Linguam autem nil prohibet festinantem ad verbum. mens emittit sagittas, hæ autem auolarunt. omnia autem feriunt, cœlestes, terrestres, viuos, postetos, bonos, malos, hostes, amicos, cominùs, eminùs*. insidiatur blandicijs, mendacijs, &c. Ad linguæ festinationem, & volubilitatem referri potest illud Iacobi de lingua, quæ *inflammat rotam natiuitatis nostræ*. quod autem ait, eam nemini parcere, & excurrere per terras maledicendo, per Cœlum blasphemando, indicant verba psalmi: *Posuerunt in Cœlum os suum, & lingua eorum transijt in terra*. Vide quàm audax, quàm latè vagans malum. huc pertinet, quod addit: *Filium, patrem, coniugem, fratrem, amicum, omnes in se armauit lingua facilè*.

Lingua equus semper præcurrens.

Lingua telum paratissimum

Linguæ sagittã nihil effugit, ne Cœlũ quidem.

2 Ostẽdit præclarè admodũ, & egregiè; neminem tàm dedecere linguæ vitium, quàm Sacerdotem: *Omnibus lingua mallũ est, præcipuè autem Sacerdotibus cœlestis sacrificij. instrumentum sum Dei, & benesonoris modulationibus cantum Regi fero, quo vniuersum contremiscit*. Nota duplicẽ rationem, cur Sacerdos maximè linguam ab omni labe purã seruare debeat: tùm quia illa instrumentum Dei est in cõsecratione diuini sacrificij; tùm quia in diuinis laudibus, quasi canoris modulationibus ex munere assueta est.

Sacerdotẽ maximè dedecet vitiũ linguæ.

3 Pulchrè ostẽdit, quibus in rebus lingua Sacerdotis occupari debeat: *Canto, non vt alij Troiam, aut benè nauigantem Argo, aut multum Herculem; non terræ latos orbes; non fulgores lapillorum, non cursum siderum, &c. sed canto Deum excelsum regem, atque illustris Trinitatis in vnum collectæ splendorem, & Angelorum hymnos latè sonoros propè stantium ex voce opposita*. Proh quantum, vel dignitatis, vel animi voluptatis. Sacerdotes igitur tanquàm vnum chorum constituunt, ex aduerso autem Angelorum habent alterũ chorum, & hunc propè, vt alternatim respondeant, Deum laudando. sic Chrysostomus exponit illud psalmi: *In conspectu Angelorum psallam tibi*. legit, è regione, siuè ex aduerso Angelorum alternatim. idem Sacerdotibus, dũ sacra faciunt, Angelos ministrantes, excurrentes, adsistentes visos narrat. quod autẽ ait, se canere: *Deum excelsum regem, atq; illustris Trinitatis in vnum collecta splẽdorem, & Angelorum hymnos*. an non Seraphicos, hoc est Deo ardentes Sacerdotes esse debere indicat? hoc enim Seraphim clamabant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.* certè & ibi ara cum igne erat, & calculus igneus admotus Esaiæ ori, Eucharistiæ symbolum. Præter hoc de diuinitate carmen, ait de humanitate: *Canto Christi cruciatuum gloriam, quibus me Deum fecit*. Vide quid per passionem consecuti sumus. mortuus vt homo, nos Deos fecit. Est autem notãdum, quod à Sacerdotis lingua remouet gentilium carmina, etiam non obscœna, vt quæ vana commemorent; & quod ampliùs est, etiam carmina de natura rerum, vt de gemmis, de siderũ cursu, & similia. quasi tantùm in Creatoris laudibus debeat Sacerdotis lingua versari.

Sacerdotis linguã nil profanum canit, nisi diuinum

Ecclesiæ psalmo dia constat ex duobus choris hominum, & Angelorum

4 Commendat Sacerdotis linguam, siuè de Dei maiestate, siuè de eius pro nobis humiliatione loquatur, rebusq; similibus: *Tot rerum linguam habeo citharam. animaduertite, Sacerdotes, nè quid præter sonet, dissidens à concentu*. Pulchrè Dei cithara dicitur, præsertim proferendo verba Cõsecrationis, quibus nõ, vt ab Orpheo bruta, non flumina, sed Deus trahitur. ac rectè monet; cum lingua Sacerdotis cithara sit, suaui modulatione precum flectens Deũ, caue, nè vna remissior chorda cõcentũ destruat. quãobrẽ addit:

Lingua Sacerdotis Dei cithara

Puris sacrificijs puram linguam seruabo, quibus regem magnum coniungo in vnum mortalibus. Vide quid agat Sacerdos in missæ sacrificio; quasi fecialis quidam est, aut caduceator. præclara autem illa vox est, cum occasio se offert loquendi vana, vt meminerimus, nos illo ipso ore consecrationis verba pronunciare solitos, dicamusq; *puris sacrificijs purã linguã seruabo.* Porrò multò magis abstinendum ait à rebus obscœnis: *Alienum cœnum est à veste purpurea.* quasi regia quædam potestas sit in Sacerdotis lingua. quanquam hoc dictum ad Cardinales quoque referri potest, hoc est ad Romæ purpuratos, à quibus omnis vitæ labes abesse debet, quæ certè laus ipsis iure debetur. meminerint igitur præclaræ huius sententiæ: *Alienum cœnum est à veste purpurea.* vel purpuream linguam Sacerdotis vocat, quia, vt ait Chrysostomus, eius os tremendo nimis sanguine rubescit. Ad hanc porrò Sacerdotum puritatem pertinet, quod addit: *Ignis perdidit olim Sacerdotis filios, non purè attingentes sacrificium; & sacra Arca inclinata tangētem occidit. hæc valdè horreo.* Vide vt se Gregorius seuerè discusserit sacrificaturus.

Alienũ cœnum est à veste purpurea. sic obscœnitas à lingua Sacerdotali

5 Iram silentio supprimẽdam monet: *Verbo domito, domatur & vnda iræ, duce mortuo, rex passionum cessit.* Egregiè dictum; si iratus linguam silentio premas, statim ira efferuescere cessabit, quæ fluctuum instar vndabat; & rectè furor, siuè impetus irati dicitur: *rex passionum*; quid enim vehementius, & potentius ira? inter cęteras animi perturbationes ipsa dominatur. Sed cum hæc difficilia factu sint, per gratiam facilia fieri dicit: *Hæc omnia ductu Christi regis; deindè mente gubernaculi nostri rectrice.* nempè gratiæ cooperandum est. & pulchrè ratio tanquàm nauis clauum tractare dicitur in homine.

Impetus iræ rex passionum.

Ratio quasi nauis gubernatrix.

6 Iuuentam quod benè traduxerit per Christi gratiam, ostendit: *Me iuuenem Christus rex duxit in aduersarium solidiorem adamante, fidem in mente habentem, armisq; validis vndiq; instructam. oculum in palpebris affixi temperantiæ.* quàm pulchrè hæc ad S. Thomam Aquinatem adhuc adolescentem referri possunt? non solùm cum parentibus, ac fratribus aduersantibus suo proposito strenuè restitit; sed cum inter incentiua carnis positũ in mulierem illam pudicitiæ aduersariam immisit Christus rex, *solidiorem adamante, armisq; validis vndiq; instructam mẽtem habentem*, totum temperantiæ intentum: ostendit autem, quo se in primis remedio tutatus sit, oculorum videlicet sedula custodia: *Oculum in palpebris affixi temperantiæ.* prætereà acri carnis mortificatione: *Carnem mea iuuenta seruidam*, *multis radebam laboribus.* prętereà: *membra deuinxi. terra stratum mihi. hymnis nocturnis columna eram.* egregium vtrũq; castitatis tutamen. mortificatio carnis, & oratio assidua. & quod ait, *membra deuinxi.* ad Xauerium referri potest, qui mortificationis causa, crura, quibus saltationi aliquandò studuerat, arctissimis nodis cõstrinxit, etiam cum vitæ periculo. pulchrè autem ait, se in nocturnis hymnis immotum instar columnæ noctu stetisse; quid mirũ, quod de se narrat, noctu sibi per visũ oblatam Castitatem, & Temperantiã?

Gregorius adolescens tuetur castitatem oculorũ custodia, & carnis mortificatione.

Gregorius in nocturnis hymnis immotus

7 Eleganti similitudine, & exemplo ostendit, cur silentium amet: *Samiorum rex Polycrates, vt placaret inuidiam, veritus felicitatem, vt doleret, annulum, quem amabat patrium, iecit in pontum; sed qui excepit piscis, reti captus, & adductus est regi. miraculum magnum, neque volens inuenit dolorem.* sic ait, se in silentij profundum sermonem iecisse, vt effugeret inuidiam. Vide igitur quid sit lingua, vel sermo, & quid silentium; nempè hoc profundum mare est; sermo autem licet pretiosus sit, vt annulus ille aureus cum pretiosissima gẽma, & nobis charissimus, quippè cũ loquẽdi cupidi simus; tamẽ præstat tacere: ità nec alijs dabitur occasio inuidiæ, &c. hoc est, quod ait Dauid: *Silui à bonis.* non modò à malis, vel indifferentibus, sed etiam à bonis sermonibus, si fortè ex circumstantijs tunc nõ expediat. porrò quod ait de Polycratis annulo inuento in ore piscis. maior felicitas fuit Xauerij, qui amissum Christi Crucifixi sigillũ in Cãcro pisce vltro afferẽte reperit.

Gregorius silentij amator.

Polycratis annulus inuentus in ore piscis

Ex Carmine In Paschate post silentium.

1 ELegans planè est ad Christum apostrophe, & magnificentiæ plena laus: *O patris lux, magna mentis Verbum, præstantius sermone, lucis sempiternæ lux summa, soligenum, imago patris immortalis, & sigillum Dei, qui ἄναρχος, sine principio cum Spiritu magno συμφαής, simul lucẽs latè imperante, regnante: opum dator, altithrone, omnipotens, halitus mentis, Mundi rector, serens vitam, artifex rerum, qui Mundi fundamenta fers natibus. Tibi quidem, rex, Sol celsiuagus sidera occulit, vadens super orbem igneum, vt tu super mentes. tibi obtegit alternatim oculus noctis Luna propinqua luca, rursùs accedens. tibi Signifer circulus, & modi chorea temporibus mensuras ferunt benignè temperatis. fixa, erronesq; retrorsum ruentia sidera admirandæ sunt verbum sapientiæ. tua lux sũt omnes quotquot mẽtes cœlestes canunt Tri-*

Elegans Christi elogium.

Chorea Solis, ac siderũ Christo obsequens.

nita-

nitatis gloriam. tua mortalis etiam gloria est, quem Angelum hic posuisti cantorem hymnorum. ò lux tui splendoris. Tibi viuo, tibi loquor, tibi spiro. Nihil vel grandius, vel pulchrius dici potuit; quo Christi diuinitatem commendat, cui creaturæ omnes ab ipso conditæ famulantur, & Mundus per temporum vicissitudines quasi choreas in orbem ducit. præclarè item ait: *Vt Sol sidera occultat, super igneum orbem vadens, ità tu, Christe, super mentes.* ideſt ſuper creaturas intellectu præditas, quæ ſplendore ſuperatæ non apparent. Tùm vide, cur homo creatus ab eo ſit, nimirū vt Angelus in Cœlo, ità & hìc in terra ceu quidā Angelus ipsū laudet, & glorificet: *Quem Angelū hic posuisti hymnorum cantorem,* ὑμνητὴν. quamobrem piè omninò concludit: *O lux tui splendoris, tibi viuo, tibi loquor, tibi spiro.* egregia vox, & ſemper in ore habenda; oſtendit autem qua ratione id acturus ſit: *Loquar quod decet, nec audiam nefas. profundam profluus margaritas, cœnum repellent. aurum ab arena, rosam à spina colligam, ab aristis triticum.* Vide qualis eſſe debeat noſter ſermo; tanquàm enim ex aurifluo, ac gemmifero fluuio aurum, & margaritas profundere debeamus. hoc eſt verba caſtiſſima, atq; ſanctiſſima, diſtinguentes quid loqui deceat, quid dedeceat. quò ſpectat illud Prophetæ: *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* & Apoſtolus ait: *Si quis loquitur, quasi sermones Dei.* qui terrena loquitur, arenam profert; qui cœleſtia, aurū; qui maledicus eſt, ſpinas; qui ſuauis, & prudens, roſas; qui vana, & leuia loquitur, ariſtas, & ſtipulas; qui cum fructu, triticum.

Pulchra Gregorii precatio omnia referentis ad Christi gloriam.

Homo positus in terra vt illius cantor, sicut Angelus in Cœlo.

Sermo de rebus diuinis vt fluuius aurifer ac gēmifer.

2 Elegantèr gratulatur reuiuiſcenti Chriſto: *Hodie splendens te circum oblectatur magnus Angelorum chorus, canens hymnum coronalem,* ἐπινίκιον. Pulchrè vocat hymnum coronalem, quo Chriſtum victorem mortis, & Inferorum Angeli canūt. Sequitur: *Hodiè sonitum spiraui, clausa labra silentio soluens, sed habens cantatricem citharam.* oſtendit, ſe triduo illo ante reſurrectionem, quaſi dolore ſtupētem ob Chriſti mortem ſiluiſſe; quamobrem rectè, ac piè in noſtra Societate inſtitutum eſt, vt totum illud triduum ſilentio tranſigamus. reſurrectionis autem diē gratulabundos, ac lętos, *citharam cantatricem* aſſumere iubet, hoc eſt illud pſalmi concinere: *Exsurge gloria mea, exsurge psalterium, & cithara; exsurgam diluculò.*

Hymnus coronalis, quo Christus resurgēs canitur.

In Christi resurrectione citharædi resumimus, quę siluit.

Ex Carmine parænetico, ſeù monitorio ad Olympiadem

1 Monet, qua ratione honeſtè, & cōcorditèr cum viro ſe gerere debeat. ac primùm circa Mundum muliebrem ſic: *Non est mulieris ornatus aurum lapillis pretiosis committere, aut regiam speciem medicare coloribus, fœditate iucūda. alijs sint indumenta aurea, purpurea, splendentia, varia: tibi temperantia curā sit, & pulchritudo miranda, oculis tectis. mos autem flos optimus, inconcussus celebrē gloriam habentis.* Rectè in pudicitia verū ornatum ponit, & pulchritudinē in modeſtia præſertim oculorum. pulchrè bonos mores vocat, *florem optimum, inconcussum*; qui ſcilicet non vento diſpolietur; perſeuerantis enim in virtute mores laudantur, quibus quaſi perpetuum ver effloreſcat. elegantèr autem vocat, *regiā speciem medicare coloribus, fœditate iucūda.* nempè ceruſſa, & fucus non ad venuſtatem pertinent, ſed ad turpitudinem, quam ſcilicet quaſi medicamentis curare conantur. indignum autem eſt, *regiam speciem*, ideſt imaginem Dei his rebus inquinare. vide igitur quàm vile ſit, & plebeium, quod tanti fi.

Fucus muliebris fœditas iucūda.

2 Præclarum dat monitum: *Reuerere primùm Deum, deindè verò maritum, oculum vitæ, rectorem tuæ volūtatis.* Pulchrè dictum. ſupra monuerat, vt incederet *tectis oculis*; infrà dicit; *oculis cæcis.* nimirū *maritus est oculus vitæ.* addo oculum dici maritum, quia nihil eo charius eſſe debet vxori; ac magnoperè vereri debet, nè vt rem delicatiſſimam in aliquo lædat. facit autem hoc pro S. Ioſepho, qui datus ſpōſus Deiparæ tanquàm *oculus vitæ.* Concordiā autem in primis commendat, placando lenibus verbis virum: neq; enim qui leonem alit, vim feræ ſopit vociferando, ſed manibus demulcēdo iubā. ac proindè ſubiungit: *Nunquàm iacturam aliquam exprobraueris coniugi irata, quoniā maior est ipse vtilitas.* rectè monet; cum ſoleant aduerſa incidere, non inſultet viro, cuius vita omnem iacturam reſarcire poteſt. & qui præ omnibus opibus æſtimari debet. Addit: *Cum mœrente parùm dole, posteà serena specie solare: marito enim dolenti portus opportunus vxor est.* egregiè dictum, vxor pro portu, in quo quaſi conquieſcat à fluctibus vitæ, ſit viro. cōtra ſit, cum ob diſſenſiones, & quaſi procellas ille in coniugio agitatur, atquè iactatur, vel in eam tanquàm in ſcopulum incurrit.

Vir vxori oculus vitæ

Viro dolēti vxor portus opportunus

3 Vxoris munus circa familiam oſtēdit: *Communes curæ, sed imperium mariti est.* Breuis, ſed egregia vox. vtriq; coniugum ſollicitudo familiæ incūbit, ſed vxoris eſt regi à viro, non regere. Sequitur: *Radius tibi curæ sint, & lana.* huc ſpectat illud de muliere forti: *Quæsiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum.* nequè enim inutilis eſſe debet, de-

Vxoris munus quale sit.

deses & otio languens.

3 Consortium virorum mulieri interdicit: *Non multum extra vestibulum emitte pedem, domus tibi vrbs est, & nemora.* Hoc est libentèr ibi degito tanquã in amœno nemore. ideò à veteribus Venus ficta est pedi habens affixam testudinem, quę domum secum fert; & huc pertinet, quod addit: *Laudo fœminas, quas mares minimè norunt.*

Mulieris clausura conuenit

4 Circa modestiam hæ leges sunt: *Cõuiuia, & solutiones, & risus, & gratia non grata temperantiam soluunt, vt ceram radius penetrans statim.* Pulchrè dicitur *gratia non grata*, quæ blandimentum continet perniciosum, vt ipsi sales insulsi sint. pulchrè dicit de risu, & ocio: *Temperãtia dissolutione solui.* sicut cera igni dissoluitur

Gratia in muliere grata non est, si modestia vacet.

5 Custodiam sensuum cõmendat: *Aures ornatum habeant sine margaritis. bona recipe verba, malis verò clauis insit.* Rectè ait, nobiliores esse aures audientes casta, & sancta verba, quàm si margaritis ornẽtur. quod autem de claui dicit, Sapiens dixit: *Auribus tuis facito vectes, ac seras.* nõ omnibus aperiendæ sunt, nec semper. De sensu autem visus sic item pulchrè: *Stillet sanctum ruborem pudor tuus sub palpebris. da vt alij ruborem videant; tu interim oculis cacis, & in terram supercilium habens.* Nota; nàm Iezabel ornabat, ac pingebat oculos suos stibio, miserè tamen perijt; venustior color pudor. & ea mulier laudabilior, quæ ob verecundiam alijs sit spectabilis, ipsa non spectet. De lingua verò sic monet: *Linguam habens infrenem, infensum maritum faciet.* gręcè ἀχάλινον, idest sine habenis. at sponsa dicitur apud 70. equæ similis ab auriga frenatæ: *Equa mea in curribus Pharaonis assimilaui te.* Tùm ostendit, quem ad vsum adhibenda sit lingua: *Persuade, diebus sanctissimis coniugem ferre gratiam; sic enim decet imaginem magni Dei, nè semper in cubili gratificeris.* modestè innuit persuadendum viro, nec tamen cogendum, vt festis diebus abstineat ab vsu coniugij, iuxtà illud Apostoli: *Nisi fortè ad tempus, vt orationi vacetis.*

Custodia sensuum cõmẽdatur.

Ex Carmine in reditu ex Vrbe Constantinopoli.

1 QVid sibi acciderit, narrat: *Nihil iucundum reliqui, quod desiderans dolui; sola mihi possessio fuit amabilis magna Trinitatis communis splendor, quam ostendens vsque ad alienigenas iui nobiles, non tamen inuulneratus, sed saxis cruentus: tua ò Trinitas hac gratia.* Nota, cum Episcopatum Constantinopolitanum, qui erat præcipuus, reliquisset, non dolet de annuo reditu amisso; de Anastasiæ templo, quod à se ædificatum fuerat, relicto, & de exilio ex vrbe pulcherrima, frequẽtissimaquè: *Nihil iucundum reliqui, quod desiderans doleam.* nempè pro reditu auri annuo, & cũctis opibus Trinitas erat. Tùm nota de zelo aliorum salutis, etiam idololatras conuertendi, à quibus lapidibus appetitum se dicit, quod tanquàm beneficium à Trinitate agnoscit. nec tamen destitit à prædicatione: *Sed vt circinus circa centrum omnes verbis pietatis detornabam.* gręcè ἐτόρνευον; quod est torno cœlare, vt artifices cum clypeum, aut vas aliquid torno concinnant, & sculpũt, ornãtq; figuris. Vides igitur quod sit munus Apostolici viri. pij, sanctiq; sermones pro circino, pro scalpro sunt; centrũ animorum salus est, vel cor ipsum humanum.

Gregorius de exilio nil dolet tantũ Trinitate diues.

Gregorius ab idololatris lapidatus.

Viri Apostolici munus quasi torno cœlandi.

2 Cum Trinitatis gloriam ab hæreticis infringi videret, qui filium à patre diuidebant natura, in zelum exardescens sic pulchrè exclamat: *Quis ò gladius Phinees figet hoc scorta cædens, zelator animo, ac nomine? aut quis Moses opem ferẽs perdat Aegyptiam fabulam, gloriam habens magnam?* Alludit ad nomen Phinees, qui interpretatur, facies confidentiæ, vel protectionis; hoc est zeli, quo commotus Israelitam virum cum scorto coeuntem interemit, atquè ità iram Dei placauit. elegantèr autem ait: *Quis ò gladius Phinees figet hoc scorta? &c.* Similis locutio, & zelus est ille Ezechielis: *Mucro, mucro euagina te; ad occidendum lima te, vt interficias, & fulgeas.* hoc ad Bellarminum è Societate Iesu Cardinalem hæreticorũ hostem acerbissimum mirè quadrat; cuius nomen vt ipsi hæretici animaduerterunt, & bellum, & arma, & minas sonat: *Zelator animo, & nomine.* quantas hic de ijs strages fecit in controuersiarum præsertim gladio limato doctrinę? item Mosis zelum requirit, qui idololatras vituli aurei cultores per Leuitas iussit interfici. idololatriam egregiè appellat, *Aegyptiã fabulam.* quid enim fabulosius Osiride, Iride, Ammone Ioue, & cęteris Aegyptijs monstris? quanquam & hæreses huius tẽporis quid aliud sunt, nisi Lutheranæ, vel Caluinianæ fabellæ?

Zeli gladius distringẽdus contra hæreses vt Phinees, & Moses.

3 Optat omnes esse in vera fide constantes tempore persecutionis: *Quis sagittarum temporibus fidem inflexam fatebitur, inuertibilis stans, neq; vt Euripus declinet hinc indè fluctuã?* Sagittarũ tempus vocat persecutionem maximè hæreticorum, qui hoc spectant: *Vt sagittent in occulto rectos corde.* hebraicè est, in obscura luna, hoc est in aduersitatibus Ecclesię. Euripo autem rectè similes facit eos, qui retrocedunt à fide, vt in Euripo est acces-

Inconstantes in fide Euripo similes reciprocantis.

sio,

sio, & regressio fluctuum. itáque quis, inquit, coniunget omnes in vnum, vt vnum sentiant? *Christus Cruci colligauit bonos, & malos, quare & lapis angularis dicitur in vnum iungens compage amicitia*. Vide cur Christus in Cruce manus hinc indè extenderit, vt & bonos apprehendat, & malos. & acutè ait, idcircò angularem lapidem dici, qui vtrũq; coniungit pariete.

Ex Carmine de seipso.

Virtus non læditur mortali corpore, sicut nec Alpheus fluuius mari.

6 Virtutem se cupere ait; Sed quomodò, inquit, hæc coalescere poterit cum re immunda, hoc est cum carne mortali, & peccatis obnoxia? *Si enim non argenteus vbiq; fluxus, sed admixtus deterioribus, quomodò erit virtus mixtio immunda? sed audio Alphèi pulchrum fluxũ per amarum in mare: magnum miraculũ; dulcem fluxum, neq; admixtum*. Pulchrè soluit obiectum; nec impossibile ostendit virtutem inuiolabilem manere cum mortali corpore. nàm & Alphèus fluuius argenteis, hoc est limpidis vndis, & dulcibus fertur sub mari, nec salsedinem maris contrahit. ità nec virtus in homine nitorẽ suum, & pulchritudinem amittet.

Voluptas iucũda pernicies, & risus Sardonicus.

2 Corruptæ naturæ conditionem deflet: *Facio, quod odi, & valdè delector malis, & rideo mortem grauem. Sardoam malè lætam; quoniam & iucunda pernicies*. Vide quid sit peccati voluptas, *iucunda pernicies*. & vt herba illa in Sardinia nascens; quæ comesta cõtrahit neruos; & os quodam modo in risum conformans, interimit; vndè adagium: risus Sardonicus: ità mundana voluptas, &c.

Mira hominum imperfectio, modo ad bonũ, modo ad malũ se vertentis.

3 Interioris hominis solida virtus quã difficilis cognitu, & inuentu sit, exponit: *Carne virgo sum, sed an mente, non manifestè scio. pudoris oculum texi; sed mente imprudens; oculata in alienis malis, in proprijs cæca. cœlestis verbo, mente terrenus; rursùs ascendo, & rursus retrogredior. venio vix, citò dilabor*. Vide quàm imperfecti simus. fatetur Gregorius virginem se esse corpore, præclarum, & rarum bonum; de interno non omninò affirmat; adeò volucres sunt cogitationes, & profunda cordis abyssus. dolet autem, quod cum tàm habes homo sit in se cognoscendo, tàm acutus sit in alienis defectibus intuendis. prætereà non respondet lingua de Deo loquens menti terrenis adhęrenti; & tanquàm Euripi sumus, modò ad virtutem profluí, modò reflui, & quod peius est, illud tardius, hoc citius.

Gregorius virgo corpore non audet de mente asserere.

Homo liberatus inter vitam, & mortem.

4 Triplicem naturam docet: *Prima Trinitatis pura natura, deindè Angelica, tertia mortalis. vtrinq; liberatus inter medium vitæ, ac mortis sto*. Pulchra similitudo à libra; quàm facilè est lancem inclinari pondere peccati ad mortem?

In bona actione pene totã debetur gratiæ.

5 Salutem à Deo, & à nostra cooperatione pendere ait, quamuis plus sit à Deo: *Non solùm Dei donum salus est, sed & tua cura. neq; tuæ mentis solùm, sed & præstantioris roboris: ipse oculos illustrauit, & oculis ipse apparuit. duæ quidem Dei ad meliora partes sunt, prima, & vltima; vna autem & à me. ille & susceptiuum fecit boni, & robur præbet. ipse autem in medio stadio cursor non multum leuis, non inautoratus, Christum habens respirationem, & robur, & ducem; qui me & oculatum, & currentem facit illic extra omnes lusus mortales: neq; enim extra aerem vidisti volantem auem; neq, extra aquam pontiuagus excurrit delphin: sic nec sine Christo mortalis vestigium fecit*. Elegans locus de recta operatione cum Christi gratia. duo dat Deus, alterum creando, vt apti simus ad benè operandum, alterum adiuuando, vt prompti simus. vnum est nostrum cooperari. ac pulchrè ait, nos in hac vita tanquàm in Olympijs cursores in stadio positos ab agonotheta Deo; sed vt curramus in hoc stadio nõ modò egere Christo, vt robur dante, & hortante, iuxtà illud Hieremiæ: *Spiritus*, seu, *Respiratio oris nostri Christus Dominus*. vtrumq; enim vox hebraica significat. sicut igitur stadium primo dictum est illud, quod Hercules vno spiritu confecit, continetq; octauam mille passuum partem, hoc est centum viginti quinque nostros passus, nempè sexcentos viginti quinque pedes. sicut, inquam, Hercules vt robur ostentaret, tantùm octo respirationibus integrum milliarium confecit, & ad metam peruenit, quod certè mirandum est. ità Christus, qui *exultauit vt gigas ad currendam viam*, nobis suam communicauit ex parte virtutem; vt ait Gregorius, in stadio virtutis ad metam beatitatis celerrimè percurrendo. habes igitur Christum ducem, siuè aliptam, & agonothetam esse, & robur dare, imò respirationem ipsã nostram esse, eum, quantum possumus, intra viscera continendo, & vitam per ipsũ recipiendo. rectè item ait, non minus nos egere Christi gratia, quàm auis eget aere ad volandum, & piscis aqua, vel ad natandum, vel ad viuendum.

In hac vita tanquàm Olympionicæ in stadio sumus.

Christus respiratio nostra

Non minus egemus Christi gratia, quã auis aere, piscis aqua.

6 Quàm sacrosancta sit iusti anima, docet: *Templum magni Dei est homo, quod extruit, qui emotus è terra in Cœlum semper graditur, quod ego subeo semper te odoratum seruare, semper Deum intus habentem*. Nimirùm hoc est, quod ait Apostolus: *Templum Dei estis vos*. sed mirum est, quod ait, ab eo extrui, qui à terra erectus in Cœlum est. nempè huius fabricæ altitudo vsquè ad Cœlum tendit. quàm enim

Templum magni Dei est homo.

ca-

capax, & excelſum oportet eſſe, in quo Deus inhabitat? & rectè monet hoc templum, *ſemper odoratum ſeruare*, hoc eſt thure orationis aſſiduæ vaporandum.

Virtus minime ſolida, vt nauis depicta, ſed male cōpacta.

7 De ſolida virtute ſic elegantèr: *Nec nauim minio fucatam, vel nothis pulchritudinibus ſplendentem inſer in mare; ſed bene compactam clauis, & manu artificis.* Quod ait, *minio fucatã*, grecè μιλτοπάρῃον hoc eſt apud Homerum rubricatis proris nauim. ſicut igitur ſtultè quis mari cōmitteret nauim auratam quidem, & pulchris coloribus depictam, ſed malè compactam; ità ſi quis in nauigatione huius vitæ contentus ſit ſola ſuperficie virtutis, præſertim ſi ſimulata ſit; niſi clauis timoris Dei ab ipſo Deo fabro ſolidè compingatur. hinc aiebat Dauid: *Cōfige clauis à timore tuo carnem meã.* vt legit Ambroſius, & alij. alioquin nō carebit naufragio

Mūdani religioſos, vel iis leuibus calumniantes taxātur.

8 Religioſorum maledicos taxat: *Monachi quid dicant, audite ò Mundi ſtudioſi: vos poſſidetis, diuites eſtis, nubitis, omnia iucunda veſtra ſunt, ſiuè quid terra, ſiuè quid mare nutrit. nos autem ſi fontem, aut hortulum, aut paruam auram, aut vmbras ex arboribus, poſſeſſiones leuiſſimas habeamus, ſtatim delicias has dicitis. an & reſpirare non licet Chriſti ſeruo? nec tu dijudicare debes, qui malus es.* Rectè arguit mūdanos, qui cum ipſi toti voluptati ſint dediti, religioſis exprobrant leuiſſima quæque.

Ex Carmine de ſuo morbo.

Gregorius æger non conqueritur de vi morbi, ſed de impotentia exercēdi ſacra.

1 DE ſuo morbo hæc habet: *Infeſtus me lacerat morbus. irrugio velut leo fortis implicatus retibus. non poſſhac ſacrificijs ſanctis manus attollo, magnis Chriſti mixtus affectibus. non ampliùs Martyribus athletica præmia ferentibus amicam ſtatuo choream; bonis, ac pulchris verbis pretioſum ſanguinem colens.* Vide quid doleret in morbo. nōn conqueritur de vi morbi, ſed quod non liceat miſſam celebrare, nec adire Martyrũ ſepulchra. elegantèr dicit de morbo, ſe tanquàm retibus implicatum leonem: neq; enim per morbum generoſitas animi abijcienda eſt. de ſuo quidem morbo ait Ezechias: *Sicut leo contriuit omnia oſſa mea.* ſed iuſtus item ſit leo, vt generosè cum morbo, tanquàm cum antagoniſta leone pugnet.

Æger velut leo retibus implicitus.

Martyres Olympionicæ piè à Gregorio culti.

Tùm nota quàm piè Gregorius ſacrum faceret: *Sacrificio ſanctas manus attollens, magnis Chriſti mixtus affectibus.* item nota quanta cum pietate coleret Martyres, quos vocat ἀθλοφόρους hoc eſt ferentes Olympium certaminis præmium. ἆθλον enim propriè certamen Herculeum, & labores Herculeos ſonat. oſtendit autem morem notabilem circa Martyrum ſanguinem triumphalem, quem collectum ſeruabāt, hoc eſt circa illum ſacrũ pæana cōcini ſolitũ innuit, & ſacras veluti choreas à coronatis Sacerdotibus inſtitutas, quibus ſe abeſſe per morbum dolet: *Non ampliùs, Martyribus certaminis præmia ferentibus amicam ſtatuo choream, bonis, ac pulchris verbis pretioſum ſanguinem colens.* id verò maximè ad Ianuarij ſanguinem pertinet nobilem Olympyonicē, & ebullitionis miraculo ſpectandum, quē ſanguinem qui Neapolim primò tranſtulerunt Sacerdotes, inſtar choreæ cum tripudio inceſſerunt, floribus, ac frondibus vernis coronati: quamobrem & presbyterorum coronatorum nomen remanſit, & celebritas adhuc annua inſighi cum pompa indicitur.

Martyrum feſta cum choreis, ac tripudio celebrata.

Æger vt nauis diſſoluta compage

2 Pergit de ſuo morbo dicere: *Omnia mortua ſunt viuenti; vita autem vt nauis ſine compagibus.* Vitam noſtram naui ſimilem eſſe & Iob oſtendit: *Dies mei tranſierunt ſicut naues poma portantes.* & in Iudę Machabæi, & fratrum mauſoleo nauium erant ſimulacra. per mo bum autē quaſi ſoluta compage ad curſum redditur inepta. Sed addit egregiè, licet morbo ſit oppreſſus: *Anima certè inuulnerabilis eſt. imaginem diuinam ſtatuam apud Chriſtum, quam ſortitus ſum.* Nota adamantinum animum, & morborum ictibus imperuium. & vide quid in morbo cogitandum ſit, vt ſcilicèt ex hac vita exeuntes reddamus Deo imaginem ipſius in nobis ſplendentem, & nitentem, non denigratam, aut inquinatam.

Anima per morbū nil læditur.

In morte reddenda Deo imago ipſius [illegible] ea atq; rei[illegible] de[illegible].

Ex Carmine ad Nemeſium.

Verò decus non in [illegible] tuis, & [illegible] [illegible] gitiorum, [illegible] in virtute

1 LAudat præ cæteris dotibus, à virtute: *O Nemeſi, iuſtitiæ lumen; alij te picturis, & æneis ſtatuis ornēt, &c. ſemper gloria ſunt vrbibus boni duces, & ſpecimen videndum poſteris. ſed ego loquar quæ me Sacerdotem decent, nuncium canorum veritatis, & eorum diſcipulum, qui Mundum Dei retibus deuinxerunt, neq; confiſi potentibus verbis, neq; diuitijs, nec ipſi antè glorioſi.* Apoſtolos intelligit. hinc verò collige quod ſit munus Apoſtolici viri, *Mundum Dei retibus deuincire*, quod nō propriæ virtutis eſt opus, laborem tamē noſtrum requirit. Theotimum ducem multis, præclariſq; victorijs inſignem, ſed ſine labore, Athenienſes depinxerunt in ſcapha dormientem, Fortunam verò intra retia immittentem regna, & vrbes: quod illi potiùs probro fuit. Xauerius certè noſter Indiarum Apoſtolus ſummis laboribus, continuis ſudoribus, nouum orbem terræ, nouum *Mundum Dei retibus deuinxit*; idemq; *nuncius canorus veri-*

Apo[illegible] M[illegible] D[illegible] deuinxerūt

Prędicator canorus nuncius eſt veritatis.

ritatis. canori scilicèt instar cygni ob eximium candorem castimoniæ. Tùm nota, quod ait, non decere Sacerdotem in alicuius laudatione persequi,& commemorare quicquam, præter virtutes, etiam si eximia putentur vulgò, vt fortitudo bellica,honores,&c.

Humana eloquentia posthabenda studio diuini Verbi.

2 Eloquentiam Christo subijciendam, ac posthabendam ostendit: *Amica mihi fuit sermonum gloria,in quibus diù,et multùm elaboraui; sed & ipsos primos in pauimento ante Christum posui, cedentes magno Dei verbo quod occulit omnem mortalem multiformem sermonem,tantum, quãtum Sol celsiuagus sidera alta.* Pulchrè ostendit, verbum humanum Verbo diuino cedere. ac sicut Sol eximio splendore occultat sidera;ità diuini Verbi tantùm esse splendorem,vt humanum verbum,ac sermo euanescat,nec appareat. vtinam nos & hanc,& cęteras disciplinas, *in quibus diù,& multùm elaborauimus.* Gregorij ipsius exemplo, *in pauimento ante Christum ponamus.* in pauimento, inquit, idest humi abijcientes ante pedes Christi.quasi paruifacientes, & in tantũ adhibentes,in quantũ ad ipsius gloriã spectát.

Gregorius sua scripta ponit in pauimento ante pedes Christi.

Nefas est, vt homo imago Dei adoret imagines brutorum.

3 Idolorum cultum arguit: *Nefas est imaginem Dei pulchram, intelligibilem, incorruptã simulacris vanis inclinari animantium,&c.* Rectè opponit imaginem Dei imagini brutorum, vt faciunt idololatræ.nàm dictum est in creatione, cum data est imago Dei,*vt præsit bestijs terræ.* non vt subsit adorando.

4 Deum vnum, ac verum ex creaturis agnosci posse docet: *Hic Cœli ornatus præco Dei est. quis domum celsam videns, ædificatorem non intelligat? & nauis nuncia est non loquens artificis.* Pulchrè Mundum naui comparat, qui scilicet nos ad Deum tanquàm ad portum sui cognitione ducit. Argo nauis, quæ duxit ad vellus aureum,locuta dicitur, & præsagijsse futura. sed maiorem habet efficaciam in demonstrando Deo Mundus: *nauis nuncia est non loquens artificis.* pulchrè item dicitur: *Cœli ornatus præco Dei est.* iuxtà illud: *Cœli enarrant gloriam Dei; & in omnem terram exiuit sonus eorum.* quot astra, tot linguæ.nàm etiam stella Magorum dicitur Cœli lingua ab Augustino.

Cœli ornatus præco Dei est.

Signum ipsum Crucis in aere factum fugat dæmones.

5 Vim Christi nominis,& Crucis signi ostendit: *Et ego Christi sors nomen solum venerandum pronunciaui,longè verò abijt dæmon stridens, dolensque,clamans robur omnipotentis.aut Crucis magnæ signo,licet non manente,aerem medium descripsi, forma autem ipsa statuit trophæum.* Pulchrè amplificat, & rectè. non dico,ipsa Crux, quam subijt, sed sola imago; nec imago lignea stabilis,sed in aere formata per manum,tãtam habet vim. statim quidem euanescit hæc imago,sed effectus permanens est, & solidus; testis est fuga dæmonum,stridor,&c. vmbratile genus est armaturæ; sed tamen victoriæ trophæum firmum statuitur. Porrò primum illud de Christi nomine multùm facit ad Societatem Iesu, quæ hoc nomine formidabilis fit Inferno.dicat igitur quisq; nostrùm, ac iure,sed humilitèr glorietur: *Ego Christi Iesu sors sum.nomen solùm venerandum pronunciaui, longè verò abijt dæmon stridens,& dolens.*

Tantũ Crucis signum statuit trophęũ Deus de diabolo isto.

6 Zelum, quem habebat de idololatriæ destructione, egregiè, ac piè significat: *Volebam super aeream speculam eleuatus tonans omnibus terrestribus inuocare,dicens,O insani simulacrorum cultores, & fabri eorum, qui nihil sunt, &c.* græcè est βρονταῖον,quod Aldus vertit tonitruosũ. hoc autem epitheto dictus est Iuppiter tonitrualis. pulchrè autem hæc zelo ardẽs vox,& oratio pertinet ad Xauerium idololatriæ destructorẽ, qui verè βρονταῖος, hoc est tonitrualis, siuè tonitruosus dici potest,totam Indicam regionem fragore prædicationis complens, non sine coruscatione miraculorum, fana idolorum euertens:quot verba tot fulmina. atque ideò non semel visus est è terra sublimis quasi ità effatus: *Volebam super aeream speculã eleuatus, tonitruosus omnibus terrestribus,inuocare,dicens: O insani simulacrorum cultores,etc.* Huc spectat,quod addit de Christianæ religionis propagatione,etiam apud barbaros: *Christus omnia occupauit à finibus ad fines, suis manibus congregans, quas olim in Cruce gloriosas expandit.* egregiè dictum,Christi manus clauis perforatas, & cruentatas, & hinc ad omnes Mundi plagas expansas, meruisse,vt totum ad se colligerent Mundũ. nostra verò ætate id maximè gratulandũ: *Christus omnia occupauit,&c.* etiam nouũ Orbem terrarum.

Gregorij ardẽs zelus de idololatria destruẽda per prosopopœiam.

Christus in Cruce manus expandẽs meruit totum Orbẽ ad se colligere.

7 Hæc ad Incarnationem,& Deiparæ laudes pertinent: *Christi compegit spiritus Dei magni templo templum sanctum erigens: mater enim Christi templum, Christus autem Verbi.* Vide quanta inter ambos similitudo. Tùm eius virginitatẽ ostendit: *Purum comprehensibile impuro non est.radius Solis fert lucem, quibus immixtus est.odorati vnguenti gratia spirãtibus celerrimè. sed neq; Solem maculæ, nec vnguenta sordes attingunt: sic quidem Deus puram per matrem profectus, quod omnibus rectè sapientibus valdè considerãdum est.* Nota: in vtero Virginis vt Sol Christus, rectè ergò dicitur à patribus, quod Virginis viscera coruscabant. & si est,vt vnguentum,nàm *vnguentum effusũ nomen tuum,* hoc est diuinitas; certè vas, in quo inest vnguentum, etiam vbi eua-

Deipara templum Christi, vt Christus Verbi.

Deipara immunis à labe.

cuatum est, redolet idem vnguentum, nec vas, in quo anteà sordes fuerunt, idoneũ est ad vnguẽti fragrantiam concipiẽdam. ità Deipara, quia hoc vnguentum diuinitatis in Christo continuit, nescio quid diuinitatis redolere videbatur; nàm & sponsus ait: *Odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*. & Dionysio penè dea visa est. nec idoneum ad tam fragrãs vnguentum excipiẽdum fuisset tale vas, si originalis peccati sordibus antea putidũ fuisset. Addit: *Eũ peperit Virgo indomita.* græcè est ἀδμής, ideſt iugo non subiecta, scilicet maritali. quod etiam puto referri posse ad iugum commune nostrum per originale peccatum. indomita ipsi diabolo fuit semper Deipara, & maternitatis priuilegio domitrix huius monstri fuit.

8 De Christi sepultura sic: *Sepulchro paululùm appositus, vt suscitaret mortuos, trahens veluti magnes ferrum*. Vide cur in sepulchro Christus condi voluerit: vt sepulchra mortuorum aperiret, eos reuocaret in vitam. pulchrè autem eum magneti comparat; nàm & Hieronymus magnetis vim ei tribuit, cum traxit ad se Matthęum è telonio; & ipsemet Christus de se crucifixo, ac passo ait: *Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* vbi nota hoc figuratum in ferro illò, quod excidit è manubrio in aquam, sed ad Helisei iussum admotum aquæ manubrium ligneũ, magnetis naturam induit, & ferrum ad se attraxit; ferrum autem genus humanum intelligitur in ima delapsum per peccatum.

Christus in sepulchro poni voluit, vt traheret ad se mortuos sicut magnes ferrũ.

9 Idololatriam per Christi aduẽtum abolitam iàm ostendit: *Castaliæ, & laurus, & quercus vaticinia iacent, &c.* Ex aquis Castalijs vaticinia capiebant, & ex Delphico Apolline, & ex Dodonæ quercu. huc spectat, quod Plutarcus scripsit sub aduentum Christi de oraculorum defectu. Alia quoq; multa hic per ludibriũ enumerantur: *Vaniloquus Ammon, superbus Epidaurus, vituperia noctis in Eleusinis, Corybantes armatè furentes; nocturna Hecates mala visa; tẽpli Mithrai mala opera; Cybeles vlulationes; casi verberibus iuuenes ad aram Dianæ; Isidis, & Osiridis mugitus lacrymosi; & vitulus multicarnis Apis, & Geticus Zamolxis per turbas sagittas mittens. omnia mortua sunt Christi sanguine venerando, antiqui, & noui Dij: quod miraculum est sanè maximum*. Ità sanè, vides vim sanguinis Christi; cuius per vitalem mortem mortui dij sunt omnes. Osiris pro Sole habitus, & Isis pro Luna minimè iàm splendent. Apidis cultus exsoleuit. Zamolxis Getarum Deus fi-letur; ad hunc proficisci existimabãt eos, qui de vita decederent; nonnunquàm etiam sorte ex viuis eligebant, qui de rebus suis Zamolxi nuncios mitterent. eos post mandata commissa in sublime iactatos gladijs excipiebant. cum Pythagoræ seruum fuisse aiunt, & pro Deo habitum à Getis, q eorũ mores informasset, & cultiores fecisset, vt refert Herodotus. Hecate aũt, vt est apud Suidã, imprecationibus euocabatur. prodigiosa specie noctu apparebat. obijciebat spectantibus homines Draconum capita habentes, atque inusitata corporis magnitudine pręditos.

Oracula Deorũ sub Christi aduentum defecisse, &c.

10 Quanta fuerit ambitio veterum, vt dij haberentur, ostendit: *O Empedocles, te mortalem Aetnęi ignis crateres declararunt; dùm soleas æreas ebulliunt, Dei leuis mentis gloriam cupientis per saltum exitialem.* Acutè taxat Empedoclis ambitionem, qui æneis soleis indutus, se in Aetnã immisit, vt non inuentus, ad Deos translatus putaretur; sed vis ignis soleas licet æneas foras extrusit; ipso ad ignem sempiternum excepto. illudit igitur eius mẽtis leuitatẽ, quã ignis ipse ostendit, dũ eas soleas quasi rem leuem in altum extulit. contra de Christo ait: *At Christum non obscurauit fluens tempus, aut veluti fumũ deleuit. talis enim euanida gloriæ rex est, statim cadere: sed semper ab omnibus celebratur, adhùc magis semper, accedentibus auctus annis. credo olim terram totam vinculis colligaturum.* rectè ait, Christi gloriã tempore semper incrementum accepisse ex propagatione Ecclesiæ; cum aliorum gloria consenescat. est autem præclarum, & valdè notabile, quod ait, quasi vaticinans de nostris temporibus, cum totum iam Orbem peruasit, atque etiam in irrepertas antea regiones religio penetrauit: *Credo olim terram totam Christum vinculis alligaturum.* iuxtà illud: *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* hoc est in vnum coactum. est autẽ præclarè dictum: *Talis est lex euanida gloria, statim cadere*. Adeò nihil in mundano fastu solidum, ac firmum.

Stulta Empedoclis ambitio, vt pro Deo coleretur.

Lex mundanæ gloriæ est statim cadere.

Gregorii vaticinium de fidei propagatione per totũ Orbẽ.

11 Affirmat sibi materiam loquendi, nonnisi sacram esse: *Dicam Dei creationẽ, ac temonem Vniuersi, quo Mundum magni Dei Verbum semper voluit.* Elegantèr hũc Mundum quasi nauim facit, quæ scilicet ad Dei cognitionem, tanquàm ad portum nos vehit: Verbum verò diuinum ad gubernacula sedere, & quò vehit, vela vertere innuit. Aegyptij quoq; nauim fingebant, cuius temonem Sol tractaret; sed nimirùm vel in Sole nimis hebetes fuerũt. Sequitur: *Accipe non cantum oloris mortem lugentis, cum incidit flatus senilibus alis; neq; luscinia lugubris modulationem, sed de Christo cantum*. rectè ait, se non fabellas canere, ad quas alludit, sed de diuinis habere sermonem. in primis verò magnam loquendi materiam sufficit Mundi crea-

Sermo rationis ....

Magnã loquẽdi materiã sufficere Mundi creatio, & recreatio.

creatio, & eius restauratio per Christum.

12 Hoc ad Nemesij laudem pertinet. Erit, qui dicat: *Nemesius magnanimus Cappadocibus examina iustitiæ rectà tendens, non aurum dolosum, & argentum tulit, diuitijs inuulnerabilis. sed pro omnibus margaritis, splendidum, magnum prædatus est Christum*. Nota quàm felix præda, margarita illa est in côcha veteri virginalis ex diuino sancti Spiritus rore concreta, vndè illud: *Rorate Cœli desuper*. dignè autem laudabilem facit Nemesium ob iustitiæ libramentum rectum, idq; ad magnanimitatem refert. quanti enim animi esse putamus pecuniæ ambitione non capi? quod autem ait: *diuitijs inuulnerabilis*. ostendit, eas esse potentissimum telum ad ictum. hinc versus græci poetæ: Argenteis hastis pugna, & sic omnia vinces: trilici igitur thorace, atq; adamantino opus est aduersus hos ictus: *Induti loricâ iustitiæ*. nempè diuitiç ferè iniustè cögregantur ex rapinis pauperum.

Iustitiæ libramentü nönisi magnanimi est.

Magna est laus esse diuitijs inuulnerabilë

Ex sententijs.

1 NAufragiũ huius seculi per paupertatẽ vitari ostendit: *Nudus vitæ fæces mare tutus*. Addit cõtra auaros: *Hominibus aurum venatio est, vt auibus laqueus*. Ad quietẽ autẽ moriẽdũ facit hoc: *Mortis memineris, vt præsentis; & mortẽ sic minorem inuenies*. Damnum recidere in ipsum, qui peccat, ait: *Mali velut lapidem mittunt in Cœlum, & suscipiunt vitium suis capitibus*.

2 Iuueni maximè mortificationem necessariam dicit: *Lanio corpus, oculum domo, curis diurnis, & nocturnis liquefeci animam meam ter miseram, vt ab igne liberarem; sed tamen vix corpus vinco cum multo labore: quomodò tu, & iuuentutem ferens, & carnis molem, delicias?* Vide quàm seuerè secum ageret, quasi carnifex: *Lanio corpus*. & quanta cura sensuum: *Oculum domo*: quasi scilicèt effrẽnem equum. lacrymis verò tàm profusis, vt liquescerent oculi. cur? vt ignem concupiscentiæ extingueret. Similis Dauid, qui ait: *Lacrymis meis stratum meum rigabo*. hebraicè est: *Natare faciam lectum meũ lacrymis*. scilicèt vt euitaret pudoris naufragium. quid igitur aget iuuenis, quem Aetnæ similem facit Hieronymus? Ad iuuenes maximè pertinet, quod addit: *Cera aures obstrue ad cantus suauitatis molles*. Alludit ad Vlyssis socios, nè Sirenum cãtu allecti perirent. talis enim est voluptas, blanditijs perimens.

Gregorius carnifex sui.

Concupiscentiæ ignis extinguitur lacrymis, & oculos domando.

Iuuenis ad Sirenũ cantus obstruät aures

3 Ad religiosos hæc pertinent: *Angelica gloria imago, vnitas*. Pręclara laus. huc refer illud Iob: *Qui facit concordiam in sublimibus*. Tùm de fugiẽdo ab ijs mulierum consortio sic pulchrè: *Natura occultum morbum intus habet. si absueris, longè scintilla manet; si accesseris, pyram ex paruo flatu accendes*. fomitem intelligit, occultum intus malum. rectè autem hoc muliebre consortium pyram vocat, in quo quasi sepulchrali busto funus est castimoniæ. & nota: *ex paruo flatu accenditur*. adeò periculum est in prõptu, vel ex leui occasione.

Religiosus status Angelicę vitæ imago.

Cõsortium cum mulieribus pyra est.

Ex Carmine Contra fucum muliebrem.

1 MVlieres ab illecebroso ornatu sic reuocat: *Nè capita turrificate*. græcè est πυργοῦτε, hoc est, nè in turris modum surrectam attollite comam, altã scilicèt, & excelsam componendo. huc refero prouerbium apud Tertullianum: *Lamiæ turres*. fingebantur hæ ore muliebri, cum alta coma, lenocinãtes, sed equinis pedibus in monstrum desinentes, & vitæ insidiantes: Equini pedes effręnatam libidinem, ad quam adhinniunt, indicabant. sicut autem elephantis turres imponuntur, vndè in hostes sagittæ iaciuntur: sic diabolus ex istis turribus crinalibus in alios iaculantur, quæ Apostolus vocat: *tela ignea nequissimi*. huc pertinet quod addit: *Neq; cristam desuper serto galeæ similem*. Vides, vt mulier ornata in diaboli castris bellatrix milite: nempè in galeæ modũ cristatam concinnant comã.

Coma surrecta mulierum turris Satanica

2 Fucum mulierum damnat: *Si dedit natura pulchritudinem, nè occultate pigmentis. si non dedit, fugite secundum dedecus, attrahentes pulchritudinem, quam terra producit, & quæ venalis est publicis obolis: pulchritudinem, quæ abstersa in humum fluit, & lacrymarum riuis arguitur*. Acutè per dilemma conuincit, aitq; mulierem deformem per pigmenta fieri dupliciter deformem. hoc est non modò natura, sed arte: quid enim vilius ea specie, quæ per viles colores fit in foro venales? quæ deformitas magis apparebit, si genas, vel aqua, vel lacrymis asperserit, vt apparuit in Phrynes stratagemmate, quæ cum ipsa natura venusta esset, ludum inijt cum alijs mulieribus, quæ deformitatem pigmentis fucarant, hac conditione, vt si ipsæ victæ essent, facerent, quod ipsam facere viderent; conditione accepta, cum Phryne vicisset, aqua sibi genas aspersit, quod cum cęteræ facerent iussæ, pigmentis dilutis, & coloribus incompositè fluẽtibus, turpissimæ apparuerunt; ac propterea illud habet incommodum maximum fucus, quod fucatæ mulieres abstinent à la-

Fucatę mulieris decor aqua modica delerur.

lacrymis, siuè ex contritione, siuè ex memoria Christi crucifixi eliciendæ sint, nè hoc modo confusis, & dilutis pigmentis, turpiores appareant genæ. Huc pertinet, quod addit: *Non est ferendum, speciē diuinam mortali occultare, nè tibi Deus exprobret: quis? vndè fictor? pereat aliena.* rectè arguit, quod Deus formam, quam indidit, non iàm agnoscat vt suam, ac proindè à se abijciens damnabit. Item sic vrget elegantèr: *Columna turpitudinis est, quam tu pingis formam. Alcinoi hortus, Adonidis frugiperdi tua gratia; polypodis color, litera in arenis.* nempè sicut columnæ erigebantur etiam ad infamiam, vbi vitia notabantur: ità hæ omnibus propositæ sunt ad contumeliam libidinis. porrò decor ille, quia non natiuus, euanidus est, sicut Alcinoi horti breuibus consiti floribus, & ij, qui Adonij dicebantur. Item sicut polypus varios induit colores, sed vmbratiles, proùt aeris color est, & modò hunc accipit, modò alium: ità & fucatus mulieris color est, non firmus, quia non natiuus. & sicut in arena litterę nō durāt, ità nec ille adscititius color, ac decor.

Deus exprobrabit mulieri nouam formā quam fuco induit

Decor fucatus mulieris Alcinoi, & Adonidis horti breuibus consiti floribus.

3 Excusationem mulieris reijcit, quod id agat, vt placeat viro: *Omne, quod struis, libido est alijs. aiunt pauonem iactabundū, cum rotam fecerit, collum curuans aureū, sidereum, clamare fœmellis gratulabundū.* Rectè ostendit fucum illum ad libidinem pertinere, vt in pauone est pōpa illa plumarum. sidereū vocat ob orbes illos oculatos; nàm & sidera tanquàm oculi Cœli sunt. Subiungit: *Si id agis, vt marito placeas, ex quo te duxit in thalamum puellam virgīnem, habes iàm gratiam.* acutè arguit, iàm placuisti viro, ex quo nuptię celebratæ sunt, alioquin non te duxisset; nè ergò obtendas hanc causam, quasi ei per hoc primùm placitura sis. nempè, inquit, hæc illecebra potiùs est aliorum, alijs studes indecentèr placere, non viro.

Ornatus muliebris ad libidinē pertinet, vt in pauone pompa plumarum.

4 Quàm plena periculi sint hæc muliebris ornatus lenocinia, docet: *Nihil est sine aculeo eorum, quæ à fœminis luduntur ergà iuuenes; omnia enim mutuò simul sequuntur, vt ferrum, quod magnes trahit, aliud sub aliud agens.* Sicut, inquit, annulū ferreum magnes trahit, & hic alium annulum, & sic deinceps, sitq; catena quædam; ità nutum sequitur risus, risum verba procacia, &c. & hæc mutuò. Quid autem ista sint, alijs metaphoris ostendit: *Igni aridam materiam iaciunt. inimico nunquā porrexisti eius ensem.* Vide quid agant huiusmodi nutus, risus, fucus, ac cętera blandimenta, fomitem scilicèt igni addunt. gladium hosti præbes, quo te confodiat. & tamen hæc officiosa, non perniciosa putantur.

Mulieris fucatæ cum iuuenibus conuersatio vt in magnete attractio.

Blandimēta incesti ignis nutrimēta sunt.

5 Ostendit, quantum exitij ex muliere huiusmodi existat: *Pandoram canunt, igne subrepto, pœnam hominibus repensam venisse, scilicet pro igne ignem alium.* Acutè dictum. ob ignem à Prometheo è Solis sphęra subreptum, fabulantur missam Pādoram puellam, cui Dij omnes aliquid contulerunt; nempè, & vt Gregorius elegātèr ludit, Mercurius fraudem, alij aliud vitium. at hoc fuit potiùs alterum ignem addere, quàm priorem damnare; quia Pandora in typo mulieris ornatę nonnisi fax est. concludit igitur: *Nè tu fias Pandora ingeniosa; sed tu Christi imago, temperantia resplendens.* hoc est non ex igne, qui noceat, sed ex pudore, qui iuuet, splēdorem contrahe.

Pandora fax altera, pro igne surrepto.

6 Iterùm fucum insectatur muliebrē: *Nunquàm in colore confidas. homicida ligni pulchricolor nitor eiecit parentes è paradiso.* Nempè de fructu dicitur: *Vidit, quod esset pulchrum.* origo igitur malorū omnium, ac fœditatis, & miseriæ nostræ fuit pulchritudo visa in pomo, quid in corpore? Nec modò damnum, sed ludibrium sequitur: *Est hoc planè ridiculum: nouit se deformem mulier, & Danaes vult haberi. delectantur quidem, sed irrident, qui id spectant, sicut coloribus tabellarum, quæ mouentur.* elegans similitudo imaginum fictarum, quę per artem dædaleam libramentis occultis, quasi viuæ videntur incedere: quod qui videt fraudem artis sciens, & voluptatem habet, & risum. ac rectè addit prouerbium: *Intus Hecubam, foris Helenam.* idest Helena videtur foris ob pulchritudinem, sed intus Hecuba est, quæ in rabiosam canem conuersa dicitur ob Polydori necem.

Origo nostræ miseriæ pulchritudo in pomo visa.

Mulier fucata imaginculis dædaleis.

Mulier fucata foris Helena, intus Hecuba

7 De hac varietate sic pulchrè: *Audio inanem, & efformem post vocalem Echo quendam cupientem errasse super cautes, &c.* Itàq; mulierem falsis coloribus ornatam amare tàm stultum est, quàm is, qui putabat echo esse puellam aliquam, & eam adamans per saxa, vndè responsū, licet non integrum, dabatur, laboriosus errabat indagans, cum tantùm aeris repercussio, & vana vox esset; nec quicquam in ea solidum præter saxa ipsa inesset. talem & humanam gloriam dixerim, quam tamen multi stultè sequuntur: quò spectat illud Prophetæ: *Et non gloriæ montium.* vertunt alij, echo montium.

Mulier fucata cum echo fallaci collata.

Ezech. 7.

8 Pergit in re simili: *Alius pulchro fluuij insaniebat fluento, nec ripas relinquebat, prensabat aquam, spumam capiebat, nec igneum aquis extinguebat desiderium: sic caca res amor est.* Egregium epiphonema; fortassè alludit, quod Venerē è maris spuma ortam putarent, vndè Aphrodisia dicta. Referri hæc vniuersè possunt ad mundanos, qui res fluxas, & vanas inexplebilitèr consectantur. Addit de Narcisso:

Mulier fucata ipsa mās fluctus & lignea iuuentu.

cisso: *Ferunt & quendam formam suam adamasse, & in fontem desiliisse ob simulacrum pulchritudinis perniciosæ*. prætereà: *aiunt sapientem quendam formantem ligneam iuuencam coloribus, arte decepisse taurũ*. Myronẽ hunc quidã putãt. ac certè fucatis huiusmodi mulieribus aptè accommodatur hoc de lignea iuuenca colorata, nàm & mulieres alto cothurno semiligneæ sunt, vt vocat Comicus.

9 Obsistit excusationi mulierum dicẽtium, se illo fuco satisfacere tantùm oculis aliorum, nihil tamen libidinosè agi: *Esto, non gratificeris nisi oculis; at hic amor aerius morbus est*. Argutè, quia per aerem fit visio; sed pestilentem nactus inficeris, & peris. Subiungit: *Dices, hoc modo inuulnerata sum. inanis ergò vitij gloriam habes. sed lex Christiana iubet nec oculos iacere in alienam: principium enim amoris est impudentis aspectus impudẽs*. Notabilis gnome: aspectus ipse inchoata libido est.

Aspectus mulieris aereus morbus est pestilens.

Aspectus amatorius inchoata libido est.

10 Elegans parabola est de genis, vel fuco, vel pudore purpureis. Antea, inquit, non dignoscebatur, qui optimus, qui deterior. ideò mali honorabantur, non item boni. tunc, vt aiunt, Deus signum posuit, ac discrimen: *Rubefecit genas bonis, sanguinem sub cutem fundens, turpitudine expulsa fœminis præcipuè. quoniam ea specie eximia. malis autem fixit, & immutabile intus posuit. at tu multicolor es; nec ruborem reuereor; quem fers tantùm supra cutem; hic enim rubor est impudentia*. Pulchrè distinguit; rubor supra cutim tãtùm, impudentiæ est, quia mẽdax ob fucũ. quod autem ait, Deum ità bonos discreuisse à malis, vt sanguinem bonis diffunderet genis intra cutem. malis verò intrà abderet, intelligendum est de metu malorum ob prauam conscientiam, nàm metus cogit sanguinem circa præcordia; hinc pallor in vultu.

Deus bonis rubore sãguinis genis diffudit intra cutem mulier mala supra cutem fert.

11 Fucatas mulieres nõ agnosci à Deo ostendit à simili: *Serua corpus, quale est fabricatum; neq; velis videri altera pro altera. Celtæ explorant sobolem Rheni fluuio; & pruna indicium sunt puri auri. nè te fuligineus fingat Belial; aut enim cinerem posuit totum, aut fumum fudit*. Argutè, & elegantèr alludit ad calamistrum; crispãtur enim capilli acu illa in cinere calenti. quamobrem & cinerarij, ciniflones dicũtur, qui artem hanc crispandi capilli callent. hinc argutè etiam Tertullianus ait, capillos flauos, & subrubentes indicium, & omen esse ignis æterni. ac propterea rectè appellat Diabolum, hæc suadentem, *fuligineum*.

Calamistri cinerarius ornatus diaboli fuligo est.

12 Egregiè describit muliebrem mũdum, & taxat: *Non aurum lapillis implicetur; nequè manus, pedesq; vinculo aureo stringens, seruilem gloriam habe*. Nempè parui interest, auronè vinciaris, an ferro. solitos enim captiuos etiam aureis catenis trahi legimus; vt Zenobiam reginam in Aureliani triumpho. sic hæ captiuæ Diaboli. ostendit autem incredibilem luxum, habendi non manus tantùm annulatas auro, sed pedes. at de nudis Apostolorum pedibus dicitur: *Quàm pulchri sũt pedes euangelizantium bona?* Sequitur: *Nequè vnguentis mollibus corpus, vel capita inunge; mortuos consectantur vultures*. acutè hoc dicitur. cadauera vnguento inungi solent; ad cadauera verò vultures rapaces accurrunt, ità ad huiusmodi mulieres vnguento delibutas, quippè iàm mortuas Christo, accurrunt quasi vultures amasij, ac proci.

Catenæ aureæ captiuas arguũt in diaboli triumpho.

Mulier vnguento delibuta est cadauerosa præda diaboli.

13 Cæteras quoq; delicias muliebres interdicit: *Nequè lecticarum fulgoribus exultes*. græcè δίφρων στεροπῇσιν, hoc est fulgẽtibus auro vehiculis, quibus prompaticè per vrbem ferebantur, vt nunc curribus. Addit: *Nè extollaris ancillis, imaginibus tui cordis; sicut enim veris nuncij sunt hirundines, & flos fructus; sic ancillæ dominæ indicium sunt*. rectè monet. Nolo, inquit, extolli comitatu ancillarum, quæ item fucatæ sint, quia earum mores indicant qualis hera sit.

Pompaticus fastus mulieri interdicitur in lecticis, & famulatu.

14 Quæ sit vera venustas, ostendit: *Flos vnus mulieribus est amandus, bonus rubor, pudor. hoc pingit pictor noster. dabimus & alterum; pallorem scilicet trahas pulchritudinis tuæ, Christi absumpta laboribus, precibusq; & suspirijs. colores quidem parietibus dimittimus*. Pulchrè dictum, *Flos vnus mulibris est rubor, pudor. hoc pingit pictor noster*. Christus hic pictor est. nàm & Agnes dicebat: Sanguis eius ornauit genas meas. duplicem colorem adhibet hic Apelles, vel purpurissum ex pudore cõtractum, vel pallidũ ex mortificatione. & acutè subiũgit, varietatem plurium colorum relinquendam ad vsum tabellarum, & parietum depingendorum.

Christi pictoris colores, vel rubeus ex pudore, vel pallidus ex abstinentia

15 Enumerat quæ circumstant mulierum ornatum: *Intemperantibus fœminis laborant fores, claues, specula, medicamenta venefica*. Fores, & claues adhibentur ad custodiam ob mariti zelum. specula, & pigmenta, quæ venena dicuntur, ad illecebras formæ.

Pigmenta venefícia sunt.

16 Occurrit obiectis: *Esther specie fuit amabilis; sed ad quid vsa decore? gens liberata est tota*. At tu, non vt Esther, opus habes iram regis mitigare, & ideò nec opus te ornare. Addit ex scriptura horrẽdum de fuco exemplum: *Pinxit oculos Iezabel scorti amica. abluit tamen scorta sanguine meretricio*. de fenestra enim præceps acta miserè perijt.

Iezabelis fucatę horrẽda mors.

4. Reg. 9.

17 Exaggerat in primis, quod impudentèr in templum fucatæ se inferant: *Non*

Non tremis Sacerdotes, declinans caput, scenam vtrinq; positis speciebus splendentē? sic græcè σκηνὴν. elegātèr vocat caput mulieris compositum, & genis ambabus depictis, scenam. proh quantæ in hac scena tragœdiæ excitantur. digna res fletu. alij intelligunt laruam fucis nitentem. ac rectè monet: quid enim tàm indignum quā Dei Sacerdotes sanctissimæ illius scenæ tragicæ passionis Christi assuetos, facere spectatores impuræ, & impudentis scenæ muliebris? cum dicat Apostolus, mulieres in templo velatas esse debere, *propter Angelos*, Sacerdotes scilicèt, vt multi exponunt ex Malachia. Addit rem notabilem: *Neq; manus horrent, quando in arcanam dapem extendis, quibus tu manibus pingis lugubrem nitorem?* rectè obiurgat: solebāt olim manibus excipere à Sacerdote Christi corpus, ac sibi ipsi in os immittere. at quid audacius, inquit, quàm ijs manibus, quibus componere vana illa pigmēta, quasq; illecebrosis venenis inficere soles, attingere purissimum corpus Christi? contra sponsa dicit de se, dùm occurreret sponso, vt fores aperiret: *Manus meæ distillauerunt myrrham.* hoc est non lenocinij, sed mortificationis plenæ sunt; præsertim cum ibi passionis, & myrrhæ dominicæ memoria fiat. Vide igitur quā dedeceat ad Eucharistiam accedere fucatam. Ad hæc, rem item notatu dignam subiungit: *Quomodò tu certaminis palmam ferentibus ijs, quibus populus choream statuit, pretiosum sanguinem colens, tu speciē ostentas illicem? vt forum quoddam multitudinem trahens, aut ferarum demonstrationibus similia, qui proferunt monstra, & angues.* Quomodò, inquit, qua fronte, templum intrans cum istis lenocinijs colorū, &c. ad sepulchra, vel reliquias Martyrum accedere audes? ac purpurissum tui fuci ostentas, vbi purpureus illorum sanguis pro Christo fusus ostenditur, & colitur à Sacerdotibus, & hierodulis hymnos cātantibus triumphales, & quasi choreas in pompa ducentibus? quid tā præposterum? argutè autem carpit huiusmodi mulieres, dùm ad se videndas multitudinem congregant. nempè aut tanquàm in mercatu pulchritudinem suam venalem proferunt, aut vt monstrum aliquod, sic te in aliam ob fucatum vultum transformatam, aut vt vnam serpentium, quas incantatores, ac circulatores publicè tractant, spectent; præsertim cum inter cętera ornamenta muliebria ὄφις sit. ad hæc autem visenda solet multitudo concurrere. porrò quod hoc monstrosum aliquid sit, sic ostendit: *Incedis roseis digitis, celsum habēs caput, nec vnum, sed tot, quot pingis.* nempè vt Lernèæ hydrę plura insunt capita; nunc enim caput vno modo comptum, nunc alio profers.

Caput mulieris fucatū scenicus apparatus.

Fucum in templo corā Sacerdotibus ferre quàm indignum.

Cum fuco ad Eucharistiam accedere nefas.

Cum fuco ad sepulchra Martyrū accedere quàm præposterū sit.

Mulieres fucatæ pro monstris, & anguibus ostentui sunt.

Capita cōpta mulierū vt hydrę Lernex.

18 Præclarum est, quod adhibet monitum, quo Virgines maximè ab his lenocinijs deterret, etiam in leui materia: *Plus est Virgini ruga, quàm Mundo viuentibus vulnera: reuerere testimonium; neq; enim gutta, & labes tantùm apparet in sordidis vestibus, quantum in puris, & æquicoloribus.* Quod de Virginibus dicit, idem ad omnes religiosos refer: *Plus est in religioso ruga, quàm Mundo viuentibus vulnera, &c.* ac sępè maiori scandalo est leuior defectus publicus religiosi, quàm mundani peccatum graue. elegans exemplum illud est vestis; religiosus enim tanquàm byssina vestis est candore niuali, vnicolor ob simplicitatem innocentiæ. ac proindè labes magis apparet, quàm in mundano.

Defectus leues in religiosis magis notantur, quā graues in secularibus.

Ex Carmine in obitū Basilij.

1 Pulchra est, & elegans deploratio de Basilij morte: *Cum Basilij rapuit spiritum Trinitas, omnis cœlestis exercitus lætatus est eunte. omnis autem Cappadocia lamentata. sed & Mundus exclamauit: Perijt præco, perijt pacis vinculum decora.* Vide quid in Episcopo ciuitas desideret maximè; vt præco sit diuini Verbi, rectèq; instituat, & vt tranquillè, & concorditèr inter se subditos deuinciat pace sequestra.

Luctus in morte Basilij est gaudium in Cœlo.

2 Pergit item pulchrè: *Vnum dignum Antistitem nostra vidit ætas, te Basili, nūcium veritatis, oculum clarum, pulchritudinibus splēdentem. ò Athena, ò diuina vitæ consortia.* Mira laus: solū Basilium verè Episcopum dicit; cum & ipse eo munere insignis esset. elegātèr vocat, *oculum clarum pulchritudinibus splendentem*; vel ob perspicaciam ingenij, vel vt rem charissimam omnibus; & ideircò deplorat societatem, quam Athenis in studijs habuerūt. Deniq; addit: *Cæsariensium ò magna gloria. tonitru tuus sermo, fulgur verò tua vita. octo annis habenas populi rexisti: hoc solùm à te parum fuit.* Vide qualis esse debeat vel Antistes, vel concionator: *sermo tonitru, vita fulgur.* vt quod voce clamat, ostendat splendore factorum; sicut tonitru, & fragorē, & fulguratione, seù coruscationem habet. acutè autem ait. omnia à Basilio plenè, abundèq; profecta, pręter vitam breuem.

Basilius oculus clarus, pulchritudinibus resplēdens.

Basilij sermo tonitru, vita fulgur fuit.

Ex Carmine De obstinatione, & hypocrisi.

1 Ostendit, vndè obstinatio sit in improbis: *Impij non sentiunt pœnas à Deo*

à Deo inflictas propter obesitatem. dorsum habent aneum, vt ferro velut incus domari non possint ictibus. Rectè dorsum æneum dicit malorum, qui tantum oneris, quantúm est peccatum, ferunt. nam iniquitas sedet super talentum plumbi apud Zachariam; tamen grauitatem oneris non aduertunt; & licet flagellentur à Deo, non sentiunt. ideò Christus molles suos humeros obiecit flagellis: *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores.*

Improbi nō sentiūt onus peccati, quia dorsū habent ferreū

2 De multiformi malorum improbitate apologum affert: *Quidam deridebat noctuam vt deformem. at illa se excusabat: oculos habeo cæsios, vt habet & Minerua. insuauitèr canto, & insuauius pictùm ille: sed tu collecta hac omnia vitia habes, qua alij diuisim.* Ad eos refer, qui excusationem obtendere non possunt de fragilitate naturæ. esto, omnes imperfecti sumus, at non singuli in omni genere vitiorum, sicut tu volutaris.

Multiformis improbitas apologo taxatur.

Ex Sententiosis distichis.

1 QVàm præclarum sit ex bono principio vitæ in bonum item finem deuenire, sic ostendit: *Principium pariens bonum finē, vita purgatio est diuinè exercita.* Nimia autem exactio ab ijs, qui nihil habent, sic taxatur: *Pastor mulget, si vult, & hircos, sed pro lacte sanguinum fontes fluent.* est certè in hoc deploranda pauperum sors. De constantia sic: *Maxima incus non timet strepitum, nec mens sapiēs omne, quod cadit.* Ad hęc correctionis bonum ostendit: *Percutiens ferrū, accendit et lapides. durū autē flagellū instruit cor.* sic autem temporalia docet spernere: *Gloria semper curam habe æterna, nàm præsens mentitur quotidiè.* Mulieres verò improbas hoc taxat: *Mala res est, Dracones, malefica res & aspides: duplex mulieris malitia inter feras.* scilicèt cęteræ feræ quæque habent peculiarem vim nocendi; mulier duplo maiorem. Et hoc egregiè dictum: *Deo dante nihil valet inuidia; & nō dāte nihil valet labor.* scilicèt Deus, qui donat, tuebitur suum donum; contra inuidos, & sine gratiæ dono nil boni operamur. Ad prudentiam hoc spectat: *Opus prater rem, non opus dico.* idest nisi opportunè, & suo loco fiat, ad nihilum valet. Et hoc verè, pulchrèq; dictum: *Auro loquente, omnis imperfecta oratio.* persuadet scilicèt aurum efficacius, quàm sermo. Hominum vitam elegantèr describit per antitheta: *Rota est instabilitèr firmata parua hac, & multimoda vita. sursum mouetur, & deorsum trahitur, non enim stat, quamuis videatur fixa. fugiens tenetur, & manens excurrit. exultat verò sæpè, nec fugere potest, trahit, detrahit motu statim.* huc facit, quod Aegyptij mystæ sacrificij tempore intra fanum rotam huc illucq; versabant. Deniquè in auaritiam sic: *Ait quidam aliquandò auarus: malo fortuna guttam, quàm mentis dolium. cui contradicens sapiens: Gutta, inquit, mentis magis mihi sit, quàm fortuna profundum.* Vide quantum præcellat parui vis consilij, & prudentiæ omnibus opibus.

Constans animus incudi similis

Mulier improba, Draco, aspis, &c.

Opus præter rem, nō est opus.

Auro loquēte omnis eloquētia deficit.

Præsēs vita versatilis rota.

Gutta sapientiæ pręstat opum gurgite.

Ex Sententiosis tetrastichis.

1 QVærit, actiua nè vita sit potior, an contemplatiua: *Amba quidem sunt commoda, & amica; tu verò cui natura aptus es, attende magis.* Pertinet hoc ad eos, qui religionis instituta suscipiunt, & videant quò natura ipsa cū gratia procliues agat, cū vbi sapiētia cū virtute coniūgitur, an vbi simplicitas humilis se cōtenta sit, dùm operosæ vitæ in proximi salutem studio se accendi sentiat, an solitudinis amantior sit.

Vtra vita eligēda sit contemplatiua an actiua.

2 Purgatum ad sacra piacula accedendum ait: *Vnguentum vasi putrido non creditur.* Eucharistiam sumens hoc secum reputet; nempè, *vnguentum effusum nomen tuum.*

3 Hoc ad concionatores spectat: *Aut nè doce, aut doce moribus, & opere, nè hac quidem trahas, hac verò retrahas manu. minus opus erit verbis ei, qui fecerit, qua oportet. pictor plus docet imaginum exemplis.* Elegans similitudo à pictura. sanè cū Borgias ex Candiæ Duce noster ad concionem habendam adduci non posset, à Cardinali quodā, quod diceret se, vt erat humillimus, nec idoneum, nec paratum esse, respondit ille, sufficere, si tantùm se in suggestu visendum præberet. adeò pulchrè virtutum coloribus erat expressus vitæ sermo, vel mutus. itàq; addit egregiè: *Non loquentium, sed benè viuentium gratia est.*

Concionator cum pictore collatus.

4 Quid Deo gratum sit, ostendit: *Donum Deo pulcherrimum sunt mores. si omnia etiam tuleris, nihil feres digni: quod & pauper tribuit, id affer.* Vide quomodò, vt ità dicam, Deum ditare possimus. boni mores & à Deo sunt, & eos pro dono accipit à nobis oblatos. hinc ait Apostolus: *Gratia Dei in me vacua non fuit.* græcè est, egena non fuit, quasi nihil illa lucri reportet ex labore, quo nobis conata est collaborare nolētibus. huc spectat, quod addit: *Ferias puta esse hanc vitam, si negotieris, lucrum: permutatio enim est paruorū cum magnis, & cum caducis æternorum. si verò pratereant feria, aliud tempus nō habes.* Vide hanc vitā emporiū quoddā esse, atq; mercatū; quā stultū est nihil lucrari!

Donū Deo gratū pulcherrimum sunt mores

Hæc vita mercatus est.

5 De

Leue peccatum crescit in graue, vt scintilla in flammam.

5 De delictis leuibus vitandis sic: *Scintilla accēdit vel breuis multam flammam. hoc itaq; videns, vita vel paruam læsionē. parua quidem est, sed in maius procedit.* Huc refero illud Iob de Leuiathan, hoc est diabolo: *De ore eius lampades procedūt, sicut tæda ignis accensa.* legunt alij ex græco; scintillæ, alij verò, trabes igneæ.

Negans eleemosynam signū est præsciti

6 Eleemosynam commendat: *Christū debitorem magis quàm omnia habe, qui vel regnū frustro permutat.* contra verò; *Pauper aduenit, deindè abiuit non consecutus. timeo, Christe, nè & ego tua manu indigēs abeam; qui enim non dedit, nec speret.* Præclarum monitum. manū contrahens pauperi, & Christi manum cōtractā habebit.

Præsensio nostra in Deo, vt aquilę pulli

7 Paupertatis est hoc elogium: *Paupere viro nil tutius, ad Deum annuit, & solum spectat: tu verò amplectere; aquila enim nido paruos pullos circumgubernat.* Pro religiosis hoc optimè facit, in Deum spem dirigentibus. certè de se ait: *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, &c.*

Nobilitatē generis præstat inchoare virtute, quam soluere suo vitio.

8 Veram nobilitatem virtutis docet esse, non generis: *Erubesce non ignobilis dici, sed malus. genus enim est eorum, qui iàm putruerunt. genus præstat inchoare, quàm soluere.* Pulchrè dictum: laus enim debetur ei, qui per virtutem facit, vt genus, quod habebat ignobile, incipiat esse nobile; non autem ei, qui per vitia genus suum ex nobili reddit ignobile.

Cedere nō est vinci, sed vincere vt in athletica lucta

9 Cedere irato, ad decus pertinere ostēdit: *Nè omnia vince, præstet bene vinci, quàm male vincere. nam luctator non substratus omninò vincitur, sæpè verò superior.* Elegans athletæ similitudo, qui sinit se substerni, vt fortiùs insurgat, & ictus euitet. huc aliquo modo spectat, quod addit: *Et damno afficiare aliquo, hoc sæpè lucrum; sicut purgare plantam ad fertilitatē.* ità vites amputantur ferro. hoc, tribulatio falcis instar agit.

Memoria passionis Christi extinguit irā, vt aqua ignem.

10 Quæ maximè cogitatio affectum iniuria subire debeat, docet: *Cum aliquādò iniuria accenderit tuam mentem, memento Christi illius vulnerum. quota portio hæc sunt eorum, quæ dominus tulit? sic quod mœrore afficit, vt aqua extingues.* Egregium, & præsens remedium. accensam iram extingui dicit velut aqua, memoria vulnerū Christi. nempè ideò aqua vnà cum sanguine exiuit è latere, & dictū est: *Haurietis aquas de fontibus Saluatoris.*

Deus sitit sitiri.

11 Nihil nisi Deum desiderandum dicit, qui & nos desideret impēsè, & ardētèr: *Dei solius, diuinorūq; sitim inexplebilitèr habe, qui accipientibus, & plus gratificatur, sitiens sitiri, abundè semper fluens. in cæteris patere vinci.* Hoc est id vnum contende, vt in diligendo Deo à nemine supereris. pulchrè dictum: *Deus sitit sitiri, abundè semper fluens.* in Cruce clamauit: *Sitio.* nos scilicèt sitiebat, & simul optabat à nobis sitiri, ideò vulnera tanquàm fontes aperuit, vt diximus, & ex latere manauit sanguis, & aqua.

Compēdiū perfectionis est dilectio.

12 Ostendit, quod sit breuissimum iter ad perfectionem: *Quod probitatis præceptum est compendiosum? talis sis alijs, qualis tibi vis esse. & quod compēdiosius? Christi passiones.* Rectè, nàm illud ergà proximum, hoc ergà ipsum Deum charitatem, & dilectionem accendit.

Consiliario quisq; indiget.

13 Non propriæ tantùm prudentiæ fidendum esse dicit, præsertim circa res suas: *Alia videns oculus, seipsum non videt; sed nequè alia, si lippus fuerit. ideò consultorem ad omnia habe; nàm manu manus, & pede pes indiget.* Nota, cur natura duas manus, & pedes dederit, quasi admoneret alterius nos consilijs indigere.

Magnanimi est habere gratiam & cum malis

14 Etiā malis benefaciendum suadet: *Et malis habenda est gratia, vt & bonos hos facias magnanimitèr.* Rectè ait, cum nullum est periculum, nè seducaris à malo, eum amicum facere expedire, vt bonū facias, & lucreris; magnanimitas enim est, quę se ad omnes etiā indignos extēdit.

Culpa magis tribuenda nobis, quam diabolo.

15 Culpam nostræ voluntati tribuendam dicit: *Cur in omnibus miserum accusamus Satanam, cum nos ei dederimus vitæ potestatem? accusa te ipsum, aut omninò, aut magis. ignis à nobis, flamma verò à vēto.* Huc pertinet illud Prophetę: *Ambulate in igne, quem accendistis.* item illud de Leuiathan, hoc est diabolo: *Halitus eius prunas ardere facit.* in nobis fumus est cōcupiscentiæ, quam voluntas consentiēdo accendit; diabolus quasi ventus sufflando hoc agit, vt flamma exuberantius crescat, & latè serpat, hoc est, vt peccatum grauitatem accipiat, & aliud trahat.

Pulcherrimum est ante tēpus sapere.

16 De iuuenta, & senecta sic: *Turpe est iuuenem sene imbecilliorem esse, senem verò imprudentiorem iuuene. tamen hic quidem secundùm tempus sit valdè sapiens; hunc verò pulcherrimum, & ante tempus sapere.* Primum est contra nonnullos religiosos iuuenes laborem detrectantes, cum videant senes laboriosos. alterū est contra senes moribus iuuenilibus. egregiè verò dicitur: *pulcherrimum est, & ante tempus sapere.* quod in Thoma Aquinate in primis perspectum est adhuc adolescēte; itē in Aloysio nostro Gonzaga, &c.

Senectus præco mortis.

17 Senes maximè paratos esse admonet: *Semper quidem exerce salutem, occasio verò maximè vitæ solutio. senectus venit, exitum proclamat, vnusquisque instruere; propè enim iudicium.* Rectè adnotat, ac monet, ad senis maximè aures tubam resonare debere, quę eum ad tribunal citat. ipsa senectus præco mortis est.

Ex tragœdia de Christo passo.

1 QVanquàm facilè ijs assentior, qui hanc tragœdiã negant esse Gregorij, tamẽ quia inserta eius carminibus, pauca delibabo. Inducit primò Deiparã sic loquentem: *O vtinam in prato neque reptasset serpens, neq; in saltibus istius insidias tetendisset Draco versutus, &c.* Detestatur videlicèt primum peccatum vndè mors orta. simile est illud Ennij: *Vtinam nè in nemore Pelio, &c. Non audirem nunc filium trahi ad iudicium, terrestrem, cœlestem, purum natalibus. nec viso inhorruissem, illo indignè tractato, ego, inquam, quæ absq; torre fero heu vehementem flãmam, qua valdè torret, ac versat cor, & cor penetrat ceu malleus ingens.* Nota dolorẽ Virginis ingentem, quem malleo comparat ipsam tundenti, præsertim cum malleo clauos infigi videret. Pergit: *Iubilum edidi quando venit auspicatus Angelus annuncians partum; non victimam præsagiens me partu edituram.* certè etiam tùm in ipso conceptu Christus se victimam obtulit patri. tamen tunc: *Emisi iubilum internè, thuricremam ferens, odoratamque flammam, quali suffire se dicunt Sacerdotes, zelum feruentem, charitatemq; submissam ardentissimam, quod sacrificium nouimus laudabile.* Nota vt Deipara tota incẽsa fuerit amore, & holocaustũ Sacerdotis instar obtulerit, zelo feruenti, Mundũ saluandi per filium. nam & nũc, quod per Sacerdotem fit, extensio quædam incarnationis dicitur à Theologis. Subiungit: *Et nescio, quo pacto nunc mea viscera torquet acutum saculum.* Vide, vt transfixa fuerit sagitta doloris, quam Simeon etiã gladium appellauit.

Deiparæ dolor, ceu malleus, vel iaculi in morte Christi.

2 Cum chorus diceret Deiparæ, filium iàm non esse, vtpotè ad mortem ductum, respondet: *O indigna eloquens, eum, qui est perpetuò, non ampliùs esse, quo ore dicis? loquere, vt decet, nec dehonestes Deum: stirpe enim ab aurea germinauit mihi. noui, eũ qua ratione genuerim.* Acutè de filio, vt Deus est, qui semper est, nec mori potest; ac pulchrè, verèq; stirpem dicit auream. vndè aureum ortũ seculum, & sanè Deiparæ vterus quid nisi aurifodina fuit? cõtinens eum, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei?* Narrant in Scythiæ niuosis montibus ortas aliquando vites, & germinasse cum fructibus ex radice aurea. niues autem ad candorem virginalem refer.

Christus natus est Deipara stirpe aurea

Alex. vit.

3 Ad Iudam dicitur: *Moriens malus malè saltu in infernum pernici ruens subitò. disruptus fœdè pessimum rumpet cor.* Indicat, non modò viscera disrupta, sed cor ipsum impium, quippè ruperat Apostolicæ amicitię fœdus. Tùm Deiparę aduersus ipsum Iudã questus exponit, exprobrans filij beneficia: *Cum discipulis dixit, te assessurum, iudicaturumque; concredidit pecuniam omnem in manus tuas, ademit tibi prætextum pecuniæ.* Nota, cur Christus Iudæ commisisset loculos; vt videlicet expleret eius cupiditatẽ, nè quasi egenus obtenderet pecuniam. Addit, ipsũ veniam impetraturum fuisse, si verè pœnituisset: *Seruabit te, tuam si plangas pectus; sed non te nolentem lucrifacere vult; non enim pro lege sancit vim. remotissima ab ipso est voluntas tyrannica.* Nota, cur Deus permittat peccata, nec impediat, vt scilicèt magis arbitrij libertas appareat.

Iudæ suspensi cor disruptum.

Cur Christus Iudæ loculos pecuniarum commisit.

Cur Deus non impediat peccata.

4 Deipara Iudæ facinus detestatur: *O tellus parens, Cœliq; plaga; cuiusmodi verborum audiui vocem? &c. lauit tuos quàm maximè infestos pedes.* Quibus tamen velocibus vsus erat ad effundendum sanguinem, adiens, & conueniens Sacerdotes Iudæorum: *Sed suffocauit te argentangina.* pulchrè ait, Iudam non tàm laqueo suffocatum sparteo, quàm argenteo, cupiditate scilicet ipsius pecuniæ, quasi anginæ morbo.

Iudas suffocatus nõ tã laqueo, quã argentangina.

5 Introducit nuncium aduenientem, & sic dicentem. *Tuo semper fui beneuolus filius, videas qualia cadit miracula. quia & mei ipsius aperuit oculorum pupillas. tũ video insperatum spectaculum, quod nunquàm debui; canes sanguinem sitientes, vndiq; concursantes, inhiantes, &c.* Rectè dolet, quasi aperti sibi sint oculi, vt curatorẽ tàm indignè ad mortem duci videret. indicat enim nuncium hunc fuisse cæcum illum à Christo sanatum. huc spectat illud: *Circumdederunt me canes multi.* tanquam ad feram capiendam venatici.

Iudæi tanquam canes venatici ad prædam in Christum.

6 Deipara de se ait: *Vehementes quæ effugi partus dolores; ipsos autem deploro clade diuexatos.* Tùm pudentèr vitam narrat suam, etiam ante incarnationem: *Modestia in omnibus edocta, quàm pulchra sit. linguaq; silentium, & oculum quietum præstabam, &c.* has quoq; Deiparæ virtutes Ambrosius persequitur.

Deiparæ modestia, & sensuum custodia.

7 Chorus Deiparam solatur: *Videbis eum tanquàm è thalamo, è sepulchro prosilire, &c.* Pulchrè thalamum vocat tumulum, vndè tanquàm sponsus prodijt ornatus dotibus gloriosi corporis. Ambrosius confert sepulchrum, vndè resurgens, quasi renatus, cum vtero Virginis, qui etiam thalamus dicitur.

Christus prodiens e tumulo, quasi de thalamo.

8 Nuncius Deiparæ narrat crucifixionis modum: *Alij eum arundine fortiter ferientes percutiebant, instar turris conscẽsa petra. alij spongiã, &c.* indicare videtur tã altam fuisse Crucem, vt petram aliquam sibi supponentes ascenderint ad illudẽ dũ.

Ludibria Christi in Cruce.

9 Dei-

9 Deipara pedes amplexa filij gemit. tùm Petro veniam impetrat à filio: *O nate, ò amantissime, ò Dei Verbum, da veniã; peccare enim verisimile hominem, ò fili.* Cui Christus: *Cõdono Petro suum lapsum, volente te.* Notabile est hoc de venia Petro per Deiparam impetrata, cum audiuisset filium inimicis parcentem.

Deipara Petro veniã impetrat.

10 De morte Christi, & terræmotu sic: *Qui modò clamauit ad patrem voce, penetrat verò fundamenta terræ biantis, quo vniuersa quidem tellus sono repleta horrẽdè reboauit.* Nempè in terræmotibus solet mugire tellus. vide cur *exclamans voce magna expirauit.* vt patrem videlicèt placaret, Inferos autem perterrefaceret: terra verò immugiens, & dehiscens quasi suum aperuit dolorem.

Terra horrende reboauit in morte Christi.

11 Deipara commori filio optat, & conqueri pergit: *O venustatem ineffabilẽ, quæ excellit totum genus hominum, imago non picta, non picti item exemplaris; vt nunc tetro es aspectu? &c.* Pulchrè dicitur Christus imago non picta, &c. nempè nõ vmbratilis, sed vera, & expressa. sicut, nec pater exemplar pictum, sed vera, & perfecta diuinitatis origo.

Christus patris imago non picta, sed expressa.

12 Theologus introducitur, qui solatur: *Cohibe luctum, Domina; volens enim subijt mortem, non coactus, vt omnes deuorantem mortem perderet. lebeti verò aureo impone mihi corpus, &c.* hinc collige quàm pretiosum vas cordis, & aureum debeat esse eius, qui Eucharistiam, hoc est Christi corpus sumit; cum vel ad mortuum Christi corpus abluendum, lebetem aureum Deipara requirat. cor sit pro lebete aureo, lacrymæ pro balneo.

Aureũ vas cordis ad excipiendũ Christi corpus.

13 Theologus sic: *Hera omnium domina, mater Verbi. Ipse enim obstupui, nõ ferens aspicere horrendum spectaculum, cassum spiritu eum, qui inspirat viuentibus anhelitum.* Pulchrè per antithesim dictum. quid enim flebilius, & indignius quàm eum, per quem spiramus, expirantem videre?

Christus mortuus flebile spectaculum.

14 Chorus item sic Deiparam solatur: *O inclyta, formosissima puella, virgo, quæ infantem Deum summum thesaurum genuisti; prudentiorem constat te esse mortalibus, & hæc cernentem intelligere & finẽ; nàm matri datum est grandia intelligere.* Ad resurrectionem filij alludit. pulchrè Deipara dicitur, *summum thesaurum genuisse.* nempè eum, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* hinc tàm profunda humilitas in recondendo tali thesauro, cum id ab Angelo nunciatũ est.

Deiparæ venter thesaurarius

15 De lanceæ ictu sic Deipara ad chorum mulierum: *Spectaculum ego immane conspicio insolens. spectate, videte, vt geminus fons scaturiat à latere, sanguis, & dilutus potus. geminus ebullit fons. ipse adeò, qui pupugit, consternatus clamauit, quod sit filius Dei, procidit ante lignum, pectusque ferit, hauritq; manibus de liquore, & oculos vnxit, puto ab hoc, vt lustretur.* Nota pietatem lancearij militis, & de collyrio militis, quo visum recepit.

Miles lancearius visũ collyrio sanguineo ad oculos.

16 Theologus videns Iosephum ab Arimathia ad Christi corpus sepeliendũ veniẽtem, ait: *O beatũ, qui offert per purgationes animam, corpus ab omni excutiẽs illuuie, & circulo omnium virtutum coronans caput suum; nàm numen colere longè pulcherrimum puto.* Vide quibus ex gemmis iustus sibi coronam comparet, omni videlicet genere virtutum.

Virtutes capitis iusti coronam.

17 Theologus sic de Christi morte: *Inclinauit, & emisit sua spontè animam; mors enim nequaquàm superior illo, nisi iussa venisset capitis nutu.* Acutè ostendit, cur Christus in morte inclinauit caput, quasi annueret morti, quia non audebat iniussa accedere.

Christus caput inclinãs annuit morti, vt accederet.

18 Deiparæ luctum describit: *Aerumnosa mater cominùs adstans patibulo procumbit gemitum edens. applicat se ligno, amplectitur pedes, & manibus haurit geminis scaturiginis laticem; osculataq; loquitur talia. ò diuinum caput, &c.* Proh pietas. ait, Deiparã ambabus manibus excepisse manantem sanguinem, & aquam è latere filij Christi, quasi vt nobis daret; & ex eius manibus accepturi simus præmia salutis. Addit de eadem: *Inhærebat sicut hedera ramis lauri.* rectè lauro comparat Crucem ob victoriam laureati Christi, & ob manubias triumphales ibi partas: *Spolians Principatus, & Potestates, &c.*

Deiparæ dolor iuxta Crucem.

Crux cum lauro collata.

19 Accepto cruento filij corpore Deipara sic pulchrè, ac piè ingemit: *O suauissima manus, quam ego sæpè prensaui. ò iucũdum visum, & formam, & faciem generosam. ò diuinum, & incomparabilem colorẽ; anhelitum quoque suauissimum filij. ò diuini odoris fragrantiam; nàm etiam in malis cum essem, sensi te, & refocillata sum pectore.* Nota de Christi halitu odoratissimo. quò spectat illud Hieremiæ: *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris.* solebant olim excipere moriẽtis spiritũ, quasi in se illũ reseruarẽt.

Deiparæ questus in morte Christi.

20 Narrat Deipara vitæ suæ cursum: *Postquàm nata sum, mater commendauit sacram in ædem. illic educata sum manibus Angeli insolito modo. tempore opportuno, viro modesto tradita sum, &c.* Nota, cum præsentata est in templo, vt ibi vixerit Angelico pastu.

Deipara in templo ab Angelo educata.

21 De peccato originali sic: *Superbia in peccatum illexit omnium matrem, & patrem antiquissimum, qui demessuit pulcherrimã messem.* Sic supra dixerat: *Adã satorem terrigenæ spicæ.* idem arator spicam hanc pulcherrimam falcis morte de-

Per peccatũ originale falce demessũ genus humanum.

demessuit. ideò Christus frumentum electorum est factus, vt illud regerminaret.

22 Syndone inuolutum filium Deipara deflens ait: *Iaces linteaminibus istis inuolutus, qui priùs fascijs inuolutus eras.* Aptè meminit infantilium fasciarum inter sepulchrales, sed nimirùm & sepulchrum vetus quidam fuit, quo illæso, & clauso exiuit, vt adnotat Augustinus. huc facit ille hymnus, quem canit Ecclesia in Christi morte; vbi natiuitatis mentionem facit: *Vagit infans inter arcta conditus præsepia: membra pannis inuoluta Virgo mater alligat, &c.*

Fasciæ Christi sepulchrales respondentes natalitijs.

23 Eadem sic loqui pergit: *At beneuolentia patris te interfecit. illud supplicium aliorum est salus. Inferis acutissimum infigis telum. rapies mortuos, non rapieris à mortuis.* huc spectat illud: *Dominus voluit conterere eum. si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, &c.* & nota tanquàm sagittarium Christum descendisse ad Inferos deprędantem. Addit præclarè: *Te pater generat quidem cõstanter, & sine motu, perpetuò. ego te peperi casta permanens, &c.* Nota vtramque natiuitatem. illic generatio permanens, hic castitas permanens. Tùm de consequentibus temporibus Ecclesiæ ait: *Quibus rebus choragum agis, & rata, firmaq; reddes tua mysteria, vt sis manifestè Deus mortalibus?* pulchrè Dei filium, & suum, vocat Mundi *choragum*, tanquàm enim in chorea quadam (vt ait Philo) versantur res humanæ, quas Verbum diuinum ducit, iuxtà illud: *Ludens in Orbe terrarum.*

Christus quasi sagittarius ad prædã descendit in Inferos.

Vtraq; Christi generatio finalis.

Christus Mundi choragus.

24 Deipara de excidio futuro Hierosolymæ sic præsagit: *O turrita ciuitas Dauid terra. ò domicilium priscorum vatum. Dei cæsorum spelunca vt facta es? quomodò te gemitu prosequar? &c.*

Deiparæ vaticinium de Hierosolymæ excidio.

25 Magdalena offert se Deiparæ, etiã inter custodes inimicos, ad sepulchrum promptam adire. hanc solam mercedem petens, vt prima videat: *Curram; prima autem videam resurrectionem, præmium pro laborum.* Iure poscit, vt celeritas sicut fuit in desiderio, ità etiã sit in gaudio.

Magdalenę affectus erga Christũ in sepulchro.

26 Gregorius (si is carminis auctor est) sic Christum piè precatur: *O Rex, & Iudex incorruptibilis, qui venies me iudicãs, quomodò ego te illo tẽpore intuear? ò Verbum, qui me ipsum reddidi miser indignum Cœlo, terraq; & tuo opificio; quales oculos defigam in thronum tuum? fer potiùs clementèr in hoc sæculo. tuum, inquam, figmẽtum sum, &c.* Vide quantus in Sanctis fuerit iudicij timor, vt nec thronum ipsum iudicis intueri se posse confidant. nimirũ, vt ait Daniel: *Thronus eius flãma ignis.* C. 7.

Timor iudicij vel in Sanctis.

27 Tandèm ad Deiparam conuersus sic compellat: *Veneranda, pudica, perbeata Virgo, tu quidem beatorum sedes incolis in polo, immortalitatis pallio ornata, semper expers senij, instar Dei cognita. tibi coronam contextam ex amœnissimo prato, ò Domina, ornans offeram, eò quod vberrima me dignatus es gratia, eruens ex hostibus visibilibus, & inuisibilibus. te tãquã diuitẽ habeã thesaurum, semper præsidem vitæ. salue ò Cœlitum ordinibus superior domina, omnium regina, lætitia generis; super benigna sis generi, & mihi maxima quouis loco salus.* Elegans, & pia precatio. pulchrè ostendit in Cœlum vnà cũ corpore assumptam, & *ornatam pallio immortalitatis.* Addit: *Instar Dei cognitam.* nàm & Dionysius penè Deam se vidisse affirmauit. Quod autem ait: *Tibi corollam contexam ex amœnissimo prato ob deuictos hostes tàm inuisibiles, quàm visibiles.* egregiè ad corollam rosarum, siuè Rosarium ex prato Dominicano collectum referri potest, quæ celebritas instituta est primò ob victoriam naualem aduersus Turcas. pulchrè item optat habere Deiparam *tanquàm diuitem thesaurum.* nàm & ipsa de se ait: *Mecum sunt diuitiæ, & gloria, &c.* hoc etiam & meum votum est, quo his Ponderationibus Concionalibus in Gregorium impono finem. Sap. 12.

Pia precatio ad Deiparam.

Rosarij corolla Deiparę intexenda.

FINIS PONDERATIONVM CONCIONALIVM
P. Ioannis Baptistæ Masculi
In Opera S. Gregorij Nazianzeni.

INDEX PRIMVS

Vniuersalis Materiarum In opera S. Gregorij Nazianzeni.

Abstinentia, Ieiunium, Gula.

Adolescentia, &c.

Afflictio, Tribulatio.

Aeternitas, & vita præsens.

Amicitia.

Anima, & eius affectiones.

Angeli.

Aua-

Auaritia, Vsuræ.

Baptismus.

Beatitudo Cæleſtis.

Caſtitas.

Charitas, & Amor in Deum.

Charitas erga proximum, & Concordia.

Conuersatio.

Correctio,

Creaturarum consideratio.

Dei vna natura, Trinitas personarum, & attributa.

tiam

Diabolus, & Tentatio.

Diuitiæ.

Eleemosyna.

Episcopus.

Ecclesia, & Fides.

Exemplum.

Fides V. Ecclesia. Filij V. Parentes. Fœmina in bonum, vel malum.

Gratia.

Gula. V. Abstinentia. Hæretici.

Hypo-

Ieiunium. V. Abstinentia. Idololatria, & superstitio.

Infernus, & Purgatorium.

Inuidia.

Ira, & mansuetudo.

Iudicium vniuersale.

Iudæi, & Synagoga.

Iustus.

Lacrymæ. V. Pœnitentia.

LAVS.

Libido, Caro.

Lingua, Sermo.

Mansuetudo. V. Ira. Matrimonium.

Morbus.

Mors.

mors

Mundi vanitas, & pericula.

Nobilitas.

Opera bona, vel mala.

Oratio.

recur-

Parentes, & liberi.

Passiones animæ. V. Anima.
Peccator, & Peccatum.

Peccatum Originale.

Pœ-

Pœnitentia, & lacrymæ.

Pietas, & deuotio.

Prædicatores, & zelus animarum.

Purga-

Purgatorium. V. Infernus.

Rex, Imperator, Princeps.

Sacerdos.

Sapientia.

c

Sacra Scriptura, & lectio.

Sen-

Sensuum custodia.

Spiritus Sanctus, & Gratia.

Superbia.

Tentatio. V. Diabolus. Tribulatio. V. Aduersitas.
Virtus.

Finis primi Indicis vniuersalis S. Gregorij Nazianzeni:

IN-

INDEX SECVNDVS

Panegyricus de Sanctis.

CHRISTVS.

Eucha-

Mariæ

SS. Doctores, & Confessores.

SS. Mulieres.

Finis secundi Indicis Panegyrici S. Gregorij Nazianz.

INDEX TERTIVS
Parenæticus pro Religiosis.

Religiosi status dignitas, & perfectio.

Religiosorum præcipuæ virtutes.

Religiosorum vita.

Virgines sanctimoniales.

Finis Tertij Indicis Parænetici S. Gregorij Nazianz.

4-3-4